# FRANCISCI ANTONII BALDI

HONORARII A CUBICULO SUMMI PONTIFICIS,
ET VATICANAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTI

# INCOGNITORUM
# HACTENUS VATICINIORUM DE CRUCE
# AD PIUM VII. PONT. MAX.

INTERPRETATIO EX HEBRAEO, ET DECLARATIO.

---

כן הודע ונבא לבב חכמה . תהלי׳ צ .


Truncum notum fac, ut afferamus cor sapiens. *Psalm. XC.*



ROMAE MDCCCXVII.
TYPIS MICHAELIS PUCCINELLI

*Data facultate.*


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·



# PIO VII.

## PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS ANTONIUS BALDUS

FELICITATEM.

Non erit fortasse mirandum, Beatissime Pater, si quo tempore latissime patet inimicissima Christiani nominis Incredulorum factio, eo non pauca de sacris proferantur Literis, quae antea latuerint, atque ad illos

refellendos planeque debellandos summam habeant vim, summumque momentum. Nam quod magnum illud Ecclesiae lumen divus Augustinus, quartum explicans pro concione supra quinquagesimum Psalmum, multa in sacris Libris latuisse dicebat, quae postquam Haeretici, secessione facta, quaestionibus Ecclesiam agitaverunt, aperta fuisse, cognitamque esse Dei voluntatem; idem certe sperare nunc etiam jure licebit, postquam ab Incredulis bellum atrox, et ferum Ecclesiae indictum est. Quinetiam hoc magis videtur id exspectandum esse, quo vehementior non de uno alterove fidei capite instituta est ab illis quaestio, ut olim ab Haereticis fieri solebat, verum tota Ecclesiae fides atque doctrina, ipsaque divinae Religionis summa in certamen vocata est, atque discrimen, ac falsitatis accusata, et reprehensa. Accedit Patres docuisse, sacros Libros magnum quoddam esse, ac semper inexhaustum veluti armamentarium, de quo aptissima contra quosvis quorumcunque temporum Religionis hostes depromere arma possimus: ut videatur non esse dubitandum, quin illius praesidii quod a majoribus nostris contra Haereticos e divinis Scriptoribus acceptum est, simile nobis polliceri hoc tempore, ac contra novos hostes Incredulos novis per vetustissimos sacrae doctrinae Auctores argumentis et armis instrui, firmissimeque muniri debeamus.

Hac fretus spe, Beatissime Pater, quum intelligerem, nullum esse Scriptorum genus quod Incre-

duli magis perhorrescant quam Prophetas, hos ego solos producere in aciem volui. Itaque Vaticinia delegi decem, atque ex illis augustam Filii Dei Jesu Christi Crucem nomine *Trunci* suo quinquies et vicies, sed quod hactenus latuit, appellatam, tanquam novum e vetustissimo cellario sumtum vexillum attuli ad praelium. Vaticiniorum auctores alii decem, alii octo seculis ante floruerunt, quam in cruce Jesus Christus, quem iidem Deum esse tum pluries, tum disertissime pronunciant, mortuus est. Qui fieri potuerit, ut non afflati homines divinitus ( id enim Increduli contendunt, atque in eo pervicacissime perstant; quod si non obtineant, eorum causa profligata et funditus eversa est ) qui ergo fieri potuerit, ut homines Deo non monstrante, neque docente, tam seram Jesu Christi mortem, mortisque adjuncta viderint, et quonam fundamento nixi pronunciare unanimes, ac tam asseveranter potuerint; illum tot post secula in cruce moriturum Hominem fore ipsum pervagato illo ineffabilique tetragrammato nomine unius Dei proprio Deum, novi nostri hostes Increduli Judaeorum in neganda Christianae religionis veritate Socii et Foederati explicent oportet. Nam de propheticorum librorum aut antiquitate, aut auctoritate, aut integritate dubitare si volent, Sociorum arma in se ipsi convertant necesse erit; quo certe bello Judaei superiores erunt. Victores vero Judaei fugando insequendoque Incredulos, in Cru-

cem quam oderunt, et in Jesum Christum Deum quem detestantur, incurrant necesse est. Quamobrem vel sponte victoria cedere, quod tum falsum, tum iniquum turpissimumque esset, vel odium Crucis ponere, ac Jesum Christum esse ipsum Deum nobiscum contra Incredulos, Prophetis ajentibus, et imperantibus, cogentur confiteri. Ita hostes omnium infensissimi Hebraei Increduli que secum ipsi a Prophetis commissi, dum alteri cadunt, alteri superiores evadunt, utrique profligantur, nobisque triumphum parant. Habes, Beatissime Pater, quo alio genere armorum instruere nostros conatus sim, et quis sperandus esse videatur exitus, quaeque summa sit ac ratio consiliorum meorum.

Ac de exitu quidem quanquam sciam, certumque sit, nullum a laboribus meis fructum percipiendum esse, nisi Deus ipse singulari sua benignitate et gratia praesto sit, ac *Truncum notum faciat, ut afferamus cor sapiens*; tamen quum saepenumero fiat, ut rebus etiam utatur extrinsecus positis ad homines excitandos et in portum salutis adducendos, eam ego considerationem non esse mihi praetereundam existimavi. Quocirca Te, Beatissime Pater, humillime exoravi, ut haec oracula de Cruce Augusto Sanctitatis Tuae Nomini inscribi, et consecrata esse, Tuisque Auspiciis prodire in lucem non dedignarere. Compertum enim erat, nullum praesidium, nullumque adjumentum ex iis quae posita sunt extrinsecus,

eo majus esse quo intelligeretur, haec Nomine et Patrocinio Tuo indigna non esse habita.

Alia praeterea non pauca erant quae ut Sanctitati Tuae liber offerretur, non solum hortabantur, sed etiam impellebant. Illud in primis quod compertum esset, si quid ostenderetur fuisse a Prophetis dictum de Cruce quod hactenus latuisset, id Tibi gratissimum et acceptissimum fuisse futurum, non modo propter summam et cuique notissimam religiosissimi Animi pietatem, quo nemo est Crucis amantior; verum etiam propter hanc ipsam Tuam omnium maximam et sanctissimam Dignitatem, qua Dei Vicarius in terris es, Dei Salvatoris nostri, qui mori in hoc ipso Trunco, quem Prophetae afferunt, hac etiam de causa voluit, ut *Te Sacerdotem magnum, qui in diebus Tuis ipsi placeres, et invenireris justus, et in tempore iracundiae fieres reconciliatio*, Ecclesiae suae praeficeret.

Jam quod in bello assolet, ut jure dimicet nemo, nisi auspiciis, venia, nutuve imperatoris sui; hoc mihi maxime curandum atque praestandum fuit. Ex quo causa erat satis honesta cur ad augustum Sanctitatis Tuae Thronum venerabundus accederem. Sunt enim haec oracula de Cruce, quibus in Hebraeos ceterosque Incredulos est dimicandum, nova et vetera: nova, quia latuerunt hactenus; vetera, quia tam antiqua sunt quam sacri veteris Testamenti ad quos pertinent libri. *Proferre* autem *de thesauro suo nova*

*et vetera*, ut Dominus in Evangelio docuit, *Patrisfamilias* est; et hujus grandis magnificaeque familiae, *pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum*, Tu Pater es, cujus thesaurus ipsae sunt divinae Literae; atque is Pater, cui nihil antiquius, nihil optatius, nihil acceptius est, quam ut qui possint collabentem improborum hominum artibus fidem excitent, argumentisque communiant; idque etiam atque etiam hortere. Aequum ergo, atque fortasse etiam necessarium erat, hos qualescunque labores meos ad sacros Sanctitatis Tuae Pedes afferri, ne manus in thesaurum immisisse, ac nova, et vetera, Te Patrefamilias inscio, protulisse videar; neve novum fere praelium cum hostibus sine auspiciis et venia Summi in Ecclesia contra illos Magistri commisisse accuser.

Ad haec *In sacris Bibliis*, Melchiore Cano teste in septimo de locis Theologicis, capite quarto, *loci sunt multi, atque adeo libri integri, in quibus Interpretum diligentiam Ecclesia desiderat*. Qui loci, quive libri sint, Canus non indicavit. Sed et in multis quos dixit, hos omnes quos declarandos suscepi, et in integris libris Canticum Canticorum esse, fortasse non temere mihi persuasi. Hos ergo ad Te, Sanctissime Pater, attuli de Hebraeo conversos, et declarationibus explicatos, inflammatus equidem cupiditate satisfaciendi desiderio Ecclesiae,

quia nihil habeo carius; sed plane ignorans, numquidnam consequutus ejus rei sim, proptereaque subjiciens existimandum admirabili sapientiae Tuae, quum omne Ecclesiae desiderium ipsum Tuum sit desiderium.

Accedit has lucubrationes meas in Apostolicis Palatiis, hoc est domi Tuae natas, et ad exitum perductas esse, de qua prodire in publicum sine Augusto Sanctitatis Tuae Nomine non audebant; ne domo turpiter fugisse potius, quam honeste exivisse viderentur.

Quid quod sine summa ingrati animi nota committere non potuissem, ut quandocunque occasio daretur illius testandi pergrati et commemorandi maxima quae in me conferre singulari Clementia Tua dignatus es beneficia, eam non arriperem, neque operam darem, ut eorum memoria non solum apud me, verum etiam apud posteros, si fieri posset, sempiterna esset? Nam et statim initio gloriosissimi Pontificatus Tui mihi principem tribuisti locum inter meos tunc temporis collegas, honestissimos viros, quorum fides et industria Tibi semper perspecta fuit in gravissimo et perhonorifico conscribendi Literas de re publica munere, et per idem tempus cum nos omnes ejusdem muneris socios ingentibus beneficiis prosequutus es, tum me in secundum ordinem praeclarissimi Vaticanae Basilicae Sacerdotum Collegii adscribi jussisti; et post optatissi-

mum Tuum in Urbem reditum, e qua pulsus infelicitate temporum fueras, praefecisti huic celeberrimae omnium terrarum orbis Vaticanae Bibliothecae.

Horum ergo tot tantorumque Tuorum in me beneficiorum simulque gratissimi animi mei ut perpetua et immortalis memoria perseveraret quum maxime cuperem, eam sacrosanctae Filii Dei Cruci de Vetere Testamento cum nomine suo defossae, ac Sanctitati Tuae inscriptae et consecratae commendandam esse existimavi. Mihi enim nec melior ulla, nec opportunior offerri posse videbatur occasio commemorandae Tuae in me Beneficentiae et Liberalitatis hac qua ederentur Vaticinia de Cruce.

Sed haec a Te, Beatissime Pater, in me tam benigne atque clementer gesta, quae mihi ad declarandos grati animi sensus commemoranda erant, neque praeterire silentio sine culpa potuissem, si me quidem aspiciam, maxima sunt: si autem oculos attollam altius, illosque ad ea convertam quae et pro Ecclesia, et pro Rep. gessisti, quorum aliquando magna ex parte et testis et conscius, antequam in vulgus efferrentur, fui; proh Dei atque hominum fidem! quemnam in locum veni! Nam et illa dicere percupit animus, et dici non sinit modestia Tua; et, si sineret, permulto majora sunt, quam oratione mea persequi apte digneque possim. His circumsepto angustiis quam aegre mihi ferendum est, totam hanc tantamque provinciam oportere posteritati relin-

qui! Ea certe de Te; Beatissime Pater; nullo unquam tempore conticescet: ego vero, quod reliquum est, vota dumtaxat mea pro incolumitate ac felicitate Tua ad Ecclesiae Catholicae utilitatem, pacem, tranquillitatem, atque solatium afferre satis habeam necesse est, Pedibus Sanctitatis Tuae humillime provolutus, eosque devotissime osculans. Iis de rebus Deus mihi semper oratus exoratusque esto.

E Bibliotheca Vaticana
Prid. Kalend. Decembris MDCCCXVI.

# MONITUM AUCTORIS.

In lucem prodire hic Liber debuisset paucis post mensibus quam Gallorum copiae postridie Kalend. Februarias novem abhinc annis Urbem occupaverant. Censores a Rmo P. Sacri Palatii Apostolici Magistro delecti fuerunt (a) Viri duo gravissimi atque doctissimi, alter FRANCISCUS FONTANA., qui tunc temporis erat *Praepositus Generalis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum*, *A secretis Congregationis Libris Orientalibus recognoscendis*, *ac Consultor S. Officii*, *et Sacrorum Rituum*; nunc ob summa sua merita omnimodamque virtutum laudem, gratulatione plausuque omnium ordinum est AMPLISSIMUS S. R. E. CARDINALIS; alter *Aloysius Lambruschinius Cler. Reg. S. Pauli*, *Sacrae Theologiae*, *et Linguae Sanctae Professor* tunc apud suos, nunc autem *Episcoporum Examinator*, *Supremae ac Generalis Inquisitionis S. Officii Consultor*, *et A secretis Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Praepositae*. Hi, lecto Libro, cum *nihil obstare*, quominus ederetur, suis subscriptis nominibus testati sunt, alter die 20 Aprilis 1808, alter xi. Kalend. Jun. ejusdem anni; tum datis Approbationibus suum protulerunt de Opere judicium quas hic juxta ordinem habes temporis, quo datae fuerunt.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

*Benedictus Fenaja Congregationis Missionis*
*Archiepisc. Philippensis Vicesgerens*.

(a) E' pregato il Rmo P. D. Francesco Fontana Generale de' Barnabiti di rivedere il presente Manoscritto, e dello stesso favore il M. R. P. D. Luigi Lambruschini dello stesso Ordine, Lettore di Teologia.

Fr. Gio: Battista Chiesa de' Predicatori Maestro Cattedratico Casanattense, Consultore de' SS. Riti, e Compagno del Rmo P. M. del S. P. A.

## APPROBATIONES.

*Vaticiniorum hactenus de Cruce incognitorum* interpretationem, et declarationem a Viro cl. Francisco Antonio Baldio ex hebraeo peractam, cum de mandato Rmi S. A. P. Magistri attente perlegissem, non potui sane, quin illam et laudibus maximis, et adprobatione dignissimam censerem. In ea quippe tam delecta, tamque recondita rerum Sacrarum copia cum tanta graecarum, hebraearumque Litterarum scientia conjuncta elucet, ut nihil omnino doctis Viris desiderandum superesse videatur.

Vox כֵּן, quae tam saepe in Sacris V. T. paginis occurrit, illa est, quae doctissimis istis lucubrationibus et occasionem dedit, et fundamentum. Ipsam enim, quae in primis praesertim Geneseos capitibus, et alibi passim pro particula recte sumitur, ac explicatur, significationem insuper Trunci habere posse, aptamque idcirco esse ad SS. Redemptoris nostri J. C. Crucem designandam, eruditissimus Vir gravissime demonstrat.

Ac jure quidem. Vox quippe illa vel *directe*, ut probabilius videtur, vel saltem *indirecte* per verbum כון a radice כנן, cum qua ipsum כון unum, idemque fit in *Pinghel*, ortum habere, ratum omnibus, exploratumque est.

כנן vero, atque ab eo deductum כון quamquam plerumque a recentioribus Lexicographis *aptandi*, vel *disponendi*, vel *dirigendi*, vel *constituendi*, vel denique *stabiliendi* vim, significationemque suscipiant, si tamen ratio habeatur, quemadmodum haberi debet, ad affinia idiomata, Syriacum praesertim, ac Aethiopicum, vocem illam *existentiam* generatim designare statim deprachenditur. Cum ergo vox כֵּן, quam nominis *substantivi* formam, ac sensum induere posse, nemo certe negaverit, ab illa ipsa radice, quae *existentiam* exprimit, oriatur; ipsa quoque rem existentem designet oportet; et quidem non rem, aut existentiam quamlibet, sed illam omnino, quae peculiari radicis suae significationi respondeat. Atqui radix nostra *plantare* significat, ut Syri universe testantur. Itaque nomen substantivum כֵּן truncus a Baldio rectissime vertitur; cum truncus a planta revera sit.

Neque Grammaticae rationes solum, verum et ingeniosissimae cl. Viri observationes secundum severissimas critices leges institutae ita in illis decem explanatis oraculis voci כֵּן trunci significationem adserunt, ut

si aliter vox ipsa explicetur, jam de ipso oraculorum scopo, de vero, germanoque illorum sensu, deque ipsa necessaria, et optima consensione partium inter se, actum omnino sit.

Ecquid vero mirum si tempore, quo prophetiae factae sunt, quando nempe res ipsas, quas SS. Viri praedicebant, adhuc occultas esse oportebat, Vaticinium de Sacrosancta Filii Sui Cruce voci illi commendaverit Deus, quae etsi ad Crucem significandam apta fuerit, ad sensus tamen longe diversos passim detorquebatur? Id enim ipsa prophetiae indoles profecto postulabat. Laetandum nobis est potius, atque gaudendum, quod Deus tantum in cl. A. ingenium, tantamque rerum sacrarum doctrinam contulerit, ut ea ipsa oracula, quae per tot saecula incognita fuere, nunc tandem innotescant. Sed quantum in altissimis S. Scripturae studiis profecturus esset Vir cl., quamque novam semper lucem, opem, patrocinium SS. J. Chr. Religio ab eo esset susceptura, doctis universis testata jam plenissime fuerat celeberrima sua *Religionis* Christianae Apologia anno 1799. Venetiis edita, quae notissima omnibus est, et magno cum plausu excepta fuit.

Sed et alia insuper sunt in Opere isto, quae satis laudari non possunt. Si enim de accurata declarandi ratione percunctaris, in hac Baldius prorsus extitit singularis; si de ordine, nec major, nec lucidior esse poterat: si de argumenti unitate, tanta inter sese consensione partium lucubrationes istae continentur, ut jure videatur, nullum aliud adlatis vaticiniis esse proprium argumentum posse, quam quod iisdem a Baldio tributum est. In quo praeterea scribendi genere tantum excelluit Vir clarissimus, ut uno veluti ictu Judaeos, Incredulosque nostrorum temporum refellerit, atque dejecerit. Ita namque Christianae Religionis indicia, rationesque in antiquissimis V. T. oraculis agnoscit, ac detegit, eorumque authenticitatem novis semper, invictissimisque argumentis sic roborat, atque confirmat, ut illos quidem ad optatum, promissumque Messiam in J. C. agnoscendum compellat; hisce vero sacrorum librorum divinitatem fateri tandem necesse sit. Quae omnia quantam rei Christianae lucem, quantumque praesidii afferant, nemo unus non videt.

Nihil porro dico de styli elegantia, deque mira rerum varietate; nihil de singulari prorsus artificio, quae opus istud exornant, plurimumque commendant; ex quo fit, ut rebus ipsis enarratis magnam reverentiam, fidemque conciliet; nihil de nova, vereque admirabili *Cantici Cantico-*

*rum* explanatione; quae nobilissimum simul, pulcherrimumque *Carmen Dramaticum* exhibet; ubi quidem vel ipsis vocibus, sub quorum cortice lascivis, aut parum doctis hominibus, indecori aliquid antea latere videbatur, germana sua honestas, ac sanctitas adserta est: nihil tandem de sermonis, sententiarumque perspicuitate, ac soliditate, qua sic implexa pertractat, ut enodet, sic docet, ut persuadeat, sic pugnat, ut vincat. Quae profecto omnia tanta luce sua fulgent, ut aliena non indigeant.

Hinc opus non modo ab omni, vel levissima erroris suspicione vacuum, praeloque dignissimum censeo; at etiam Religioni magnopere utile, Sapientibus vero acceptissimum fore confido.

Dabam ex Aedibus S. Caroli ad Catinarios die 20 Aprilis 1808.

*D. Aloysius Lambruschini Cl. Reg. S. Pauli, Sacrae Theologiae, et Linguae Sanctae Professor.*

Quum duae res sint, ut S. Augustinus monet, (de Doctrina Christiana Lib. I. Cap. I.) *quibus nititur* omnis *tractatio Scripturarum*; *modus inveniendi quae intelligenda sunt, et modus proferendi, quae intellecta sunt*: utramque Vir. cl. Franciscum Baldum egregie praestitisse in ejus Opere, cui titulus est: *Incognitorum hactenus Vaticiniorum de Cruce ad Pium VII. Pont. Max. Interpretatio ex Hebraeo, et Declaratio*, mihi videor posse et sine metu erroris, et sine adsentationis periculo testari. Id autem ipsum aliis perinde visum iri non dubito, quicumque attento illud, ut par est, animo, et praejudicatis opinionibus vacuo, perlegerint, et cum eximia illa optimi Scripturarum Interpretis specie, atque forma, quam ibidem Sanctissimus Doctor effingit, diligenter contulerint. Nihil quippe eorum, quae ad absconditos, sive perscrutandos, sive exponendos, illarum sensus necessaria ibi adstruuntur, in Auctore Nostro desiderari comperient; non pietatem flagrantem, non criticen exactam, non ratiocinandi vim exquisitam, non plurimarum rerum cognitionem, non linguarum scientiam penitissimam, non denique eloquentiam divinorum eloquiorum dignitati, atque excelsitati congruentem; quorum nimirum omnium nobile jampridem specimen praemiserat in altero suo percelebri Opusculo *de Apologia Catholicae Religionis*. His porro praesidiis instructissimus Vir, et jam tot annos Sacrorum Librorum studio, ac meditationi unice deditus, non poterat

(qua est ingenii perspicacia, solertia, soliditate) non novas, aut potius antehac absconditas maximi momenti interpretationes invenire; et non eas, tum proprias, et necessarias, tum inter se, et cum reliquo Verbo Dei cohaerentes, ostendere, atque adserere. Haec quidem inventa omnia quum mihi admirabilia acciderunt, tum nullum admirabilius, quod reliquis viam veluti munivit; Crucis scilicet in tot Veteris Testamenti locis, quae nunquam expresse reperiri in ipso hactenus credebatur. Jam vero *Crux Domini Nostri clavis fuit* (inquit Aug. in Psalm. XV.), *qua clausa aperirentur*. Minus igitur jam est mirandum, quod hac inventa potuerit Auctor Noster tot intimiora Scripturarum adyta penetrare, tot reconditiores thesauros recludere; ex iisque tot opes ad magis magisque Catholicae Religonis studium locupletandum, tot arma ad eam contra acerrimos ejus hostes, Hebraeos praesertim, vindicandam, expromere. Atque utinam et vita ei suppetat, et otium, ad alia Opera ejusdem generis, quae pollicetur, absolvenda! Hoc interim in lucem, qua dignissimum est, prodeat tandem, si Rmo P. Magistro S. P. A. videbitur, cujus mandato quum illud expenderim, omni prorsus labecula, quae puritatem sive morum, sive Religionis vel minimum inficere possit, carens deprehendi.

Dat. in Collegio S. Caroli ad Catinarios xi. Kalend. Junias MDCCCVIII.

*D. Franciscus Fontana Praepositus Generalis Cler. Reg. S. Pauli Barnabitarum, a Secretis Congregationis Libris Orientalibus recognoscendis, ac Consultor S. O., et SS. Rituum.*

Horum igitur summorum Virorum cognitis sententiis, data fuerat per Praesides Operis imprimendi facultas consueta illa formula,

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Vincentius Pani Ord. Praed. Sacr. Palat. Apost. Magister.

Sed ea brevi consequuta sunt tempora, quibus praestare visum est, si differretur. Est autem apud nos Lex sapientissima, Libros quorum edendorum facultas concessa fuerit, si diuturnum a concessione intercesserit tempus, oportere iterum Censurae subjicere. Haec itaque cura clarissimo et eruditissimo Viro *Josepho Vincentio Airentio O. P. Theologiae Mag.*, *Theologo*

*Catabattensi*, *et Genuensis Academiae Bibliothecario Honorario* a Rmo P.S.P.A. Magistro nuper mandata fuit.

Manum operi Typographus admoverat, jamque pars non modica excusa erat, quum laborare ex oculis adeo graviter coepi, ut emendandis typothetarum sphalmatis impar omnino essem. Delata res fuit ad optimum et praestantissimum Virum eundemque amicissimum, *D. Sixtum Abbatem Benignium Sacri Ordinis Cisterciensis Procuratorem Generalem*, qui singulari humanitate suaque sponte, non solum ea sese onerare molestia voluit, verum etiam socium Virum summa ingenii et doctrinae laude praestantem, itemque amicissimum, *D. Malachiam Leonium Cisterciensem*, *Theologiae Magistrum*, *et Sacrae Congregationis Indicis Consultorem* adhibuit. Qua Liber humanitate a duobus praeclarissimis Viris exceptus fuerit, ex literis quas re perfecta, e Thermis Diocletiani ad Vaticanum ad me dederunt, intelligi poterit. Eas literas huc afferre operae pretium duxi, ut et illorum de Opere judicii, et grati animi mei, suavissimaeque necessitudinis memoria superesset.

I M P R I M A T U R,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

*Candidus Maria Frattini Archiep. Philipp. Vicesg.*

A P P R O B A T I O.

Jussu Rmi Patris Magistri S. P. A. Librum Viri claris. Francisci Antonii Baldi, qui inscribitur = *Incognitorum hactenus Vaticiniorum de Cruce ad Pium VII. Pont. Max. interpretatio ex Hebraeo*, *et Declaratio* = attente perlegi. Non modo in ipso nihil censura dignum reperi, sed vel potius admiratus sum, quam erudite, subtiliter, eleganterque ibi disseratur de Vaticiniis Crucis, ac de futuro Ecclesiae statu post Antichristi cladem, quam quidem in rem etsi non omnes omnino consentiant, omnibus tamen summum Auctoris erga Religionem obsequium probatum fore non dubito. Perperam ergo atque injuria increduli Ecclesiam carpunt, quod Crucis triumphum veluti a Regio Propheta praecantatum concinat, cum idem Auctor nedum in Psalmorum, sed et in aliis Veteris Testamenti Libris plura saepe de Cruce praenunciari co-

piose ostendat. Hoc Vaticinium vero legitur in versione *Itala antiqua*, ac in Psalterio Romano, Arbejeusi, Carnutensi, ac praeclarissimo Parisiensi, quo utebatur S. Germanus, necnon in codice optimae notae Capituli Veronensis, Graeco et Latino idiomate expresso. Mirum praeterea non est varia Crucis signa Hebraeis olim venerabilia fuisse, ut ex monumentis illius nationis comprobavit Theodorus Dassovius in Thesibus Wittembergae editis ann. 1695. Hunc itaque Librum dignum, qui typis edatur, existimo.

Romae in Aedibus S. Mariae super Minervam idib. Novemb. anno MDCCCXVI.

*Fr. Joseph Vincent. Airenti O. P. S. T. M. Theolog. Casanat., et Genuensis Acad. Bibliot. Honorarius.*

In eandem fere sententiam alius ejusdem Ordinis Vir cl. et eruditissimus, qui nuper eodem jussu iterum recensuit Librum, novem abhinc annis subscripserat his verbis, *Nihil obstat*.

*Fr. Mauritius Bened. Olivieri S. Th. Magister Ord. Praed. Hebr. Ling. in Rom. Archigymn., et Graecae in Collegio de Propag. Fide de Urbe Professor.*

Illmo, e Rmo Signore.

Non perderò mai la memoria dell'onore, che Ella mi ha fatto nel momento stesso che sortivano dal Torchio tutti li Fogli della sua Opera sopra li Vaticini della Santissima Croce; ho avuto in tal guisa tutto il commodo di ammirare le bellezze della medesima, la sua gran perizia nelle Lingue Orientali, e le immense fatiche, che ha subito per dare alla Chiesa Cattolica un nuovo lustro con questa sua nuova produzione, che quanto più inaspettata, tanto più deve riuscire gradita a tutta la Classe degli Eruditi. La nuovissima interpretazione del Cantico de' Cantici, la facilità di esporne tutti i più difficili passi, il non mai interrotto intreccio delle Profezie, che in Esso va Ella discuoprendo, ed adattando ai tempi, che decorreranno nel Regno dell'Anticristo, formano un'unione così bella di cose, che le faranno un'Onore grandissimo presso tutti. Se non fosse stata a di Lei carico, dovrei ringraziare la malattia, che le sopravvenne, e le impedì di ba-

dare alla Stampa dell' Opera, giacchè alla sua malattia sono io obbligato, e dalla malattia riconosco il piacere, che ho goduto.

Il P. Maestro Leoni, che in mia Compagnia ha letto, ed ammirato l' Opera, unisce ai miei li suoi sentimenti, e non cessa a piena bocca di commendarla in tutte le occasioni, che se ne danno, e mi prega a distintamente ringraziarla per avergliela fatta gustare prima del Pubblico.

Desidero io occasioni di mostrarle la mia gratitudine, e con vera sincerissima stima ho il piacere di rassegnarmi

Dal Monastero di S. Bernardo alle Terme Diocleziane 26. Novemb. 1816.

*Suo Dmo, ed Obbmo Servitore vero, ed Amico*
D. Sisto Abate Benigni Procuratore Generale del Sacro Ordine Cisterciense.

Confermo a V. S. Illma, e Rma li sentimenti esternati dal P. Rmo Procuratore Generale Benigni, le contesto le mie eterne obbligazioni, ed encomierò sempre un' Opera, che ho letta colla massima mia Compiacenza, rassegnandomi con vero rispetto

*Suo Dmo, ed Obbmo Servitore*
D. Malachia Leoni Cisterciense Maestro di S. Teologia, e Consultore della Sagra Congregazione dell' Indice.

I M P R I M A T U R,

Fr. Philippus Anfossi Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apostol. Magister.

# PRAEFATIO.



## I. *Quid hoc Libro afferatur*.

1 Quod a Christianis Herban judaeus duodecim abhinc seculis jactancter postulavit, neque a quopiam hactenus factum erat, ut vaticinia proferant de Jesu Christi cruce, ac dicant, quinam Prophetae de illa nominatim, clare, atque distincte loquuti sint; id satis abunde factum esse hoc Libro, jure mihi videor sperare posse (1). Decem enim vaticiniis, quae sola (quum alia etiam extent) eo declarare atque illustrare aggressi sumus, augustam Filii Dei crucem solo, et illius proprio, semperque a Prophetis de ipsa vaticinantibus adhibito nomine Hebraico עץ, *Chen*, Latine *Truncus* appellatam, e Vetere Testamento non semel, aut bis, terve; sed quater et vicies offerri posse doctorum hominum considerationi judiciisque censuimus.

2 Quaenam ergo ea vaticinia sunt, quinam Prophetae? Sic enim Judaei interrogabunt, quibus sententia stat, ejusmodi vaticinia proferre in medium, et nominare Prophetas ipsos, rem esse a Christianis omnino desperandam, planeque profligatam. Respondebimus, opinor, interim quidem atque hoc tempore, integros esse Psalmos quatuor, et alterius praeterea

(1) Vide D. Gregentii disput. cum Herbane judaeo in Biblioth. PP. Tom. XI. pag. 599. Edit. Ven. & Prolegomena nostra infr. §. XVIII.

partem versibus constantem decem; atque in illis sacrosanctam Crucem suo illo nomine *Chen* undecies nominatam esse (1). Isaiae praeterea Capita integra tria, in quibus septies; tum Habaccuci totum Caput primum, in quo quinquies; et denique Canticum Canticorum, in quo semel nominata est. His addere oportet Psalmi locum, quo tanquam epigraphe initio Libri usi sumus, *Truncum notum fac, ut afferamus cor sapiens*, qui Psalmus alias a nobis declarabitur, si quidem Deus dederit, ut institutos labores nostros ad exitum perducere possimus: habebuntque ab hoc Libro, ut spero, Judaei quinque et viginti praeclara et distincta Prophetarum de Jesu Christi cruce nominatim testimonia; quae ad convincendos item novo armorum genere Judaeorum socios et foederatos Incredulos, plurimum poterunt.

3 Quinam vero illi Prophetae sint, perfacile utrique cognoscent. Nam exceptis duobus Psalmis, eoque cujus partem tantum afferimus, quorum auctores incogniti sunt, reliqui Prophetae nomen suum vaticiniis suis praeposuerunt. Ille ipse Psalmus e quo epigraphen sumsimus, Mosis est. Quamobrem Judaeis postulantibus ut dicamus, quinam Prophetae de cruce Jesu Christi nominatim, clare, atque distincte vaticinati sint; respondere, ut equidem arbitror, poterimus, vaticinatos esse plane ita ut Judaei postulant, Mosem, Davidem, Salomonem, Isaiam, Habaccucum, praeter quosdam alios quorum latent nomina: et hos ipsos Mosem, Davidem, Salomonem, Isaiam, Habaccucum, incognitosque Prophetas tam fuisse fide in Messiam christianos ante Jesum Christum, quam ne ipsi quidem

(1) Horum Psalmorum initia in editione Vulgata sunt: 1. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*. 2. *Eructavit cor meum verbum bonum*. 3. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis*: 4. *Nisi Dominus aedificaverit domum*. 5. *Beati immaculati in via*.

post illum plerique nostrum sumus. Adeo magna, sublimia, omni admiratione majora sunt quae de Dei Dominique nostri Jesu Christi cruce dixerunt.

*II. Sacrosanctam Filii Dei crucem ex Hebraeorum textu fuisse effodiendam. Orta inde necessitas interpretandi ex Hebraeo vaticinia de cruce, et declarandi.*

Sed, ut veniamus ad nostros, augustum illum Truncum in versionibus sacrorum Librorum, quae hactenus permultae paruerunt, frustra quis quaerat. Itaque ex ipso codice hominum Crucis inimicissimorum effodiendus fuit, Judaeorum. Quod sane optime cadit, ut Christiani Dei nostri crucem ab Judaeis necopinantibus in manus pro armis acceptam, in ipsos nihil tale timentes aut exspectantes convertamus. Orta est ergo inde necessitas interpretandi ex hebraeo sermone vaticinia in quibus Prophetae de Cruce loquerentur, eademque declarandi et illustrandi. Nova enim versio necessaria erat, ut ab omnibus cognosci possent. Quae quum aliquam semper habeat obscuritatem tum propter magnitudinem rerum, tum propter ipsum loquendi genus non raro a consuetudine diversum nostrorum temporum, declarationis eget. Qua ratione utrumque praestitum sit, dicendum est.

*III. Tria quae interpretando sequuti sumus; ac primum de fide.*

1 Itaque interpretando tria maxime sequuti sumus, fidem, unitatem rerum, perspicuitatem. Fides duo postulabat; alterum ut omnia solaque verba Scriptoris peregrini interpretaremur ita ut ab ipso conscripta sunt, nullo prorsus verbo addito, nullove detracto, aut quavis ratione mutato; nisi siquid

forte librarii manu erratum est, quod evinci possit, non ita fuisse ab auctore scriptum: alterum ut verbis auctoris eae tribuerentur significationes, quas constans omnium seculorum consensio inde a tempore quo Scriptor vixit ad hanc usque memoriam docuit illis esse tribuendas. Ac nos in utraque parte fuisse accuratissimos et religiosissimos, non modo docti viri, sed ipsi etiam rudes nosse poterunt. Nam quandocunque ob perspicuitatem exprimendae fuerunt ellipses Hebraeis Scriptoribus usitatissimae aut verbi subtantivi, aut quorundam participiorum, aut verborum *inquam*, *inquit*, similiumve, haec semper diversis literis describi curavimus. Quae hoc modo scripta non sunt, ea voces habent hebraeas eadem significantes: cujus rei testes esse poterunt quicunque vel levissime sint hebraicis literis eruditi. In significationibus autem verborum persequendis adeo diligentes fuimus, ut quandocunque propter unitatem rerum et sententiarum discedendum fuit ab illis significationibus quas alii Interpretes adhibuerunt; id nunquam a nobis factum sit, nisi citata concordi doctorum virorum auctoritate illas ipsas verbis tribuentium significationes quas delegimus. Qua quidem in re opus compendio fuit. Nam quotus quisque nescit, verborum significationes a natura disci non posse, verum opus esse traditione et disciplina hominum sive scripto, sive oretenus communicata? Verba enim nihil nisi signa sunt, quibus conventione hominum certae quaedam notiones animique sensus indicantur. Quae conventio quum libera initio esset, postea necessaria effecta est; ut qui aut loqui, aut scribere vellet sic ut intelligere homines possent, is uti deberet illis verborum significationibus, quae propriae illorum communi consensu constitutae, communi etiam consuetudine hominum probarentur: quod qui non faceret, is plane desipere judicaretur. Ex quo fit ut linguas ediscere propemodum nihil aliud sit, nisi nosse memoriaque retinere quidquid a gentibus,

quae illis utuntur, de verborum suorum significatione constitutum est. Sic quum verba sint *Lehem*, et *Artos*; illud quidem hebraeae linguae, hoc graecae; is qui discere illas linguas volet, oportebit ut discat quid de significatione verbi *Lehem* ab Hebraeis, et *Artos* a Graecis constitutum fuerit. Et quum norit, memoriaque retinuerit, constitutum ab iis fuisse, ut ita diceretur is qui a nobis dictus est *Panis*, idque fecerit in aliis quoque utriusque Sermonis vocibus, tunc eas linguas dicetur didicisse. Quod sane nosse non poterit nisi traditione et disciplina. Haec igitur traditio tunc orta et oretenus pervagata, quum primum vulgo hebraice loqui coeptum est, ad nos usque pervenit, et scripto etiam a doctissimis viris excepta est, et denique summo studio et diligentia collecta, et in eos libros conjecta quae Lexica nominantur. Quorum de auctoritate non magis dubitare liceat, quam homini Italo, aut Gallo, Hispanove, aut cujusvis alterius gentis de Lexicis linguarum suarum, de quibus nemo dubitat. Nam ut hae Gentes testes sunt, id ab ipsis de verborum suorum significationibus constitutum inde ab initio fuisse quod est in illis libris descriptum; sic testis est Hebraea gens per universum diffusa terrarum orbem, id ipsum quod hebraicis Lexicis continetur, a majoribus suis fuisse constitutum, seseque perpetua traditione ab eo tempore quo lingua vulgo florebat, oretenus accepisse.

2 Hujus traditionis tenacissimos esse oportet interpretes, qui nimirum tantum habebunt fidei quantum illam persequentur. Qua quidem in re diligentiam nostram nemo, ut opinor, desiderabit. Nostris enim declarationibus ubicunque aliquid aliter quam ceteri interpretati sumus, et res postulabat, ut interpretationis ratio redderetur (in qua ratione reddenda vis omnis posita est versionum criticarum, quales sunt nostrae) semper Lexicon citatum est. Et quia infiniti fuisset operis et laboris omnia citare Lexica, compendium factum est, adhibi-

tumque illud potissimum quod Romae a clarissimo viro Josepho Montaldo paucis abhinc annis editum est; ut omnis de Lexici auctore suspicio tolleretur. Quo quidem compendio nihil est perditum. Sunt enim hi libri, ut omnes sciunt, hujusmodi, ut unum qui norit, omnes noverit. Quod ipsum est opportunissimum ad cognoscendum vel ab uno, spectato illo quidem atque probato, consensum omnium eruditorum, totiusque antiquitatis. Eruditis doctisque viris supervacanea videri poterit tanta diligentia. Sed qui animadvertere volent, id mihi maxime curandum fuisse, ne ulla cuiquam dubitatio de fide interpretationum superesset, quae sacrosanctam Crucem nomine ipso suo e Vetere Testamento *notam facerent*, idque hoc consilio; ut non solum Hebraei, sed etiam ceteri omnes quibus item invisa sit, *cor sapiens afferant* ad Deum; ii nullam mihi diligentiam fuisse praetereundam facile concedent.

## *IV. De unitate.*

1 Sequitur ut de unitate dicamus, quae altera est e tribus rebus quas interpretando sequutos esse maxime diximus. Mihi quidem facilius, ut ita dicam, persuaderi posset, nullos libros esse divinos, quam eos qui sint habendi divini, non esse in suis argumentis ordinatissimos. Quae res si non semper in versionibus apparet, nunquam ego existimavi propterea licere mihi putare, ne suspicari quidem, sacrorum librorum auctorem Deum quidquam indistincte, confuse, perturbate dixisse. Itaque in omni interpretatione nihil mihi antiquius est, quam ut videam; num ex omnibus verborum propriis significationibus is delectus haberi possit, e quo argumenti unitas sponte sua exstet, ac veluti efflorescat. Id mihi tum alibi, tum in his de Cruce vaticiniis videor esse consequutus: aliorum tamen malo esse judicium, quam meum.

2 Ex eo factum est, ut in argumentis vaticiniorum constituendis fere semper a sententiis novorum Enarratorum fuerit discedendum. Nam Patres vel ab ipsis nostris explicationibus cognosci poterit, veras de argumentis sententias habuisse; a quibus, nescio quo pacto, recentes nostros Enarratores discedere delectat. Quamobrem a nostris et argumentis, et declarationibus, ipsaque vaticiniorum interpretatione cognoscere licebit, nos quidem in ipsis vaticiniis propria verborum significatione deductos Crucem nominatim collocasse; sed argumenta in quibus a Patribus traditum est versari Prophetas, esse ipsa argumenta nostra, verissimeque dici posse, sententias Patrum a nobis ulterius esse promotas et confirmatas; non, ut ab aliis persaepe, relictas, et novis opinionibus oppressas. In quo, licet indocti, illud fortasse fecimus quod Dominus dixit, *Omnis scriba doctus in Regno caelorum*, quae est Ecclesia, *similis est homini patrifamilias, qui de thesauro suo profert nova et vetera* (1). Cum id fecisse videmur, tum hac methodo, quam diximus, admirabilem orationis Prophetarum ordinem, argumentorumque unitatem, etiam ubi a plerisque hac de re desperabatur, ostendisse.

3 Quo facto fortasse divinos Libros quorundam hominum reducimus in gratiam, qui profanos Scriptores sacris anteponunt; leguntque libentius Pindari et Horatii odas, ac Demosthenis, et Tullii orationes, quam Davidis psalmos, orationesque Prophetarum: quasi hi obscurum, humile, inelegans ingenium prae se ferant; illi praeclarum, nobile, divinum. Cui quidem rei non parvam praebuerunt nonnulli Enarratores occasionem. Accidit enim plerisque libros ipsorum consulentibus illud quod Castellae Regi Alphonso accidisse, memoriae pro-



(1) Matth. XIII. 52.

ditum est. Cui quum universi structura describeretur juxta ordinem partium quem sibi Ptolemaeus effinxerat; rex autem, vir scilicet acutissimus, admiraretur tantam inesse perturbationem, quantam ne ipse quidem sineret, si mundum condere debuisset, mirifice exclamavit, sese, si Deo quum mundum condidit affuisset, futurum fuisse auctorem, ut alia ratione, multoque ordinatiore ac praestantiore crearet. Erat scilicet causa cur illam rerum omnium perturbationem admiraretur; cur eandem Deo tribueret, causa non erat; recteque omnino se gessisset, si quae putavit Deum nullo apto rectove ordine composuisse, ea putasset esse commenta Astronomorum. Qui quum non essent assequuti quae fecisset Deus, fecisse voluerunt quae ipsi ex omni parte indigesta, male apta, et mirum in modum perturbata confinxerunt. Enimvero statim atque majore studio, diligentiaque acriore universi structura ab Astronomis non instituta, sed quaesita est, tota illa Alphonsi regis de Deo non admodum praeclaro mundi conditore exclamatio depulsa est. Quanquam ne sic quidem omnis ab Astronomis depulsa est de universi structura dubitatio. Nimis enim exigua est haec mundi pars quam contemplari hominibus licet. Quem si totum intueri, et numeros ipsos, pondera, mensuras assequi possemus, quibus totum aedificium, cujus nec fines nec figuram novimus, cum singulis suis partibus compositum et coagmentatum est; miraturos esse arbitror, homines in terris veluti in angusto quodam caecoque carcere conclusos, neque inde unquam egressos, quidquam certi observationibus tantum suis de universi systemate assequutos esse, existimare aliquando potuisse.

4. Et quoniam astronomicarum rerum incidit mentio, illud mihi videor verissime esse dicturus, patere hominibus, si quidem velint, non minorem optimarum et maximarum cognitionum campum, quae adhuc ignotae jacent atque neglectae, a contemplatione sacrarum Literarum, quam Astronomis a con-

templatione caelorum tanta cum ipsorum laude patuerit. Non intelligunt homines quantam Deus sapientiam in Libros effuderit, qui res habent ab eo revelatas! Quas si diligenter inquirerent, curarentque hoc aedificium nosse, quod ab orbe condito institutum, ac usque ad interitum omnium hominum staturum, a Prophetis et Apostolis per partes et tempora descriptum est; profecto tot tantasque res detegerent, quot ne in Astronomia quidem detexerunt; faterenturque admirabilem quidem esse Dei sapientiam, quam condendo mundi aedificio patefecit; verum hanc multo admirabiliorem esse, quam hoc alio revelando Aedificio manifestavit (1). Sed plerique sacros intuentur Libros quo modo rudes et agrestes homines intuentur caelum. Qui nihil scilicet in caelis arbitrantur esse praeter id quod caeco illo intuitu vident. Quod ipsum quidem pulcherrimum est. Quid enim esse non tale potest, quod Deus fecerit? Verum ab omni eo, quod caeli praeterea patefaciunt, incredibili quodam modo diversum atque remotum. Sed haec fortasse alias: nunc ad rem nostram redeundum est.

## *V. De perspicuitate.*

Tertia erat perspicuitas, quae in hoc maxime posita est, ut dicatur quidem illud solum quod Scriptor dicit quem interpretamur, dicatur autem ita, ut quod in mentem venire debuit hominibus qui lingua loquebantur qua ille scripsit, idem nostris interpretationem legentibus, eodemque modo venire in mentem debeat. Nihil est enim aliud interpretatio, nisi ver-

(1) *In sacris Bibliis loci sunt multi, atque adeo Libri integri, in quibus interpretum diligentiam Ecclesia desiderat, in quibusque proinde juniores possent et eruditionis et ingenii posteris ipsi quoque suis monumenta relinquere; in illis etiam quae antiquorum sint ingenio ac diligentia elaborata, nonnihil nos Christiano populo, si volumus, praestare, et quidem utilissime possumus.* Melch. Can. De Loc. Theol. Lib. VII. Cap. IV.

borum alicujus linguae in verba alterius linguae permutatio, manente sententia. Cui regulae illi maxime adversantur qui nova interdum verba confingunt nostris nunquam audita, interdum ipsam retinent syntaxin nostris item insolentem linguae peregrinae. Nam quemadmodum Hebraei non intellexissent, si scriptores ipsorum nova procudissent verba in similitudinem contorta latini sermonis, aut ipsam latinae orationis syntaxin adhibuissent, sic Latini nihil intelligunt ab illis interpretationibus quae hac obscura diligentia elaborantur. Quamobrem curatum est, ut totum hoc obscurum interpretandi genus ab his de cruce vaticiniis abesset. Quae vero obscuritas oritur aut a brevitate sententiarum, in qua praecipui sunt Prophetae, aut ab ipsa natura rerum non paucis incognitarum, praesertim quum de futuris adhuc vaticinantur; ea declarationibus, quoad ejus fieri potuit, illustrata est. Multo enim plura postularet, quae hujus neque temporis, neque instituti esse potuerunt.

## *VI. De ratione Declarationum.*

1 In ipsis autem declarationibus illud semper servatum est, ut nihil praeteriremus. Itaque ex eo magis apparebit argumenti unitas; ipsaque singularum, et etiam minimarum partium cujusque vaticinii consensione, nexu, conspiratione, ordine sese sponte ac natura sua prodentibus, atque aliis ex aliis enascentibus perspectum esse poterit, nullum aliud esse proprium argumentum posse nisi quod iisdem vaticiniis tributum est a nobis. Quam rem nonnulli Enarratores satis inverecunde neglexerunt. Qui quum arbitratu suo constituissent quale ipsis argumentum esse videretur, ubi decursu enarrationis sentiunt, illud ipsum esse non posse verum, silentio praetereunt et praetermittunt omnia quibus eorum explicatio

ab ipsis auctoribus quos explicant evertitur. Quod quid aliud est, nisi sua pro alienis turpissime vendere, et pro divinis scriptis humana supponere? Quo crimine nescio an majus aliud admitti possit. Is autem est declarationum ordo, ut fere semper explicatio sententiae praecedat, interpretationis ratio sequatur. Ita rudes hebraearum et graecarum literarum cognoscere declarationes sententiarum poterunt, rationes interpretationis relinquere doctis. Produnt enim hae ipsae sese vocibus hebraeis graecisve quas continent, quarum nulla est in explicatione sententiae. Quanquam admodum parce illas voces attulimus, et saepe etiam literis nostratibus scripsimus, ut legere omnes possent.

2 Sed est quod in hoc declarationum negotio animadvertere oporteat. Novi enim esse non paucos qui legendi hujusmodi scripta rationem ineunt longe aliam ab ea quae recta sit. Nam sacrum ipsum Textum qui declarandus est, nulla adhibita attentione aut diligentia, vix praepropereque decurrunt; declarationes autem statim et avidissime adeunt, id tantum acriter odoraturi, nunquid insit quod ex ipsorum sententia sit reprehendendum. Ad quas quum illi praesertim qui nullum unquam in sacros Libros studium contulerunt, ac ne illos quidem ex aliqua Versione ullo vitae suae legerunt tempore, nihil afferre possint, nisi forte praejudicatas quasdam privatas suas, et falsas in re praecipue prophetica opiniones, sacris Scriptoribus ignotas; necesse est, ut in ipsis declarationibus non pauca offendant quae illis opinionibus adversentur, et illos qui sint iisdem imbuti, perpetuo latuerint. Nam ut eos qui Homerum, aut Herodotum, aut Platonem, aut Thucididem nunquam legerint, ignorare oportet quid iidem scriptum posteritati prodiderint; sic iis qui Scriptores sacros, et maxime Prophetas, nunquam attigerint, idem accidat necesse est. Sed enim tota haec quam diximus legendi hujusmodi scripta ratio fallax est

atque praepostera, panditque latissimam innumerabilibus erroribus viam. Cujus rei satis luculentum exemplum tredecim abhinc annis in lucem prodiit, biennioque post redditum luculentius fuit.

3 Recta igitur legendi ratio, si quidem Critici esse cum ratione volent, haec est, ut, neglectis initio declarationibus perinde quasi non adsint, sacrum Textum *solum* qua maxima possint attentione ac diligentia die noctuque versent, acerrimeque perscrutentur, neque ab eo discedant, nisi postquam *clare atque distincte* singula perceperint quae sacer Scriptor dicit. Haec sua qui legit faciat; cetera quae his contraria nulli fundamento innixus forte aliquando putaverit, abjiciat; nec opiniones suas, utut cum ipso consenuerint (quod Hebraeis et Novatoribus maxime accidit) sacrorum Librorum sententiis anteponat et auctoritati. Haec quum fecerit, tum demum ad declarationes accedat: quas si viderit eadem dicere quae sacer Scriptor attulerit, profecto non inveniet quod reprehendat, nisi ipsos oblique reprehendere Scriptores sacros velit. Id enim est quod illis qui praepostera illa utuntur methodo quam diximus, plerumque necopinantibus contingit. Sed haec hactenus.

### *VII. De ordine quo disposita sunt vaticinia de Cruce.*

De ordine quo vaticinia de Cruce disposuimus hoc libro, pauca dicenda sunt. Praepositis itaque Prolegomenis, quibus ostenditur quo nomine Prophetae Jesu Christi crucem appellarunt, et qui factum sit, ut eorum de illa vaticinia hucusque incognita fuerint; sequuntur vaticinia novem juxta ordinem temporum quem res quae praedicuntur habere debuissent, aut habere in posterum debeant. Nam decimum Precatio est, qua libro finis imponitur. Quae vero sint eae res, quas unumquodque vaticinium habet, ab ipsis, et eorum argumentis, et de-

clarationibus cognoscendum est, non hoc loco dicendum. Neque enim id fieri posset, nisi huc totus ipse noster conferretur liber: quod ut fiat nemo postulabit. Admirabiles certe sunt, et omni attentione dignissimae, quippe quae praecipua quaedam complectantur et maxima eventa; quibus locus esse debuerit ac debeat, ut diximus, inde ab Jesu Christi ortu, initioque Ecclesiae christianae usque ad excidium Antichristi, conversionemque populi hebraei, et omnium gentium, quae statim illum excisum consequutura est. Horum magnam partem esse jam factam, facile quivis intelliget, mirabiturque tam clare, tam distincte, tam enucleate tot seculis ante quam facta sit, praenunciatam fuisse. Ex quo qui sui compos sit, fateri cogetur, eos Libros esse divinos; aut certe Libros proferre debebit ejusdem antiquitatis neque ullo modo divinos, e quibus ipse similia didicerit de rebus longissimo post tempore futuris quam conscripti fuerunt, et quas certum sit a multis jam evenisse seculis: profiteri praeterea atque docere inventam hanc ab hominibus propheticam artem, qua verissime futura praedicere nos quoque possimus. Hostes enim divinorum Prophetarum aequissimum est eo compelli.

*VIII. Nova quaedam paucis refellitur opinio, quae sacram Scripturam hebraeam graecamque modo non esse authenticam statuit.*

1. Erunt qui nosse cupient, cujusnam sint haec vaticinia de Cruce auctoritatis, quandoquidem e solo Hebraeo textu eruta sunt, neque ex editione Vulgata cognosci ullo modo possunt. Hujus quaestionis duplex est consideratio. Nam aut quaeritur quantum habeant auctoritatis ex eo quod a nobis nunc primum eduntur, aut quantum ex eo quod de textu Hebraeo deducta sunt. Prima illa consideratio quodnam exspectare a nobis responsum et possit et debeat, est facile cognitu. Nullam enim

habebunt auctoritatem, si quidem haec ab eo erit a quo eduntur repetenda. Altera consideratio quaestioni facile item respondebit, tantum his vaticiniis esse auctoritatis, quantum cum Hebraeo textu consentiunt: illius autem textus eam esse auctoritatem, quam Ecclesia omni tempore professa est, et profitetur; hoc est summam atque divinam.

2 Nova quidem ab aliquanto tempore prorupit opinio, eaque latius serpere per animos imperitorum nititur, quae statuit hodiernas Scripturas hebraeas graecasque authenticas non esse (1). Perfacile esset, citata unanimi Patrum, Pontificum, Sedis Apostolicae, Concilii Tridentini, Theologorum, totius Ecclesiae auctoritate, ostendere illam opinionem et novam esse, et omni fundamento carere, et contra constantem perpertuamque Ecclesiae doctrinam a suis auctoribus fuisse susceptam. Sed haec facere longissimi esset operis, neque angustis Praefationis limitibus coercendi. Nam incredibile est quam multis in rebus peccent illius opinionis auctores, plerique, ipsis fatentibus, hebraeae graecaeque Scripturae prorsus ignari. Sed ne nihil dicamus, animadvertere pauca juvat.

3 Principio illud maxime peccant, quod quum afferant dubitationem de hebraeae graecaeque Scripturae auctoritate, ab eo plane divertunt, quo tota tollitur dubitatio. Maculas tantum et corruptelas hebraeorum graecorumque codicum venantur, obtrudunt, amplificant, plerasque ob linguarum ignorationem multo pluris quam oporteat aestimatas; et omnes incertas, utpote a privatis propositas doctoribus; quasi non Ecclesiae, sed privati cujusque hominis sit, atque esse debeat pronunciare, illis per ipsos utcunque cognitis, sacras Scriptu-

(1) Diserte id asserit Bonaventura Se- *ticos*, libro qui titulus *Triplex Biblico-*
tarus Magdalonius: *Addam tandem tria critica Demonstratio*, Cap. Prodr. §. II.
*Corollaria* . . . . . . *I. Hodiernos fontes* num. XXXI.
(hebraeos graecosque) *non esse authen-*

ras hebraeas et graecas authenticas non esse. Toti enim in hoc sunt, ut ostendant esse corruptas: quasi hoc ipsum de sensu corrupto judicium eorum, non Ecclesiae sit; cujus est unius de vero judicare Scripturarum sensu. Id ubi ostendisse sibi persuaserunt, illud continuo pronunciare non dubitant, non esse authenticas.

At enim tota haec ratio longissime ab eo discedit quod in hac dubitatione, si qua esset dubitatio, faciendum erat. Nam quum de sacrae Scripturae hebraeae graecaeque auctoritate quaeritur, non id agitur, sintne in his illisve codicibus quaedam maculae ac corruptelae, necne. Tota haec inquisitio abs re atque impertinens est. Illud agitur, Num Ecclesia, cujus unius est docere quae sint, quaeve non sint authenticae Scripturae, ullo unquam tempore docuerit, sacras Scripturas hebraeas et graecas, quae aliquando, nemine dubitante, authenticae habitae ab ipsa sunt, non esse amplius tales, ac suam auctoritatem judicio ipsius amisisse. Erat igitur novorum hominum non corruptelas codicum rimari; sed acta Ecclesiae proferre, quibus id pronunciaverit, atque docuerit. Haec acta ubi sunt? Ubi prostant Pontificum declarationes? ubi Conciliorum decreta? ubi unanimes Patrum, aut Theologorum sententiae? Horum nihil prorsus in Ecclesia est; imo contraria omnia; certaque atque indubitata fides est, illam quam Theologi *extrinsecam* nominant *certitudinem*, in hebraeas graecasque Scripturas ab Ecclesia fuisse collatam: quae certitudo, quoadusque ab Ecclesia quae illam contulit, non auferatur, abrogetur, tollatur, illud sine dubio, universis Patribus Theologisque docentibus, efficit, ut quae Scriptura illam habeat, ea et authentica sit, et verbum Dei certo contineat (1). Sic igitur Scriptura

* * * * * 2

(1) *Scripturae intrinsecam quidem divinitatem a Spiritu Sancto habent, verum extrinsecam certitudinem, quod a Spiritu Sancto sint, ab Ecclesia nanciscuntur.*

hebraea graecaque judicio atque auctoritate Ecclesiae hodie quoque authentica est. Novi vero doctores, si quidem recta ratione suam illam huic contrariam tueri sententiam voluissent, Ecclesiae acta proferre in medium debuissent, e quibus variatam aliquando fuisse ab Ecclesia doctrinam intelligeremus; jamque ab ea doceri quod docere ipsi non dubitarunt, eam hodie Scripturam authenticam non esse. Quod quum nec fecerint, nec facere ullo modo possint, profecto illud constat, quam longe in sua illa opinione firmanda ab eo discesserint quod ab ipsis faciendum erat.

4 Ad haec accedit, novos istos doctores, qui Tridentini Concilii decreto, quo Latinam editionem Vulgatam authenticam declaravit, mirum in modum abutuntur, non animadvertisse illud ipsum Concilium duobus in locis sacram Scripturam hebraeam graecamque ut authenticam fuisse complexum. Eorum primus est, ubi sacrosancta Synodus sese *orthodoxorum Patrum exempla sequutam esse* professa, sacras Scripturas generatim magno pietatis *affectu ac reverentia suscepit et venerata est* (1). At omnes orthodoxi Patres inde ab Ecclesiae christianae initio usque ad illud ipsum Concilium sacram Scripturam hebraeam graecamque ut authenticam habuerunt; idque disertis verbis ipsorum testantur libri. Quae Synodus igitur sacras Scripturas suscepit ac venerata est quo modo Patres, quorum exempla sequeretur, ea Scripturam hebraeam graecamque authenticam habuit.

Alter locus est Concilii decretum de impressione sacrae Scripturae. *Sacrosancta Synodus .... decernit et statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et*

*plane ut Principum leges, quae intrinsecam cogendi vim a Principe mutuantur; extrinsecam autem certitudinem, quod a Principe sint, a Praeconis voce consequuntur.* Albertin. Acroas. III. de Sacr. Script.

(1) Sess. IV. Decr. de can. Script.

*vulgata Editio, quam emendatissime imprimatur* (1). Cujus a decreti verbis illud est permanifestum, praeter ipsam veterem et vulgatam Editionem, quae paulo ante a Concilio authentica declarata erat, Synodum ipsam fateri atque docere, esse praeterea sacram Scripturam, de qua sollicita fuerit, ut quam emendatissime imprimatur. Verbum enim illud *potissimum* ejusmodi est, quod adhiberi nullo modo possit, ubi quis de una solummodo re loquatur; sed is qui illud adhibeat, de duabus, ut minimum, rebus loquatur necesse est, quarum de utraque ille quidem, sed praecipue de illarum altera statuat. Ex quo sequitur necessario, sacram ipsam Scripturam in duas classes fuisse a Concilio distributam, quarum altera vulgatam Editionem haberet, altera quidquid praeter illam Editionem Scripturae nomine appellatur. Quid est igitur quod praeter Vulgatam Scripturae nomine appelletur? Nempe ipsi in primis Fontes hebraei graecique, tum omnes omnium temporum, et omnium gentium sanae Versiones; quos libros et imprimi perutile est, et ut quam emendatissime imprimantur postulat verbi Dei quod continent religio, gravissimeque Concilium decreto suo constituit.

Fontes ergo ipsos hebraeos graecosque decreto suo sacrosancta Synodus complexa est. Et quum certum sit, sanctam Synodum decreto quo Vulgatam authenticam declaravit, nihil detraxisse de auctoritate quam in Ecclesia Fontes semper habuerunt (id enim doctissimi quique Theologi tum qui Concilio interfuerunt, tum reliqui omnes qui post eos floruerunt, testati sunt) (2) habuerint autem semper summam, maximam,

(1) Sess. IV. Decret. de edit. et usu Sacror. Libror.

(2) *Tridentini Concilii decreto nihil est de ea auctoritate detractum, quam Hebraici, et Graeci Sacrorum Bibliorum codices semper in Ecclesia habuerunt, et modo etiam habent*. Cerboni de Loc. Theol. Disp. II. Lib. I. Cap. V. Et alii passim.

divinam, quod est authenticos esse; illud etiam certum esse debet, sacrosanctam Synodum decreto de impressione sacrae Scripturae Fontes hebraeos graecosque ut authenticos esse complexam. At Fontes hebraei graecique illius temporis iidem sunt atque hodierni nostri: quum nemo ne somniaverit quidem ab eo tempore fuisse corruptos. Igitur Concilii Tridentini sententia hodierni Fontes hebraei graecique authentici sunt; qui novorum Doctorum graviore scilicet auctoritate non sunt authentici!

5 Quod si ob quasdam maculas aut menda quae in quibusdam Scripturis sint, pronunciare privatis doctoribus licebit, authenticas non esse; ne ipsa quidem Vulgata editio tuta erit ab hominum temeritate. Amplius quam centum loca Natalis Alexander commemorat, tanquam *specimen mendorum, quae in Vulgata nostra editione latina superesse videri possunt, quaeque possunt emendari, non privato quidem virorum eruditorum arbitrio, sed auctoritate Ecclesiae* (1). Neque illa tamen, si vere supersunt, neque ea quae ante Summos Pontifices Sixtum V., et Clementem VIII. vere fuisse ipsa illorum emendatio demonstrat, facultatem privatis doctoribus dederunt aut dabunt pronunciandi, Vulgatam neque ante Concilium Tridentinum fuisse, neque post illud authenticam esse. Quod siqui pronunciare audebunt, proh Dei, atque hominum fidem! quonam eos loco habere cogemur? Qui nimirum tantam inferre in Ecclesiam Dei moliantur novitatem!

Atqui nova omnino est in Ecclesia haec quae sacris Scripturis hebraeis graecisque auctoritatem abjudicat opinio. Pauci quidam homines heri et nudius tertius privato arbitrio illam attulerunt, et eorum plerique utriusque tam hebraeae quam graecae Scripturae imperiti ac rudes! Quorum de auctoritate,

(1) Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. IV. Dissert. XXIX.

praeterquamquod sibi arrogarunt judicium, quod ad ipsos minime, sed ad Ecclesiam unice pertinebat; vel ob eam causam multum detrahendum est, quia locum suspicioni relinquunt, sese timuisse, ne non satis magni esse doctores viderentur, si fateri deberent, se in sacris Libris hebraeis et graecis non esse versatos; atque idcirco sacros ipsos Libros nullius esse auctoritatis, atque indignos esse excellentium virorum studiis, qui nihil nisi auctoritatem quaerant, persuadere omnibus voluisse. Aperit enim suspicioni locum causa, qua fieri potuerit, ut minime senserint, sese idipsum facere de quo Heterodoxos rectissime accusant. Nam ut hi privato judicio divinam Vulgatae abjudicant auctoritatem contra judicium hanc certam reddentis Ecclesiae; sic illi eodem modo divinam hebraeae graecaeque Scripturae auctoritatem tollunt.

6 Sit igitur certum, nostra haec vaticinia de Cruce, quatenus in sacris sunt Scripturis hebraeis, divinam habere auctoritatem: nostram vero eorundem interpretationem tantum habere fidei, quantum cum hebraeis Literis consentiat. Quae si egregie consentiet, ut et mihi sperandum, et omnibus optandum est, nihil minus fidei, quam ipse textus Hebraeus habebit. Nam quod ex editione Vulgata nequeant cognosci, in eo adhibendae sunt traditae a Patribus regulae pro discrepantiis sacrorum Librorum Hebraei, Graeci, Latini sermonis; quas regulas paucis mirificeque vir doctissimus atque gravissimus Salmero complexus est, cui reliqui omnes concinunt Theologi. *Si quando contingeret*, inquit, *ut aliud legatur in Vulgata et Latina editione, aliud vero in Hebraicis, et Graecis codicibus, si non contradicunt, sed tantum sunt diversa, utraque lectio est recipienda, et catholico sensu explicanda* (1):

(1) Ad hanc fere hypothesin pertinent quantum ad quasdam nonnullorum verborum significationes; illud ipsum legi- vaticinia de Cruce. Nam in Latino,

*si vero contradicant sibi invicem, sicut affirmatio et negatio, quod perrarum esse solet; adhibenda est diligentia, et omnis opera ponenda, siqua ratione possimus ostendere, in speciem tantum, et non re ipsa sibi adversari . . . . . Ubi vero nulla possit iniri concordia, illi lectioni magis est standum, quae magis cum praecedentibus et consequentibus consonaret, aut quae magis conveniret cum Apostolicis et Evangelicis Literis; aut quae antiquiora et probatiora exemplaria pro se haberet; aut quae a pluribus Patribus agnita est et probata, sive sit Hebraica, sive Graeca, sive Latina* (1).

### IX. *Quae sit a vaticiniis de Cruce praecipua capienda utilitas.*

1 Quae ab his de Cruce vaticiniis provenire in Ecclesiam Dei aut possint, aut debeant utilitates, alii, et maxime illi quorum est, judicabunt. Ego vero illa paucis attingam quorum praecipue gratia meus a me labor susceptus est. Multa enim hinc et nova, et ut mihi videntur, prorsus invicta ducuntur argumenta; quorum unum contra unos Incredulos, quo esse demonstretur divina Revelatio; reliqua contra Hebraeos et Incredulos, quibus ita Christianae religionis comprobetur veritas, ut nisi plane velint esse dementes atque ridiculi, fateri omnino debeant esse verissimam.

2 Pro Revelatione contra Incredulos argumentari hoc fere modo poterimus. Multa sunt in sacris Libris hebraeis vaticinia de Jesu Christi cruce, quorum Librorum auctores certissimum

tur quod in Hebraeo. Sed in hoc praeterea illae ipsae voces habent alias significationes, quae non leguntur in Latino. Itaque diversitas est; sed ea quae illum ipsum habet auctorem qui eas voces multa significantes adhibuit, Deum. Quo magis utraque lectio recipienda est: nam utraque divina est.

(1) Salmer. Proleg. III. de Sacr. Script.

est vixisse hos sex, illos octo, alios decem, alios quindecim seculis ante quam Jesus Christus cruce interfectus est. Id ab his vaticiniis, quae hoc libro complexi sumus, in quibus illa ipsa Crux quinquies et vicies nominata est, ita constabit, ut locus esse dubitationi nequeat. Crucem ergo Jesu Christi in sacris Libris hebraeis posuerunt aut ipsorum Librorum auctores, aut hostes Crucis sive Judaei, sive Pagani, aut ipsi Christiani. Sed nec Judaei, nec Pagani, nec Christiani eam in sacris illis Libris ponere potuerunt. Reliquum est igitur eam ut posuerint ipsi Librorum auctores. At hi sex, octo, decem, quindecim seculis ante quam Jesus Christus cruce peremtus est, nullo prorsus modo scire potuerunt, illum cruce perimendum esse, nisi Deus illis id revelaverit. Necessario igitur dicendum est, id ipsis Deum revelasse. Est igitur in sacris Libris divina Revelatio.

3 In hac argumentatione quod superest probandum, illud est, nec Judaeos, nec Paganos, nec Christianos potuisse in sacris Libris hebraeis Jesu Christi crucem ponere: quod est admodum facile. Nam et conjunctim de omnibus, et seorsum de singulis comprobatur. Conjunctim quidem ex eo primum quod Judaei, Pagani, Christiani hucusque nec scivimus, nec ullo modo sensimus, Jesu Christi crucem in sacris Libris hebraeis esse suo illo nomine Trunci. Ejus autem quod quis ne esse quidem unquam scivit, quonam modo esse auctor potuit, idque scripsisse; atque ita scripsisse, ut praeclaras habeat admirabilesque sententias cum tota reliqua orationis non suae serie mirifice connexas et colligatas? Permulta sint oportet in hac rerum omnium universitate, quae in ea esse Increduli etiam, ut ceteri mortales, adhuc ignorent. Scribant igitur Increduli aliquid horum quae in mundo sint, sed esse nesciunt, atque ita scribant, ut ob illas res quas scripserint et nesciunt, eorum aliquando admirari sapientiam multa post secula debea-

mus. Quod si facere ipsi nequeunt, viri scilicet omnium hominum quot fuerunt, quot sunt, quot futuri sunt perspicacissimi ac sapientissimi; quonam modo Judaei, Pagani, Christiani poterunt fecisse, et maxime Christiani, inter quos et Incredulos, Incredulorum ipsorum judicio lege auctoritate, tantum interest scilicet, quantum inter tenebras et lucem? Nemo ergo Judaeus, nemo Paganus, nemo Christianus potuit in sacris Libris hebraeis Jesu Christi crucem ponere; quia nemo potest facere, ne Deus quidem, quod fieri non potest. In illis tamen sine dubio est; ut omnino necesse sit ab eorum auctoribus positam fuisse, qui ne ipsi quidem potuissent ponere, nisi Deus ipsis revelasset. Sacri itaque Libri a Deo revelati sunt, estque divina Revelatio.

4 Praeterea siqui Judaei, Pagani, Christiani in sacros hebraeos Libros crucem intulissent, quae in illis antea non fuisset; id facere non potuissent, nisi post Jesum Christum occisum. Nam antea qui scire poterant, eum esse cruce perimendum, quum nulla per Incredulos exstaret revelatio id quae doceret? Quod si fecissent, aliqua profecto ab eo tempore, quo fecerant, immutatio corruptioque apparere in illis Libris debuisset. Sed nullam prorsus mutationem corruptionemve fuisse in eos sacros textus allatam, in quibus crux nominata est; Septuaginta Interpretum versio, quae ante trecentos annos edita erat, planissime ostendit. Constat enim ex ea praeclare, illa ipsa hebraea verba quae illorum tempore legebantur, habentque hactenus incognita de cruce vaticinia, etiam post Jesum interemtum, hodieque legi. Hoc ipsum ostendunt aliae omnes tam graecae, quam latinae, aut alia quavis lingua ex Hebraeo ductae versiones, quae ad hanc usque memoriam postea paruerunt. Nemo igitur Judaeus, nemo Paganus, nemo Christianus quo crucem in sacros Libros hebraeos inferret, in illis quidquam aut corrupit, aut immutavit. Qua-

mobrem ne intulit quidem. Itaque ab ipsis eorum auctoribus ex revelatione oportet allatam esse.

5 Quod si Judaeos, Paganos, Christianos non conjunctim, ut fecimus, sed seorsum spectare velimus, ut quid facere potuerint videamus; eodem modo constabit, eorum a nemine in sacros Libros hebraeos Jesu Christi crucem inferri potuisse. Quid? Judaeine infensissimi crucis Jesu Christi hostes eam in Libros suos, ut minimum, quinquies et vicies intulerint? Qui nimirum si eam ibi vel semel esse aliquando intellexissent, Libros potius ipsos concremassent. Adeo gens in Jesum Christum et illius crucem capitali odio inflammata est. Quid? nonne pari odio inflammati Pagani quoque fuerunt? Terrarum orbem caede et Christianorum sanguine compleverunt, ut Jesu Christi, et ejus crucis nomen, cultus, memoria ipsa exstingueretur. Horumne quemquam in Libros hebraeos inferre crucem potuisse, quum nec quisquam eorum post peremtum Jesum veterem illam linguam norit Hebraeorum, quae jampridem in Palaestina perierat? Quod si Paganus aliquis id ausus esset, Judaei num siluissent, retinuissent, comprobassent? Annon apparere in ipsorum Libris ea de qua paulo ante dictum est, immutatio corruptiove debuisset, quam certissimum est, nunquam apparuisse?

6 At fortasse quod nec Judaei, nec Pagani hostes crucis facere potuerunt, id studiosi crucis Christiani fecere, ut sibi fidem hominum confictis Prophetarum oraculis conciliarent. Cur igitur duodeviginti secula praeterierunt, neque ullus unquam Christianus e Libris hebraeis oracula de cruce protulit, quae aliquis Christianus immisit? Atqui Judaei semper a Christianis haec oracula postularunt, certissimo argumento non esse in eos Libros a Christianis immissa. Fraudis enim potius accusassent Christianos, non oracula postulassent. Christiani vero ne provocati quidem, irrisi, lacessiti a Judaeis proferre volue-

runt? Quorsum crucem immittebant, si proferre per duodeviginti secula nolebant? Unde illorum tam diuturnum silentium? An quia existimarent, proferendi tempus nondum advenisse? Quodnam tempus videri opportunius poterat aut quo primum Crucis cultus quoquo gentium importandus erat, aut quo Iconoclastae in sacram Crucem, et reliquas imagines debacchabantur, aut quo is ipse furor paucis abhinc seculis animos Novatorum invasit? Quid? Judaei si sensissent immissam in suos Libros a Christianis crucem (quod non sentire non potuissent) annon teterrimi sceleris eos accusassent, ac falsarios et corruptores sacrorum Librorum esse ipsi etiam Judaeorum parietes, et omnia propemodum saxa conclamassent? Igitur ne Christiani quidem ullo modo Jesu Christi crucem in Libros sacros hebraeos immittere potuerunt. Id ipsum nec Paganos, nec Judaeos facere potuisse, ostensum est: et tamen in illis esse saltem quinquies et vicies expresse, discrte, praeclare nominatam, noster hic liber ostendit. Quinam igitur homines eam in illis posuerunt? Nimirum aut Increduli nostrorum temporum, ut aliquid ridiculi eorum more dicamus; aut ipsi sacrorum Librorum auctores. Qui quum vixerint sex, octo, decem, quindecim seculis, ut diximus, ante quam Jesus cruce peremtus est, neque scire ullo modo potuerint, eum ita moriturum, et ne oriturum quidem, nisi hoc ipsis Deus revelaverit; profecto aut omnibus modis Increduli desipiant ridiculique sint oportet, aut fateantur esse Libros a Deo revelatos; verissimeque ac sapientissime divinam esse Revelationem a Christianis credi.

Hoc fere modo novum argumentum, atque ut opinor ineluctabile, ad confirmandum contra Incredulos divinam Revelationem esse, ab his de cruce vaticiniis oritur.

7 Pro veritate autem Christianae religionis contra Hebraeos Incredulosque, vix dici potest quam multa argumenta ducantur. Eorum ea summa est, si Jesus Christus sit Deus, opor-

tere institutam ab eo religionem veram et divinam esse. Illum autem esse Deum, vaticiniis de cruce tam praeclare, tam diserte, tam expresse doceri, ut ante de se ipsi dubitare debeant, sintne homines an pecudes hi qui non assentiantur, quam id non confiteri. Ex quo fit, ut nisi stulti esse velimus, Christianam religionem veram et divinam esse omnino statuere debeamus.

8 Assumtionis confirmatio e vaticiniis de cruce tam multiplex est, ut fere singulae illorum voces argumenta suppeditent. Ex quo factum est, ut contenti studiosis materiem unde argumententur paravisse, maximam partem reliquerimus ipsorum diligentiae. Vix enim exitum liber invenisset, si omnia persequi voluissemus. Quo modo tamen argumenta ducenda sint, abs re fortasse non erit, saltem tyronum et exempli gratia, hic paucis ostendere.

9 Sumamus igitur Davidis vaticinium quod primo loco a nobis positum est, atque ita orditur: *Dee, mi Dee, veni! Te diluculo cupio, te sitit anima mea, te caro mea desiderat! In regione arida* sum, *et lassus aquarum inopia!* Quod ab his primis vaticinii verbis perspicuum est, dilucidum, permanifestum vel ipsis etiam caecis et omnem aversantibus lucem, illud est, a Davide amantissime ac flagrantissime rogari Deum ut veniat.

Hoc tanto desiderio manifestato, putasne Prophetam pergere cum Deo loqui? Ecce tibi statim Crucem, ad quam orationem suam convertit. *Trunce! in Sanctitate te vidi, ut viderem potentiam tuam, ac majestatem tuam!* Ubi *Sanctitas* nihil aliud significat, nisi omnium Sanctorum caelitum ordines; plane quo modo nobilium, et civium ordines Latini nobilitatem et civitatem dixerunt. Ille omnium Sanctorum coetus, qui caelum erant per crucem conscensuri, crucis ipsius potentiam ostendebat; ejusdemque majestas in tam magnifico

coetu summis perpetuisque cultae ac celebratae laudibus mirifice apparebat. Haec ut Davides cognosceret, crucem in eo coetu fulgentem, triumphale signum, sibi ostensam esse, memoriae tradidit.

Pergit porro alloqui crucem, et ab ea promanare ait insignem quandam misericordiam, omninoque tantam, tantique pretii, ut omnes omnium vitae sint ei postponendae: *Profecto melior est misericordia tua, quam vitae!* Cui quidem asseverationi occasionem dederat vidisse in illo coetu innumerabiles Sanctos, quibus vita erepta propter illam ipsam crucem fuerat. Atque hinc eam sese summis semper laudibus prosequuturum esse pollicetur: *Labia mea te percelebrabunt*.

Neque hoc dixisse contentus, sed summo erga illam crucem aestuans amore declarat quid facere constituerit quoadusque vivet: *Trunce! benedicam tibi in vita mea! in nomine tuo attollam manus meas!* Hoc est, invocato nomine tuo crucis, ut ita intelligatur quo consilio propositoque faciam, manus meas in formam similitudinemque tui sustollam, ut non solum animo, verum ipso etiam corporis gestu appareat, quam et tui, et ejus qui tibi configendus est, similis esse cupiam, velim, enitar.

Sed haec nimirum nec sibi proponere, nec facere posse sentiens, nisi illa ipsa de cruce promanans misericordia illi praesto esset, *Tanquam adipe*, pergit, *ac pinguedine* corpora complentur ac saturantur, ita illa misericordia *saturetur anima mea, ut labiis maxime exsultantibus* te, Trunce, *laudet os meum*.

Quid illa quae continuo sequuntur, quibus profitetur, non esse sibi in deliciis commoranti, aut in mollibus cubanti stratis commemorandam crucem, sed per diuturnas vigilias in ipsam meditandum? *Te ne commemorem super stratis meis? per vigilias meditabor in te*. Quid quod crucem sibi auxilio esse prae-

dicat, atque idcirco adumbranti efformantique sibi gestu, et reliqua corporis sui compositione crucis alas, ejusdem laudes celebrandas esse? *Quandoquidem auxilio es mihi, cum adumbratione quoque alarum tuarum laudabo*. Illa vero, *Adhaeret Anima mea tibi! apprehendit me dextera tua!* quis satis explicet digne? Nam prae amoris magnitudine erga illum qui huic, quam laudat, cruci configendus erat, illum *Animam suam* appellat: illum adhaerentem atque confixum videt cruci, cujus dextera, virtute, potentia, vi sentit se apprehensum, e tenebris erutum, e mortis faucibus ereptum esse. Neque hoc solum, sed suam etiam ipsius animam cum illo eidem cruci adhaerentem atque confixam sentit.

10 Haec de cruce, atque hoc vaticinio Davides; quae quis demum tam vecors et stolidus sit, ut non sentiat, cadere in nullam aliam crucem, nisi in divinam posse; hoc est in eam, in qua ille ipse Deus mortuus sit, quem Davides tanto amore initio vaticinii bis compellat, Deum esse suum profitetur, ac ad veniendum invitat? Deus ergo Davidis, ipse verus Deus, aliquando cruce perimendus erit: qui nisi Homo etiam sit, quonam modo cruce perimi poterit? Quamobrem Davidis Deus, ipse Abrahami verus Deus, homo etiam per hoc vaticinium aliquando futurus est, atque is homo, quem quia sese Deum, Deique filium esse docuerit (1), alii quidam homines ad necem quaesituri sint, occidendumque peregrino Judici tradituri. Sic enim Davides post ultima illa verba de cruce continuo praedicit: *Ast ipsi ad excidium quaesituri Animam meam, ibunt in inferiora terrae: cum incurrere facturi in manus Occisoris, portio Vulpium erunt* (2).

(1) *Responderunt ei* (Pilato): *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*. Joann. XIX. 7.

(2) Daemonum scilicet, qui ob calliditatem ita nominantur. Sed et haec, et alia in declarationibus videnda sunt.

11 Sed hostes Christianae religionis duas habeant de vaticinio sententias necesse est, quarum altera Incredulorum sit, altera Hebraeorum. Nam ab Incredulis, qui divinam esse Revelationem negant, fallax esse vaticinium dicendum est, ac poetarum deliramentis et fabulis annumerandum, ut quae illo continentur, nunquam accidere debuerint, aut debeant. Hebraei vero, qui quidquid est in sacris ipsorum Libris id revelatum esse divinitus, nobiscum confitentur, verax esse vaticinium fateantur necesse est; idque ita, ut quod eo praedicitur, sine ulla dubitatione aliquando fieri debuerit, aut debeat.

12 Pro tuenda contra Incredulos vaticinii veracitate non est nobis magnopere laborandum; sed haec pars disputationis relinquenda est Hebraeis; quae quum nobis sit admodum facilis, illis permolesta sit necesse est. Nam quod Increduli dicant oportet, vaticinium deliramentum esse, neque ullo unquam tempore accidere debuisse, aut debere quae illo continentur; proposita historia earum omnium rerum, quae his duodeviginti seculis in Judaea coeptae, ubique terrarum et habuerunt, et habent nunquam intermisso cursu luculentissima cujusque generis testimonia, perfacile evertimus Incredulorum impudentiam. Toto enim hoc tam diuturno tempore, quocunque te vertas sive terrarum sive librorum, sive cujusvis monumenti, nihil tam exploratum est, quam unum Hominem fuisse Judaeum, qui sese Deum esse docuerit, praedixeritque cruce perimendum esse, ac cruci suae illa omnia tribuenda quae Davides vaticinio suo persequutus est; atque ob eam causam reipsa cruce peremtum fuisse. Unum hunc Judaeum hominem esse Jesum Christum, et praeterea eadem de causa neminem. Quid? Increduli ipsi dum eum illiusque doctrinam oppugnant, nonne et fuisse, et ea docuisse quae Davides praedixit confitentur? Quonam igitur modo tueri poterunt id quod tueantur necesse est, fallax esse vaticinium, deliramentum esse, nunquam ac-

cidere debuisse quae illo descripta sunt, quum ipsi quoque acciدisse confiteantur? Itaque omnino verax vaticinium fuit, quandoquidem Incredulis ipsis fatentibus eventu comprobatum est. At vaticinium disertis verbis docet, illum Hominem, cujus cruci tot ac tanta illa tribuenda erant, esse ipsum Deum. Igitur Jesus Christus ipse Deus est, institutaque ab illo Christiana religio vera est atque divina.

13 Ad Hebraeos veniamus. Qui nimirum quum fateantur verax esse vaticinium, illud etiam coguntur confiteri, quae illo praedicta sunt, omnino debere accidere. Jam quae maxime in vaticinio nitet, est Dei-Hominis caedes cruce perimendi. Haec igitur Dei caedes (sic enim brevitatis causa dicemus) aut facta jam est, et illa tam admirabilis crux, quam tanto amore, tantaque reverentia Propheta prosequutus est, terrarum orbe colitur; quod Christiani jam duodeviginti secula sunt et profitemur, et facimus: aut Dei caedes adhuc facienda restat, et adhuc exspectanda est divina illa crux, de qua Davides tot ac tam praeclara commemoravit. Si facta est, et adhuc dubitatur, num Jesus Christus ipse Deus sit qui cruce perimendus erat; pronum est et quid facere Christiani debeamus, et quid facere Hebraeos oporteat, ut ea dubitatione liberentur. Omnes homines qui uspiam post Davidem ad hanc usque memoriam interfecti cruce fuerunt in judicium ad omnes tum Hebraeos tum Incredulos nostri temporis advocemus. Optamus enim ut hanc causam Increduli quoque cognoscant ac judicent. In illis omnibus hominibus cruci confixis eum ipsum Hominem Deum esse oportebit, qui cruce juxta vaticinium perimendus erat. Hebraei ergo Increduli que ex his omnibus cruce interfectis hominibus unum illum eligant, quem per ipsos sine ulla dubitatione credere oporteat esse Deum crucifixum, cujus caedes facta esse supponitur. Erunt enim in amplissimo isto praeclarissimorum Hebraeorum et Incredulorum conspectu genera peremtorum cruce hominum

* * * * * * *

tria. Horum primum uno illo constabit homine, qui propterea crucifixus est, quia sese ipsum esse Deum docuit, factisque comprobavit, Jesu Christo. Nam praeter hunc eadem de causa nemo alius cruce confectus est. Alterum genus conflabunt homines, quorum nemo se Deum esse dixit, verum idcirco cruce interfecti sunt, quia Jesum Christum Deum esse profitebantur, et eam fidem proprio sanguine consecrarunt. Tertium denique facinorosorum hominum erit, quorum crimina postularunt, ut in eos cruce animadverteretur.

14 Quonam igitur e genere nostri isti praeclari judices Hebraei Increduliqu̧e unum illum hominem eligent, quem ipsorum sententia illum esse Deum qui cruce perimendus erat, ac peremtus fuerit, fateri debeamus? An e facinorosis? O caelum, et terra, et quidquid est uspiam rerum, vestram imploro fidem et opem, ut dicatis quonam loco habere Hebraeos et Incredulos debeamus, si Deum esse unum aliquem ex illis facinorosum, parricidam, proditorem, perduellem, praedonem, furem, cetera illius generis, proferre audebunt; et cujus morti ac cruci tribuere debeamus quae Davides vaticinatus est. Nam explicandae tantae . . . . nescio quo nomine appellem, pares certe nulli homines erimus. An ex illis eligent quos crux sustulit, quia Jesum Christum esse Deum profitebantur? Quae demum erit stultitia, nisi haec erit, contendere illum hominem esse Deum, qui homo alium, non sese, Deum esse profitebatur, et libens cruci incubuit, ut morte sua hoc ipsum testaretur? Quis igitur superest e tot hominibus inde a Davide ad hanc usque memoriam cruci confixis, nisi unus ille Jesus Christus, quem esse Deum qui cruce juxta vaticinium perimendus erat, omnino fateri debeamus? Quamobrem si Dei caedes cruce perimendi facta jam est, omnino est demonstratum, Jesum Christum esse ipsum Deum. Tum dubitabitur etiam, num ab eo instituta religio vera sit atque divina?

15 Quod si Dei tristissima illa caedes, quam Propheta praedicit, nondum a Judaeis Incredulisque perpetrata esse dicetur, quae tamen, quia saltem per Hebraeos verax est vaticinium, aliquando est perpetranda; quid demum fiet et tum quum perpetrabitur, et postquam perpetrata erit? Illud ipsum scilicet quod ab iis et factum est quum Jesum Christum occiderunt, et fit postquam occisus est. Deum enim cruce interficient, quod nostra haec vaticinia luculentissime demonstrant. Illum ergo Deum esse negabunt. Non enim occiderent, si Deum esse crederent. Crucifixum illum Deum perpetuo duodeviginti seculorum cursu obstinatissimis animis Judaei repudiabunt; illisque tunc maxime post tot secula Increduli se socios et commilitones adjungent, et collatis viribus, clandestinoque bello adorientur. Cum Judaeis Incredulisque amici atque cultores crucifixi Dei congredientur et disputabunt. Erit qui incognita perpetuis duodeviginti seculis vaticinia de Cruce proferat in lucem, et novis argumentis nova praelia in hostes ejus instruat. Omnia denique et singula fient adamussim quae tum facta sunt hactenus, tum fiunt ac fient; ut non tam exacte specula monstrent quae proponuntur, quam ex omni parte sese terrarum orbis ab initio sui retexet, eosdemque homines ac eadem facientes quae fecerunt, quae faciunt, quae facturi sunt, inaudito miraculo denuo progignet. Haec enim omnia suis vaticiniis complexi sunt Prophetae.

16 Proh hominum fidem! tantamne stultitiam venire cuiquam debere in mentem, quo illud tueatur in quo turpissime erret, caedem Deo juxta Prophetas cruce afferendam nondum esse allatam? Quae nimirum quando afferetur, ipse Deus cui afferetur, Jesus Christus sit necesse erit: quandoquidem et eosdem homines, et eadem ipsorum facta denuo fieri oportebit, ut diximus. Itaque ex hac ipsa tam incredibili stultitia fateri compellemur illum esse Deum: ac tunc quoque Judaeorum et

Incredulorum natio, quae id negabit, ut modo negat; mendacissima erit; nulliusque in ea re auctoritatis; nemoque sanae mentis, aut aliquo modo compos sui assentiri futuris illis Dei parricidis poterit. Sive igitur Dei caedes facta jam sit, ut factam esse certissimum est, sive adhuc facienda restet, ut Hebraeis, qui factam negant, necessario ad tuendam vaticinii veracitatem dicendum est; Jesus Christus ipse Deus esse evidentissime conficitur; quem Davides praedicit cruce perimendum: A Deo autem institutam religionem quis audeat negare esse divinam? Quamobrem quam certum est, Hebraeis etiam Incredulisque confitentibus, Christianam religionem a Jesu Christo institutam esse, tam certum est eam esse veram atque divinam.

17 Hac fere ratione e vaticiniis de Cruce pro veritate Christianae religionis nova argumenta ducuntur; quae varia erunt pro ipsa vaticiniorum varietate. Quae quidem argumenta si utile est proferri, ea utilitas est quae nobis proposita maxime fuit, et quam a laboribus nostris proficisci cupimus.

*X. Hortatio ad Adolescentes, ut totis viribus ad studia sacrarum Literarum incumbant; adhibitis Hebraeis Graecisque Literis.*

1. Sed ego non dubito alios multo et copiosius et sapientius argumenta pro veritate Christianae religionis tam ab his nostris, quam ab aliis quae reliquimus de cruce vaticiniis esse ducturos. Abundabunt enim et libris, et ingenio, et otio majore; quum nobis praeter paucitatem ingenii vix noctu, et subsecivis, ac quasi furtivis horis tentare aliquid in hisce studiis liceat; nec domi esse librorum ea supellex possit, quae operi necessaria esset. Accedit inclinata jam aetas in senectutem, et acies oculorum, quae, quum optima nunquam usi fuerimus, superioribus annis propemodum amissa est: et quod summum est om-

nium: *Tanta est*, inquit Augustinus, *Christianarum profunditas Literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quo ad ea, quae necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate: sed quum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quae intelligendae sunt, latet altitudo sapientiae, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat quod eadem Scriptura quodam loco habet: Quum consummaverit homo, tunc incipit* (1). Ita duo mihi ab his qui nostra legent, summopere sunt efflagitanda. Primum, ut ignoscant, siquid occurret, quod per admodum facile fieri poterit, in quo ipsi versati essent multo diligentius atque sapientius. Alterum, ne desinant hortari Adolescentes optimos, ut animos ad haec praeclara studia convertant. Summa haec Theologia est de Deo et divinis rebus Dei sermone loqui. *Qui cibi, quae mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, et in abdita ejus intrare, et sensum Creatoris inspicere* (2)? At enim tanta est calamitas temporum, ut plerique Ecclesiastici viri quibusvis aliis vel ineptissimis rebus totum vitae tempus occupentur, illam Dei prudentiam penitus ignorent! Itaque nihil mirandum est, tantam esse nostris temporibus allatam ubique Religioni cladem, ut paene in ultimum adducta discrimen interitura jam esse propemodum videatur. *Haec est omnium malorum causa nescire Scripturas* (3). Arma enim hac ignoratione contemnimus, quae nobis ipse paravit Deus, et quibus omnes semper instructos esse voluit, ut hostes illius expugnemus atque vin-

(1) Aug. Epist. III. ad Volusian.

(2) Hieron. Ep. XXX. ad Paulam n. 18.

(3) Chrysost. Hom. IX. in Epist. ad Coloss. num. 1.

camus. Quam est terribile illud: *Conticuit Populus meus eo quod non habuerit scientiam* (1)! Desiit scilicet de Deo et divinis rebus sapienter loqui, quarum et fides, et scientia vulgo etiam perdita est: et negare Deum esse, ridereque sacra illius tum dogmata tum instituta, jam non est insanientium tantum quorundam Philosophorum qui hoc nomine turpissime abutantur; verum ganeae, cauponae, lupanaria ipsa praeclarae hujus disciplinae frequentissima gymnasia evaserunt. Jamne ergo ventum est eo, ut conqueri et complorare apud Deum illis verbis debeamus, *Populus enim tuus sicut hi qui contradicunt Sacerdoti* (2)? Quod si conquerentibus et complorantibus respondeat Deus, *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi* (3), quonam erit confugiendum? Quae si summa sunt mala, ut certe sunt, si nostris ipsis oculis videmus, si omnium malorum causa est nescire Scripturas; etiamne segnes erunt Adolescentes optimi, nec totos sese vertent ad ediscendam afferendamque medicinam?

2 Omnino illud intelligant necesse est, omnem restituendae labefactatae ac propemodum excussae religionis et pietatis spem in ipsis positam esse; idque ab illis non modo exspectari, verum etiam postulari. Sed praeclaram ejus restituendae laudem et gloriam sine profunda sacrarum Literarum cognitione ac disciplina, quae tam misere neglectae jacent, sperare quidem atque optare poterunt, ut faciunt; consequi autem nullo modo poterunt. Bonum ergo certamen certent, Fidem servent, cursum consumment, atque alacres descendant in arenam, conquisitis undique armis, quae quibusvis apta temporibus sacrae ipsis Literae praepararunt, neque aliud nisi eorum industriam et diligentiam exspectant, atque adeo flagitant.

3 Ad quam rem capessendam, sane omnium optimam et gloriosissimam, illud maxime necessarium est, ut sese hebraeis

(1) Oseae IV. init.
(2) Oseae ibid.
(3) Ibid.

graecisque literis imbuant (1). Cato ille major graecas in senectute didicit. Num pigebit adolescentes facere quod non piguit senem? Praesertim quum longe major sit atque praestantior ipsorum causa, quam illius fuerit; et Summi Pontifices, atque in primis Paulus V., ut hebraeae, graecae, latinae literae discantur, non modo graviter hortati sint, verum etiam severissime praeceperint. Hebraeas, et graecas Paulae filia Blaesilla, quam Hieronymus summis extulit laudibus, viginti annorum adolescentula, et optimo loco nata, et Romana, et id aetatis vidua, ita cum latinis conjunxerat, ut *si graece loquentem audisses, latine eam nescire putares: si in Romanum sonum lingua se verteret, nihil omnino peregrini sermo redolebat. Jamvero quod in Origene quoque illo Graecia tota miratur, in paucis non dicam mensibus, sed diebus ita Hebraeae linguae vicerat difficultates, ut in discendis canendisque Psalmis cum Matre contenderet* (2). Quodnam majus esse poterit Adolescen-

(1) Hac de re velim, ut ab Adolescentibus sacrae Theologiae studiosis praeclara perlegatur doctissimi et eruditissimi Viri *Jo: Bernardi Derossi De praecipuis causis et momentis neglectae a nonnullis hebraicarum literarum disciplinae Disquisitio Elenchtica*. Vix enim dici potest quam vere et graviter tam causas, quam momenta diluat. Ad confirmanda vero argumenta quae ille capitibus IV. V. VI. et IX. egregie tractavit; non parum, opinor, ponderis allatura sunt haec nostra hucusque incognita de Cruce vaticinia. Sunt enim ejusmodi, ut hactenus nulla Versio fuerit, quae illa ne de longiquo quidem exhibeat, et unice ab Hebraico textu elici potuerint. Quem si non haberemus, Prophetas videre nominatim de Cruce vaticinantes, et eos Hebraeis jampridem frustra postulantibus, et propterea superbientibus ac quasi triumphantibus indigitare, omnino desperandum erat. Id ut possimus facere, maximum certe ac singulare Dei beneficium est; quo tamen Ecclesiam suam per solas Hebraicas Scripturas locupletare ipsum voluisse, perquam est manifestum. Ex quo mirifice elucet, quae Deo stet de sacro Hebraico Textu sententia et voluntas, quantaque sit ipsius Textus auctoritas, dignitas, praestantia, utilitas, necessitas; et quam falsi, et ingrati Deo, atque adeo in eundem contumeliosi sint ii qui sacros Libros hebraicos nullius esse nunc pretii, planeque a Theologis deserendos et contemnendos affirmant. Equidem pestilentiorem in Ecclesia Dei hac opinionem vix esse posse crediderim.

(2) Hier. Ep. XXXIX. num. 1.

tibus nostris dedecus eo quo in tanta desidia torpescant, quanta ne in feminis quidem olim inventa est? Aut quandonam magis ecclesiastico Adolescenti erubescendum erit, quam quando sit illi *Visio omnium sicut verba Libri signati, quem quum dederint scienti literas, dicent: Lege istum, et respondebit, Non possum; signatus est enim: Et dabitur Liber nescienti literas, diceturque ei, Lege; et respondebit, Nescio literas* (1)?

4 Jamvero Hieronymus lacrymas continere non poterat, quum recordabatur quid Blaesilla; quae vicesimo aetatis anno supremum obierat diem, flagrantissime faceret! *Quis enim siccis oculis recordetur, viginti annorum adolescentulam tam ardenti fide Crucis levasse vexillum* (2)? Quamobrem, Adolescentes optimi, oro obsecroque, pares lacrymas a Patribus extorquete, qui jam in caelis sunt, qui hoc a vobis flagitant, qui opem suam pollicentur, qui Dominum messis rogant, ut vos operarios ipsorum similes in vineam suam mittat. *Tempus est operandi pro Domino! Irritam fecerunt impii Legem tuam*, Domine Jesu (3)!

5 Ego vero pro te quod potui, libentissime feci: et siquid boni feci, quod certe volui, gratias tibi quas possim maximas ago, habeboque immortales. Totum enim tuum est, si bonum est. *Ut jumentum factus sum apud te*, indigne portans augustam Crucem tuam, *et* utinam in itinere *ego semper tecum* fuerim (4)! Nam hoc judicare non est meum. Ecclesiae sanctae tuae hoc judicium est, cui prorsus ut tibi, me meaque omnia volens libensque submitto, neque unquam ab illius sententia, quae item tua est, discedam. Ea si judicaverit me aliquid plantasse, quantuluscunque meus in eo labor, quem tecum exegi, tibi gratus sit ac placeat precor. Hac lege alios ut rigent hortatus sum. Tu incrementum dato....

(1) Isaias XXIX. 11. 12.
(2) Hier. ibid.
(3) Vatic. X. hic.
(4) Psalm. LXXII. 23.

# PROLEGOMENA.

*De nomine quo Prophetae Sacrosanctam Dei Dominique nostri Jesu Christi crucem appellarunt: et qui factum fuerit, ut eorum vaticinia de Cruce hucusque incognita fuerint.*

---

I. Nomen Hebraeis quod crucem unice proprieque significet, nullum est. Idcirco apud Septuaginta Interpretes *Staurós* (1), quo nomine crux dicta est a Graecis, nunquam invenitur (2). Commemorantur quidem nonnulli in sacris Hebraeorum Literis damnati ad crucem, et in Editione Vulgata nomen crucis ea occasione sexies invenire est. Ut: *Auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas* (3). Et infra: *Ego enim redditus sum officio meo, et ille suspensus est in cruce* (4). Et alibi: *Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam, et solis occasum. Praecepitque Josue, et deposuerunt cadaver ejus de cruce* (5). Alioque loco: *Placuit regi consilium, et jussit excelsam parari crucem* (6). Rursus: *Domum Aman concessi Esther, et ipsum jussi affigi cruci* (7). Postremo: *Denique et ipsum, et filios ejus affixerunt cruci* (8). Sed in iis locis apud Hebraeos semper est *Hetz* (9), *Lignum*, excepto secundo, in quo ne Lignum quidem est; apud Graecos vero semper est *xylon* (10) quod item significat *Lignum*, secundo et ultimo exceptis, in qui-



(1) Σταυρός.

(2) Vide Trommii Concordantias Graecas.

(3) Genes. XL. 19.

(4) Ibid. XLI. 13.

(5) Jos. VIII. 29.

(6) Esth. V. 14.

(7) Ibid. VIII. 7.

(8) Ibid. IX. 25.

(9) עץ

(10) ξύλον.

bus simpliciter est, *fuisse suspensos*. Ab iis autem colligendum est, Hebraeos jam inde ab antiquissimis temporibus non aliter fuisse loquutos, quum de damnatis ad crucem hominibus ageretur; illudque dicendi genus in ore vulgi et omnium fuisse. Sacros enim Auctores qui has memorias consignarunt Literis, ut a populo legerentur et discerentur, commune populi dicendi genus sequutos esse necesse est.

II. Sed quanquam nullum sit Hebraeis nomen quod crucem unice proprieque significet, tamen Prophetae de Sacrosancta Dei Dominique nostri Jesu Christi cruce nominatim vaticinari omnino debuerunt. Id constat a lege qua Deus nihil facere statuit, nisi per Prophetas suos praedixerit. Hanc enim sibi Deum tulisse legem, testis est minime dubius Amos, quo praecone Deus illam his verbis notam effecit: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas* (1). Quam quidem legem de majoribus gravioribusque rebus accipiendam esse, quis est qui non intelligat? Nam si singula quae facit Deus Prophetae praedicere debuissent, eorum libros continere ne orbis quidem universus posset (2). Jamvero Prophetas complura praedixisse, quae Deus partim effecit, partim facturus est, plerique omnes norunt; eaque majora quaedam, ut diximus, atque graviora esse necesse est. At quidnam majus facturus erat Deus, quam in cruce mori? Cetera ergo, magna illa quidem, Prophetis suis revelasse existimandus est, unum hoc, quod omnium quae fecit est maximum, non revelasse? Quocirca, nisi siqui erunt qui Dei mortem in cruce rem non admodum magnam esse putabunt, aut Deum posse, atque adeo velle datae non stare fidei, jamque id aliquando fecisse, sibi persuadebunt, quae summa sunt scelera, profecto

(1) Amos III. 7.

(2) *Sunt autem et alia multa quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros*. Joan. XXI. 25.

dicendum est, Prophetas de Sacrosancta Cruce nominatim vaticinari omnino debuisse.

III. Quonam ergo erant illam nomine appellaturi? Nimirum aut illo ipso quod in ore omnium versabatur nomine Ligni, aut alio quod ad crucis naturam significandam quamproxime accederet, aut denique peregrino quodam, et ab alia quapiam lingua sumto, et quasi mutuo accepto. Id enim est quod facere Scriptores et debent, et soliti sunt, quum verba desunt. Sed Prophetas nullum a peregrinis linguis verbum ad significandam crucem sumsisse, certissimum est. Nullum enim in eorum libris invenitur peregrinum nomen, quo populus quispiam crucem appellet. Quae vero nomina apud Hebraeos ad naturam crucis significandam quam proxime accedunt, duo sunt, *Gaza*, et *Chen* (1); quorum primum tantummodo *Truncum*, et proprie *Truncum succisum* significat (2), alterius multiplex est cum natura, tum significatio; sed *Truncum* etiam significat, ut postea videbimus. Prophetae igitur tribus nominibus *Hetz* ligno, *Gaza* trunco, *Chen* item trunco, aut horum aliquo uti potuissent.

IV. Sed a primis illis duobus *Hetz*, et *Gaza*, cur abstinere omnino debuerint, plures fuerunt causae. Principio quum Populus Hebraeus nullo non tempore iram in sese Dei pertinacissime incenderet, illud tandem post diuturnam omnique admiratione dignissimam Dei patientiam consequutus est, ut ab eo circa futura humanae redemtionis mysteria exaecaretur. Ast ea populi excaecatio nequaquam impediebat, quominus Deus legem illam suam sequeretur, qua nihil facere statuerat, nisi ante Prophetis quae facturus esset revelasset. Illud tantum efficiebat, ut Prophetae sic loqui deberent, ut populus eorum verba quidem audiret, visionesque videret, sed



(1) גֶּזַע , כֵּן

(2) Montald. in Lex. pag. 160.

quae dicerentur non intelligeret, et quae aspectui proponerentur, quorsum pertinerent, minime cognosceret: sic tamen ut et intelligere, et cognoscere, si vellet, posset. Haec ipsi Prophetae docuerunt: primam quidem horum partem Isaias his verbis: *Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (1). Alteram vero partem Ezechiel: *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini, Domus Israel?* (2). Et alibi: *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum: et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, et vivite* (3).

Quando igitur Prophetae sic loqui de redemtionis mysteriis debuerunt, ut populus eorum verba quidem audiret, sed non intelligeret; permanifestum est, eos dum de Sacrosancta loquebantur cruce, abstinere a binis illis vocibus *Hetz*, et *Gaza* omnino debuisse. Prima enim in ore omnium versabatur, ut dictum est, quandocumque ageretur de morituris in cruce. Qui autem fieri potuisset, ut populus verbum quidem audiret quod in ore omnium versaretur, omnesque vulgo significare crucem intelligerent, et tamen crucem non intelligeret? Altera vero unius tantum est significationis, ut diximus, eaque significatio *Truncus* est. Fierine potuisset, ut po-

(1) Is. VI. 9. 10.
(2) Ezech. XXXIII. 11.
(3) Ezech. XVIII. 30. e seqq.

pulus audiret *moriturum in trunco Deum*, nec intelligeret *in cruce moriturum?* Atque haec cur illis duobus nominibus Prophetae abstinere debuerint, prima sit causa.

V. Altera ex iis ipsis oritur rebus quas Prophetae de augusta Filii Dei cruce dicturi erant, nosque visuri his vaticiniis sumus. Complures enim earum ejusmodi sunt, ut si crucem *Lignum*, aut *truncum* illis nominibus appellavissent, populus sibi persuadere perfacile posset, Prophetas de insigni quodam futuroque idolo esse loquutos, cui salus hominum, totaque illa vis et copia bonorum, quae a cruce in nos redundarunt, aliquando tribuenda esset. Idola enim ipse populus *ligna* vocabat, ut constat ab Ezechiele: *Vivo ego*, *dicit Dominus Deus*, *quia non respondebo vobis*. *Neque cogitatio mentis vestrae fiet*, *dicentium*: *Erimus sicut gentes*, *et sicut cognationes terrae*, *ut colamus ligna*, *et lapides* (1). Ubi maxime animadvertendum est, omnia haec vaticinia de cruce, quae sumus propositur, aliquot seculis edita fuisse ante babyloniam captivitatem. Quotus autem quisque nescit, quam proni, quam cupidi, quam inflammati ac propemodum furentes erga deorum religiones omni tempore fuerint Hebraei ante babyloniam captivitatem, et in ipsa captivitate? Cavendum ergo summopere fuit, ne currentes data occasione incitarentur, et pro Messia daemonem expectarent. Cavere autem nunquid potuissent, nisi *Hetz*, et *Gaza* notissimis vulgo nominibus abstinebant?

VI. Quanquam quid opus est argumenta conquirere, quibus persuadeamus, Prophetas illis abstinere nominibus debuisse, quum argumenta certissima sint, quae demonstrant abstinuisse? Nomen *Hetz* plus quam trecenties in Sacris Libris occurrit. Quisquamne est qui uno saltem aut altero loco eo-



(1) Ezech. XX. 31. 32.

rum in quibus invenitur, Prophetas de Sanctissima Filii Dei cruce vaticinatos esse, dicere vere possit? Cur nemo hactenus dixit? Annon propterea quia de aliis quibusvis lignis ibi dicitur, idque perspicuum est, de illo Sanctissimo Crucis Ligno nihil omnino? Qua de re qui dubitare volent, invisere loca ipsa poterunt, suoque marte periculum facere. Nomen vero *Gaza* non plus quam ter in Sacris Libris est; quae testimonia paulo infra erunt a nobis afferenda, in quibus nihil omnino esse de cruce, suis omnes oculis intuebuntur. Quamobrem aliquando concludatur, certissimumque sit, Prophetas de augusta Dei Cruce vaticinaturos a duobus nominibus *Hetz*, ligno, *Gaza*, trunco, et abstinere omnino debuisse, et abstinuisse.

VII. At iidem quum de illa vaticinari omnino debuerint, ut supra ostensum est, necesse fuit ut alio illo nomine *Chen* uterentur, quod nomen e duobus est alterum, quod ad indicandam crucis naturam quamproxime accedit; et cujus significationem *Trunci* a vulgi consuetudine abfuisse, inde manifestum est, quod ad truncum simpliciter significandum, vix ter, ut videbimus, ad crucem vero monstrandam, patefaciendam, indigitandam, semper a Prophetis adhibitum est. Quae quidem *trunci* significatio nominis *Chen* antiquitus esse notissima debuit, deinde aetate exolevisse; cujusmodi verbis linguae omnes abundant. Hujus itaque nominis quum et usus, quantum quidem ad trunci significationem, apud multitudinem desuevisset, et multiplex esset natura significatioque, illud fiebat, dum eo Prophetae ad vaticinandum de cruce uterentur, ut populus nomen quidem ipsum *Trunci*, hoc est crucis, audiret, ac descriptas a Prophetis visiones crucis videret; sed neo illud intelligeret, nec has cognosceret; quod ipsum excaecatio postulabat: intelligere tamen atque cognoscere posset, si diligentius in verba Prophetarum inquisivisset. Ipsa etiam multiplex illius

nominis significatio varios edebat sensus, perceptuque maxime faciles, quorum aliquo contentus populus conquiesceret, de reliquis non curaret. Qui quidem sensus etiam in aliarum gentium interpretationes ex Hebraeo venerunt, optimique sunt. Nec enim unico Prophetae semper loquuti sunt sensu; Sacrorumque Librorum Sapientia et varia, et multiplex est; quippe quorum auctor sit Deus, cujus Sapientiae non est numerus. Atque ab his quae dicta sunt hactenus, illud denique colligendum est, Prophetas de cruce nominatim vaticinaturos magna quadam insuperabilique necessitate fuisse coactos solo nomine *Chen* uti, atque ipsum hoc nomen unum omnium aptissimum, ac tum rebus tum temporibus accommodatissimum ad vaticinandum de cruce nominatim fuisse. Vaticiniis autem quae hoc libro explicabuntur; *quater et vicies* illam hoc nomine a Prophetis appellatam fuisse contuendum est. Quae si satis esse non poterunt, ut omnes sibi persuadeant, sic a Prophetis appellatam esse, qua ratione persuaderi homines debeant, videre ipse non potero.

. VIII. 1 Sacrosanctam igitur Dei Dominique nostri Jesu Christi perpetuoque augustam Crucem Prophetae ipsorum Lingua CHEN, nostra TRUNCUM, inde ante annos mille quam mortuus est in cruce Jesus Christus appellarunt. Sed plerique omnes sine dubio quaerent, qui factum sit, ut eorum de hac ipsa cruce vaticinia hucusque incognita fuerint? In qua perquisitione quum duo sint quae cadere in disputationem possunt, causa cur factum sit, et modus quo factum est; causam relinquam sapientibus explicandam, modum explicare ipse conabor.

2 Principio illud quod sepe diximus, vocis *Chen* multiplicem esse cum naturam, tum significationem confirmandum est; ostendendumque *Trunci*, et Crucis significationem eidem, quando nomen est, convenire. Illius natura quin triplex sit, nem-

pe et substantivi, et adjectivi nominis, et adverbii, nemo est qui dubitet. Nam ipse Marcus Marinus, cui visum est, nunquam nomen adjectivum esse; tamen *transire in adjectivum nomen, ab omnibus asseri* confitetur (1). Quando igitur nomen adjectivum est, illius significationes sunt, *rectus*, *certus*, *verax*, *paratus*, *firmus*, *probus*, *sincerus*, *justus*, *honestus*; quas his ipsis verbis recenset in Concordantiis magnum illud immensi laboris exemplum Marius Calasius, utpote oriundas a radice *Chun* כון, quae, ut verbis utar ipsius, *significat stabilitatem, praeparationem, certificationem, et quae inde derivantur, prout intelliguntur*. Ex quo est, ut ab aliis aliae praeterea nominentur, ut *perfectus*, *stabilis*, *pacificus*, *bonus*, harumque similes; quae videri apud Lexicographos possunt.

3 Quando autem nomen substantivum est, in significationibus nominandis quaedam item esse videtur inter Eruditos varietas; quae tamen magis apparet, quam vera est. Quaedam enim hic quoque ab omnibus nominantur, quaedam non item. Ut hae a Marco Marino: *Rectum*, *aptum*, *bonum*; *aptitudo*, *aptatio*, *firmitas*; *sedes*, *basis*; *dignitas*, hoc est officium, tua munus. Et a Calasio: *basis*, vel *locus*, *sedes*, *sessio*, *solidatio*. Tum a Malvenda: *basis*, *sedes*, *thronus*, *locus residentiae constitutus et firmus* (2).

4. Sed praeter has, quas hactenus ab eruditis attulimus significationes, aliae quoque ab aliis nominantur: ut ecce a Malvenda ipso, a Forstero, a Mercero, a Buxtorfio, a Montaldo, a Bougeto commemorantur significationes *trunci*, *stipitis*, *caudicis*, quas alii siluerunt; quodque plurimum valere in re nostra debet, haec ipsa vox *Chen* ab Interprete Vulgatae *plantatio*, idest planta, eaque adulta, alicubi translata est; de quo dicemus postea. Malvenda igitur ad ea Danielis ver-

(1) Mar. in Thesauro.

(2) Malv. de Antichr. Lib. VI. pag. 485.

ba. *Et stabit in loco ejus despectus* (1), *Possis*, inquit, *exponere*, *Et stabit in plantatione sua despectus*. *Chen sic vertitur a nostro* (scilicet Vulgato) *Daniel. XI. 7 atqui significare etiam caudicem*, *stipitem*, *truncum*, *Forsterus*, *et Mercerus annotarunt* (2). Buxtorfius item atque Montaldus, *Chen*, ajunt, *nomen est substantivum*, basis, *in qua aliquid* constitutum est, *sive qua aliquid* stabilitur; stipes, truncus, *quo ut re firma aliquid* innititur (3). Quo vario verba scribendi modo rationem indicarunt, quam hae significationes cum radice כּוּן *Chun*, habent, e qua *Chen* ortum suum ducit. Denique Bougetus, *Chen*, inquit, *basis*, *stipes*, *truncus quo aliquid innititur*, *stolo*, *status*, *theca*, *loculamentum*. Hac varietate significationes hujus substantivi nominis ab eruditis commemorantur.

5 Quando denique adverbium est, seu particula similitudinis, eas habet significationes, quas latine *ita*, *sic*, *similiter*, *taliter* dicimus. Et quia voci adduntur particulae tam inseparabiles, quam separatae; cum inseparabilibus interpretantur *in sic*, hoc est *tunc*, *vere* (4); *Super sic* (5), idest *propterea*, *idcirco*; et alia. Cum his particulis non esse in multis locis adverbium, ut existimatum est, sed esse persaepe nomen substantivum contuebimur, non secus atque in duobus Danielis locis paulo ante laudatis. E qua animadversione nostra non pauca vaticinia de Cruce prodierunt. Hactenus multiplex vocis *Chen* natura significatioque ostensa sit.

IX. Sequitur ut ostendamus, *Trunci*, et *Crucis* significationem eidem, quando nomen est, convenire: in quo primum de *trunco*, postea de *Cruce* dicemus. Igitur *trunci* significationem illius nominis esse propriam, argumentis quatuor efficitur.



(1) Dan. XI. 21. Ubi verba *in loco ejus* Hebraice sunt עַל כַּנּוֹ, *super Chen ejus*.

(2) De Antichr. Lib. VI. pag. 485.

(3) Mont. pag. 537.

(4) בְּכֵן

(5) לָכֵן, עַל כֵּן

Eorum primum ab Eruditorum auctoritate ducitur, quos *trunci* significationem huic nomini tribuisse, supra ostensum est. Quanquam enim haec ab omnibus Eruditis non nominetur, appareatque apud eos aliqua varietas, quae in aliis etiam aliorum nominum significationibus accidit non raro; tamen si quis inde arripere occasionem vellet ipsam rejiciendi, nae ille se in tricas inexplicabiles conjiceret, aberraretque a more omnium Eruditorum, qui quod ab eadem radice, similibusque de causis, atque eodem modo a pluribus deducitur, illud recte tributum pro significatione concedunt: quod è Marii Calasii verbis paulo ante recitatis planissime constat. Nimirum his in rebus de principiis, quibus Eruditi sunt usi, videndum est; non de varietatibus, quae apud eos in nominandis significationibus apparent. Nam hoc exile ac tenue est, illud excelsum et liberale. Itaque si omnes illas nominis *Chen* significationes, quas ab Eruditis attulimus, ad principia revocaverimus, ut par est, quorum gratia eas ipsi nominarunt, cogemur confiteri aut omnes veras, aut omnes falsas esse. Nam, quantum attinet ad ipsarum originem, deducendique causas, et modum, paria sunt in omnibus omnia. Ita, quantum quidem huc attinet, quod valere pro una earum debet, idem pro omnibus valeat oportet; et quod uni noceat, idem omnibus noceat necesse est. Quamobrem verae omnes erunt, si eadem principia, e quibus ductae sunt, trunco non oberunt; falsaeque omnes erunt, si quae principia prosunt omnibus, eadem prodesse trunco non poterunt. Sic igitur ab Eruditorum auctoritate, atque a principiis, quae in nominanda *trunci* significatione sequuti sunt, eam convenire nomini *Chen* ostensum sit.

X. 1 Sed haec nimirum plurimum apud omnes valent, quando Scripturarum confirmantur exemplis, et auctoritate, quod jam faciendum est. Nam praeter haec vaticinia de Cruce, quae declaraturi sumus, tria sunt in Sacris Litteris loca, e quibus

perspicuum est, significationem *trunci* nomini *Chen* convenire. Ordiamur ab eo qui est apud Danielem; quo loco enarrando Hieronymum potissimum sequemur.

2. Mortui Alexandri Macedonis imperium in multa regna scissum atque divisum fuit; sed majora et illustriora, Macedoniae, Asiae, Syriae, et Aegypti fuerunt. Hic de quibusdam Aegypti, et Syriae regibus sat erit dicere. Itaque in Aegypto post Alexandrum Lagi filius Ptolemaeus, in Syria Seleucus cognomento Nicanor primi regnarunt. Lagi filio Ptolemaeus Philadelphus, huic Ptolemeus Evergetes; Seleuco Antiochus Soter, huic Antiochus deus successerunt. Huic quum Aegyptium bello lacesseret, Philadelphus ad arcendas, si fieri posset, inimicitias, diuturnamque conciliandam pacem, Berenicen filiam suam nuptui dedit. Antiochus e superstite adhuc priore uxore Laodice filios habebat duos, Seleucum Callinicum, et alterum Antiochum. *Antiochus autem*, pergit Hieronymus, *Berenicen regni consortem habere se dicens, et Laodicen in concubinae locum, post multum temporis amore superatus, Laodicen cum liberis suis reducit in regiam. Quae metuens ambiguum viri animum, ne Berenicen reduceret, Virum per Ministros veneno interfecit, Berenicen autem cum filio qui ex Antiocho natus erat, Icadioni, et Gennaeo Antiochiae principibus occidendam tradidit, filiumque suum majorem Seleucum Callinicum in patris loco regem constituit.* Quae res majorum inimicitiarum causae fuerunt. Occisa enim cum filio Berenice, et mortuo parente ipsius Ptolemaeo Philadelpho in Aegypto, Berenices frater Ptolemaeus Evergetes patri succedens *venit cum exercitu magno, et ingressus est provinciam regis Aquilonis, idest Seleuci cognomento Callinici, qui cum Matre Laodice regnabat in Syria, et abusus est eis, et obtinuit, intantum ut Syriam caperet, et Ciliciam, Superioresque partes trans Euphraten, et propemodum universam Asiam* (1). Haec Ange-



(1) Hier. Comm. in XI. Dan.

lus Danieli praedixerat. non paucis ante seculis quam evenerunt; qui locus hic a nobis clarius et interpretandus, et explicandus est; ut nominis *Chen* propria *trunci* significatio lucem suam habeat.

*Danielis vaticinium de Alexandro Macedone, ac regibus Aegypti, et Syriae.* Exstat Cap. XI.

*Vers.* 3 Stabit autem Rex fortis (1), et dominabitur potestate multa, et faciet quod ei placuerit. 4 Et postquam steterit, conteretur Regnum ipsius, et dividetur in quatuor ventos caeli (2): sed non in posteros ipsius, neque secundum dominationem ejus, qua dominatus fuerat: lacerabitur enim ipsius regnum etiam in alios praeter illos (3).

5 Sed fortis evadet Rex Austri (4), et de Principibus ipsius *erit* (5), praevalebitque contra ipsum, ac dominabitur: dominatus magnus *erit* dominatus illius (6).

(1) Alexander Macedo.

(2) In quatuor regna, Macedoniae, Asiae, Syriae, et Aegypti.

(3) *Praeter regna quatuor Macedoniae, Asiae, Syriae, et Aegypti, etiam in alios obscuriores et minores reges Macedonum regnum laceratum est. Significat autem Perdiccam, et Crateron, et Lysimachum. Nam Cappadocia, et Armenia, Bithynia, et Heraclea, Bosphorusque, et aliae provinciae de potestate Macedonum recedentes, diversos sibi reges constituerunt.* Hieron.

(4) Rex Aegypti Ptolemaeus Lagi filius.

(5) Ipsius Alexandri. Ptolemaeus *Regi, an popularibus carior esset dubitari poterat.* Curt. Lib. IX. 8.

(6) Post Alexandri mortem, *Perdicca, producto in Urbem exercitu, concilium principum virorum habuit, in quo imperium ita dividi placuit, ut Rex quidem summam ejus obtineret: Satrapes Ptolemaeus Aegypti et Africae gentium, quae in ditione erant: Laomedonti Syria, etc.* Q. Curt. Lib. X. sub fin.

Illi ergo Regis nomine administrare concessas provincias debuissent, *si unquam adversus immodicas cupiditates terminus staret. Quippe paulo ante Regis ministri, specie imperii alieni procurandi singuli ingentia invaserant regna, sublatis certaminum causis; quum et omnes ejusdem gentis essent, et a ceteris sui quisque imperii regione discreti. Sed difficile erat eo contentos esse quod obtulerat occasio: quippe sordent prima, quum majora quaeque sperantur. Itaque omnibus expeditius videbatur augere regna, quam fuisset accipere.* Q. Curt. ibid.

Ita contra Alexandrum praevaluerunt,

6 Et post finem annorum (1) societatem inibunt (2); ac Filia regis Austri veniet ad regem Aquilonis, ad aequa facienda (3): sed (*rex Austri*) non continebit vires brachii, ac ne stabit quidem brachium ipsius (4): tradetur enim ipsa, et qui eam adduxerant, et Genitor ipsius, et qui eam pro temporibus confortabat (5).

7 At stabit e germine radicum ipsius (6), Truncus illius (7), venietque ad exercitum, ac proficiscetur contra munimentum Regis Aquilonis (8), agetque contra illos, ac praevalebit. 8 Deos quoque ipsorum cum eorundem simulacris, cum pretiosis vasis argenteis atque aureis in captivitate adducet in Aegyptum: et ipse annos *plures* stabit quam Rex Aquilonis (9).

3 Haec Daniel. Antiochi autem dei, Ptolemaei Philadelphi, Berenices et illius filii mors, initia regni Seleuci Callinici cum Laodice matre, profectioque Ptolemaei Evergetae in Syriam cum

quum, jam non Regis qui successerat, ministri pro tuendo Alexandri imperio, sed ad propria sibi facienda, et spoliis imperii amplificanda regna mutuis bellis dimicarent.

(1) Post aliquot annos.

(2) Duo reges Aegypti, et Syriae.

(3) Berenice filia Ptolemaei Philadelphi regis Aegypti nuptui tradita regi Syriae Antiocho deo, ad ipsum ex Aegypto proficiscetur: quo connubio nihil nisi aequum utrinque susceptum iri sperandum erat.

(4) Sed Philadelphus nihil ab hoc connubio habebit praesidii ad stabiliendam pacem; imo connubii occasione praesidium ipse suum amittet, quo domi securus esse poterat; quippe qui vitam propter hoc connubium amittere debeat.

(5) Insidiis, et odio Laodices, quam Antiochus primam uxorem regia domo ejecerat, deinde reduxerat, interimentur Berenice, comites ejusdem ex Aegypto profecti, ipse illius Genitor Philadelphus in Aegypto, et Berenices ex Antiocho natus filius, quem carum apud se habebat, et parenti successurum aliquando sperabat, ac expectatione succedendi temporum sese recreabat et consolabatur.

(6) Ipsius Berenices: e germine quo Familia ipsius prognata est, Lago.

(7) Truncus illius germinis; quem truncum prorsus excisum Laodice voluisset; idque conata erat: sed in Ptolemaeo Evergeta servatus est, qui Philadelpho successit.

(8) Seleuci Callinici Laodices filii.

(9) Nam Syriae rex Seleucus Callinicus viginti regnavit annos, Aegypti autem Ptolemaeus Evergetes sex et viginti.

*Petav. Ration. Temp. Success. XIX, et XX.*

exercitu, ejusdemque victoria in eundem concurrerunt annum ante Aeram christianam ducentesimum quadragesimum sextum; quo ipso anno Laodice regiae pristinae dignitati ab Antiocho restituta fuerat (1). Quo animo foemina impotens injuriam ferre debuerit, qua et uxoris, et reginae dignitate orbata, domoque regia cum liberis in spem regni altis ejecta fuerat, quum interim peregrinam foeminam viventi sibi antepositam, regioque fastu ac luxu, propter ingentem dotem quam attulerat, maxime insignem, in locum ipsius successisse, ingratissimum certe spectaculum, omnibus horis intueretur; non est difficile cognitu. Quamobrem capitali odio non modo in illam, sed in ipsum etiam Antiochum, multoque acrius in Philadelphum, qui auctor novi connubii fuerat, exarsisse necesse est. Igitur foemina satis audax ad magna facinora, ut res docuit, nihil antiquius ultione sui, quum primum liceret, habere debuit. Sed Antiochum, et Berenicen, illorumque filium tantummodo perdere, neque satis erat, neque ipsam periculo liberabat. Ulturos enim injuriam Philadelphum, et Philadelphi filiam, si viverent; in quo magnum erat ipsi liberisque suis periculum. Deinde non recte esse, si in conjuges, natamque ab ipsis prolem animadverteretur; conjugii auctor Philadelphus abiret impunis. Denique, perdito regio Aegypti genere, facile conjungi utrumque Aegypti et Syriae regnum posse, ipsamque et Callinicum filium longe amplissimo potentissimoque regno potituros.

4 His incensa cupiditatibus Laodice consilium init perdendae totius regiae stirpis in Aegypto, perimendique in Syria viri, cum eoque Berenices, et eorum filii. Ac perimendi Philadelphi non admodum magna difficultas erat. Nam is per illud tempus eo dementiae venerat, ut unum se post hominum memoriam immortalitatem jactaret reperisse, sibique perpetuo

(1) Usser. ad ann. M. 3758.

victurum esse persuasisset (1). Quae res non parum incautum reddere debuit, ut Laodicae facilius fuerit venenum per ministros miscere, non secus atque Antiocho fecerit. Quo autem incautior Philadelphus, hoc patrio regno inhians Evergetes cautior esse debuit. Sed tandem facinus adorta Laodice, non plane ex voto, ita ut fit, successit. Nam Antiochum quidem, et Berenicen, ejusque filium in Syria, et Philadelphum in Aegypto peremit: sed totam regiam Aegypti familiam perdere non potuit, e qua superstes Evergetes, Berenices frater, Laodices insidias evasit, patrique Philadelpho succedens, bellum in Syriam intulit, eamque cepit.

5 Haec historia inde a nuptiis Antiochi et Berenices ab Angelo Danieli praenunciata fuit versibus sexto, septimo, et octavo, quos supra retulimus: versuque septimo diserte praedictum fuit, totam regiam Aegypti familiam non esse perdendam. Staturum enim e primo familiae germine prognatum auctumque Truncum, quem plane succisum Laodice voluisset. Id habent ea verba, *Ac stabit e germine radicum ipsius* Berenices *Truncus illius* germinis. E quibus, sequentibusque, *venietque Truncus ad exercitum*, et ceteris usque ad versum nonum, maxime perspicuum est, de regia Aegypti familia disseri, assumta similitudine Arboris: qui mos etiam apud nos in genealogiis contexendis obtinet, in quibus majores primos recta sibi succedentes arboris truncum conflare dicimus. Ita hoc loco Angelo, in regia Aegypti familia commemoranda usque ad Evergetem, germen Lagus est, germinisque radices Lagus et illius uxor; e quibus Ptolemaeus, e Ptolemaeo Philadelphus, e Philadelpho Evergetes arboris truncum jam tum effecerant. Plane igitur ab hoc Danielis loco manifestum est, nomini *Chen* significationem *trunci* convenire, illiusque propriam esse.

6 Quae res praeterea confirmari Vulgatae Hieronymique au-

(1) Usser, ad ann. M. 3758.

ctoritate potest, qui eum versum hoc modo interpretati sunt: *Et stabit de germine radicum ejus Plantatio: et veniet cum exercitu, et ingredietur provinciam regis Aquilonis: et abutetur eis, et obtinebit.* Ubi duo animadvertenda sunt: Primum ab iis omissum fuisse pronomen *ejus*, quod est secundo loco. Habet enim Hebraeus hoc pronomen, eratque dicendum *Plantatio ejus* (1); quod quidem pronomen masculini est generis; quum superius foeminei sit, pertineatque ad Berenicen; hoc vero nihil aliud habeat quo referri possit, nisi *germen* (2); quae vox ejusdem est cum ipso apud Hebraeos generis. Ex quo fit, ut *Plantatio ejus* idem esse debeat ac *Plantatio germinis*. Alterum, *plantationis* nomine hoc loco a Vulgato Hieronymoque non intelligi *actum ipsum plantandi*; quae propria est apud Latinos illius nominis significatio; sed plantam ipsam e germine suo jam pridem natam atque adultam; quippe quae fructus illos ferat, qui verbis proxime sequentibus enunciantur, *et veniet cum exercitu*, et ceteris. Plantam autem intelligi, non actum ipsum plantandi, vel ex eo maxime manifestum est, quod in genealogiis non modo indecore, ac prorsus inhoneste, sed plane abs re stultissimeque hujusmodi quiddam commemoraretur. Quando igitur Vulgato Hieronymoque *Chen* hoc loco *Planta* est sine ulla dubitatione, et Planta e primo suo germine nata, et aucta, et adulta; quid, quaeso, est quod in plantis e germine producitur, adolescitque, atque diutius *stat* prae reliquis earum partibus, nisi ipsarum Truncus? Sit igitur indubitatum, atque omnino certum, *Plantae*, ac *Trunci* significationem Vulgati atque Hieronymi aevo propriam nominis *Chen* habitam esse; eamque ab illis, ut cetera, vetere traditione acceptam, non somniatam fuisse. Atque is primus sit e tribus Scripturae locis, e quibus id perspicuum esse diximus:

(1) כַּנּוֹ, *cannò*. (2) נֵצֶר, *netzer*.

XI. 1 Alter locus sit e Psalmo apud Hebraeos octogesimo, qui apud Latinos est undeoctogesimus, et cujus in sextodecimo versu scriptum est כנה, quae vox alibi non reperitur. Ea scriptio sine punctis ambigua est: idcirco non una fuit omnibus de vocis natura sententia. Septuaginta verbum esse judicaverunt, illamque pronunciarunt כַּנָּה, *Cannàa*. Sunt enim interpretati κατάρτισον αὐτὴν, quos sequutus Vulgatus *perfice eam* convertit. Sed Hieronymus, et qui puncta Bibliis apposuerunt, nomen esse existimarunt, pronunciantque כַּנָּה, *Canna*; et ita hodie legitur, fereque omnes ajunt nomen esse foeminei generis; nisi quod Marcus Marinus in Thesauro putat esse nomen ipsum *Chen cum affixo, etsi Mappic non exprimatur ab Hebraeis hodiernis, nescio qua de causa*, inquit. Varie autem nomen in Psalmo interpretati sunt. Hieronymus *radicem*; Marinus, et Munsterus *basin*; Arias Montanus, Gejerus, Ainsworthus, Castalio, Versio Tigurina *vitiarium*; Junius Tremellius, Piscator, Burkius *Surculum*; Syriaca versio, et Chaldaica paraphasis *propaginem*; Coccejus, Ainsworthus, Hammondus, Hintzius *stirpem*; Muisius *plantam*; et aliter fortasse alii.

2 Mihi quidem vocem illam et verbum, et nomen esse constitutum est; adhibitamque ab auctore Psalmi utraque tum verbi, tum nominis significatione, quippe qui binas voluerit hujus loci literales esse sententias, pro ratione qua vox pronunciaretur. Itaque si ita pronuncietur ut verbum sit, quo modo Septuaginta fecerunt, illi verbo tribuo *cognominandi* significationem apud omnes certam, et confirmatam exemplis. Sed ad hanc Auctoris Psalmi sententiam proferendam totum ipsum Psalmum interpretari, ac declarare oporteret; quae res nos nimium ab instituto nostro deduceret. Sequemur hic igitur alteram solum Auctoris Psalmi sententiam, qua vox *canna* nomen est: in qua sententia nullam huic nomini aptiorem, quam

*trunci* significationem tribui posse statuo. Id unde constabit? Nimirum a Psalmo ipso, cujus partem quae ad rem nostram pertinet audiamus.

*E Psalmo LXXX. Versus novem.*

*Vers.* 9 Vitem ex Aegypto transtulisti (1), depulisti Gentes, et ipsam plantasti. 10 Repurgasti ante illam, egitque radices suas, ac regionem implevit. 11 Obtecti fuerunt montes umbra illius, ac ramis ejusdem cedri Dei (2). 12 Protendisti malleolos ejus usque ad mare, et ad flumen surculos ejus (3). 13 Curnam diruisti macerias illius, et convellunt eam quotquot praetergrediuntur viam? 14 Eamne depopuletur Aper silvestris, ac splendore Omnipotentis illam depascat? (4). 15 Exercituum Dee! redi, quaeso; aspice de caelis, atque intuere, ac vise Vitem istam, et Truncum quem plantavit dextera tua, superque Filium confirmasti tibi! 17 Succensus igni *est*, propemodum abrasus! Per increpationem vultus tui dispereant (5).

3 Ex his videre omnibus licet, a Propheta commemorari apud Deum magna illa beneficia Populo collata, quando illum ex Aegypto eduxit, in Palaestinam transtulit, et ibi collocavit, florentemque ipsius statum, et late prorogatos fines describi: quarum rerum eam fuisse causam, quia Deus cum Po-

(1) Vitis allegoria de Populo Hebraeo loquitur ex Aegypto in Terram promissam educto, et ibi amplissime collocato, et aliquando ab hostibus profligato, et propemodum exciso.

(2) Hoc est cedri maximae, ac excelsissimae.

(3) Usque ad Mare Mediterraneum, et ad flumen Euphratem.

(4) Eamne Aper silvestris, idest Dux, et Princeps hostium, depopuletur, et, illuminante vultum suum super eundem Omnipotente, quo ille victor evadat, avertente autem faciem suam a nobis, quo pereamus, eam depascat?

Aliter juxta puncta vertendum esset: ast haec sententia mihi videtur esse punctis antiquior.

(5) Hostes nostri, Apro illo duce, non *splendore* vultus tui victores sint, sed per increpationem ejusdem pessumdentur, atque dispereant.

pulo esset, cum de caelo benigne aspiceret, intueretur, inviseret. Conversis deinde rebus, complorari a Propheta miserrimum ejusdem Populi statum, qui nullis jam ad se tuendum munimentis instructus sit, ac direptioni omnium pateat, et quem immanis quidam hostis depopuletur, isque id faciat annuente, juvante, comprobante Deo, qui a Populo suo abierit, neque illum amplius de caelis aspiciat, intueatur, invisat; ex quo consequutum fuerit, ut igni ferroque consumtus, fereque excisus sit.

4. Haec elegantissima Vitis allegoria describi, nemo non videt. Quae de Aegypto in Palaestinam translata, et ibi post depulsos incolas, repurgatumque solum plantata, quum radices egisset, totamque illam terram suis et ramis, et frondibus operuisset; postremo, dirutis maceriis quibus sepiebatur, praedaeque exposita omnium, ab omnibusque illam convellentibus dilacerata, et denique ab immani quodam Apro vastata, et perdita, quid demum reliqui habere debuit, nisi solum Truncum, et hunc ipsum mire labefactatum, fereque consumtum et eversum? Id enim viti, et cuivis arbori accidat necesse est, cui simile quiddam obveniat; neque ut ita fieri doceamur, opus est argumenta conquirere, sed natura ipsa docet, atque oculis subjicit. Quamobrem quum ne solus quidem relictus Vitis truncus satis calamitates Populi explicaret, Propheta ut earum vim, et magnitudinem intelligeremus, truncum ipsum et igni a praedonibus Vitis succensum, et ferro propemodum abrasum induxit (1).

Constare igitur ab his quae diximus potest, trunci significationem nominis *Canna* a rebus quas Propheta descripsit,



(1) Quo loco ne qui mirentur, vocem Hebraeam כְּסוּחָה *chesuchà*, fuisse conversam a nobis, *propemodum abrasum*, monendum est, quod et Marcus Marinus in Thesauro monuit, dubitari utrum ea vox participium sit a verbo כסה an potius a סחה cum adverbio *Caph*; quam postremam sententiam sequimur, in qua vox *propemodum abrasum* significat.

ipsa illarum monstrante natura, postulari. Sed ut illud confirmemus, quod propositum initio fuit, nullam scilicet hac aptiorem significationem tribui posse; videamus quam apte alias, alii significationes attulerint; Nam qui *radicem* interpretantur, hi non videntur hoc dicere quod Propheta dicit: qui non radicem, sed vitem a Deo plantatam fuisse ait, vitemque radices suas egisse, postquam plantata fuit. Ne illi quidem satis apte fecisse videntur, qui *surculum*, *propaginem*, *stirpem* convertere voluerunt; quae nimirum grandi illa, excelsaque vite, quam Deus ex Aegypto transtulit, multo minora, et humiliora sunt; planeque Prophetae vitem, non vitis surculum, aut propaginem, aut stirpem afferenti contraria; convenienterque dicerentur, si Deus non magnum illum Populum, sed unum aliquem e magno illo Populo puerum ex Aegypto transtulisset. Longius etiam abeunt qui *vitiarium*; hoc est vitium multitudinem verterunt: Quasi Deus non unum Populum, sed magnam populorum multitudinem ex Aegypto in Palaestinam transtulerit, atque plantaverit. Qui vero *basin* interpretantur, proferre aliud quoddam exemplum debuissent, e quo constaret Scriptores sacros hac ratione solitos fuisse scribere. Nam plantare agros, oliveta, vineas, hortos, nemora, lucos, ligna, cedros, ficus, rosas in Sacris Literis invenimus; quae omnia basin quidem habeant necesse est, in qua conserantur. Nullum tamen exemplum est, quo locus in quo haec consita fuerint, basis nominetur, et basis cedris plantata, aut vitibus, aut rosis, aut alio quolibet genere. Novam igitur rem attulerunt exempla desiderantem, quae inveniri non poterunt. Unus est Muisius, qui aliquo modo se tueri possit, quandoquidem *plantam* attulit. Sed hoc ipsum commodum illi a trunco est, qui est pars maxima plantae: et qui diligenter statum Populi considerabunt, ad quem monstrandum Vitis allegoria inducitur, et descriptum ipsius Vitis statum attentius intuebuntur; hi facile in-

telligent, multo convenientius truncum, quam plantam verti. Aptior igitur voci *Canna*, quam *trunci* significatio tribui nulla potest. Sed quo aptior est significatio, hoc etiam convenientior, et proprior. Neque enim in vocibus explicandis, quae semel in Sacris Literis reperiuntur, alia ratio est qua judicare possimus, hanc illamve significationem ipsis convenire, illarumque propriam esse. Sic igitur ostensum est, nomini *Canna* significationem trunci convenire, et propriam illius esse, sive nomen ipsum *Chen* sit cum affixo, ut vult Marinus, sive aliud nomen illius maxime simile. Quamobrem hic alter locus erit, e quo perspicuam esse illam significationem diximus.

5) Discedere ab hoc loco non possum, quin magnopere quorundam licentiam in Sacras Literas mirer. Post quartumdecimum hujus Psalmi versum praeclaram esse precationem vidimus his contentam verbis: *Exercituum Dee! redi, quaeso; aspice de caelis; atque intuere, ac vise Vitem istam, et Truncum quem plantavit dextera tua, superque Filium confirmasti tibi!* Quem Filium esse Messiam veteres Hebraei confitentur, Christiani, atque in primis Patres, Filium Dei Jesum certe Messiam. Vates ergo precatur amantissime Deum, ut invisat Vitem et Truncum quem plantavit dextera ejus, et super Filium suum confirmavit sibi. Nimirum Vitem, et Truncum, quorum diuturnitas, et incolumitas a Deo ipso super Filium suum sibi confirmata erat; Vitem, et Truncum, qui labefactari quidem, atque discerpi miserrime poterant, sed excidi penitus, deleri, extingui nullo modo poterant. Quamobrem? Quia scilicet ex eo Populo Filius ipse Dei oriturus erat, idque Deus promiserat et Adamo primum, et Abrahamo postea, et Davidi, et Prophetis omnibus. Qua promissione ita Deus sibi confirmaverat illius Populi diuturnitatem, et stabilitatem, ut saltem quoadusque Filius ipse non oriretur, certissimum esset, Populum nunquam interiturum, aut excisum iri. Vates itaque, cujus

permagno interesat Deum ad misericordiam efficacissime flectere, hoc ut consequeretur, illud maxime adhibuit, quod, ut ita dicam, vim Deo infert. Quid illud est? Nimirum Filii Dei apud Deum commemoratio. Nihil enim hoc Patri jucundius, quia Filius ipsius dilectus est, in quo sibi bene complacuit; nihil efficacius, quia quidquid a Patre petierimus in nomine Filii sui, fiet nobis.

6 Sed tamen Houbigantius totam hanc tamque efficacem, ac pulchram Precationem ineptis de causis ex hoc loco depulit; et corruptum esse pronuncians, hoc est ipse illum corrumpere nitens, sic lectionem variat, ut hoc modo interpretetur: *Deus exercituum, nunc revertere, respice de caelis; vide, et visita vineam istam. Suffulci eam quam plantavit dextera tua; nam propterea ratam feceras eam tibi* (1). Houbigantio praeiverat Calmetus, qui in Commentariis ad hunc versum, postremaque ipsius verba sic scripsit: *Librariorum incuria has voces versiculo decimosexto insertas suspicor, ubi plane otiosae sunt, nec sensum juvant, imo syntaxim turbant.* Quae quam falso dicantur, et allata nuper explicatio declarat, et hebraice docti facile noscent. Calmeto concinuit Xaverius Matthaeus, qui dimidium hunc versum extra locum suum esse, oportereque omitti, hoc est deleri, pronunciavit. Sed hoc, ut in poeta, non admodum mirandum erit. Ab Hintzio fuisse deletum, multo admirabilius est. Cujus rei causae quae ab eo proferuntur, si cum iis conferentur, quas Houbigantius attulit, huic in eodem genere praeripere palmam poterunt. Itaque hujus loci hanc versionem edidit! 15 *Deus, cui caelestia obediunt, convertere, obsecro: a caelo prospice: contemplare: invise vitem hanc.* 16 (*Invise*) *Stirpem, quam plantavit dextera tua*; 17 *fundi-*

(1) Ne fideliter quidem *vineam* transtulit. Nam גֶּפֶן *ghephen*, inquit Marinus, *vitis*. Notum est. כֶּרֶם *cherem*, vero *vineam* significat. Ceterum ineptas illas quas commemoravimus causas refellere hic non vacat. Illum qui adierit, illarum levitatem noscere facile poterit.

*tus fere excustam flammis, et excisam: vehementi ira tua propemodum periimus* (1). Plus certe fidei desideratur, quam verborum abstulit. Quae monere necesse fuit, non ut carperemus viros doctos, quod vix unquam oportet, neque nostrum est; sed ut imperiti sermonis Hebraei, quandocunque inciderint in similes verborum Dei perturbatores, caveant sibi, sciantque in iis ut plurimum tantum desiderari judicii, quantum afferunt confidentiae. Sed redeamus in viam.

XII. I Tertius locus e quo constare debeat, nomini *Chen* trunci convenire, illiusque propriam esse significationem, erit Isaiae; isque multo luculentissimus.

### *E Capite Isaiae XXXIII. Versus quinque.*

*Vers.* 20 Aspice Sionem, urbem conventus nostri (2). Oculi tui conspiciant Hierosolymam, tranquillum Domicilium, Tentorium non transferendum, non loco movendum, cujus paxilli perpetuo *erunt*, nullique funes ejus abrumpentur (3). 21 Nam prorsus ibi magnificus Dominus noster. Alveus fluviorum, *alveis* fluminum *erit* amplissimorum ripis: non sulcabit eum navis actuaria (4), nec navigium magnificum praetergredietur eum. 22 Nam Dominus judex noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster, ipse nos salvabit. 23 Dimittentur funes tui, non roborabunt Truncum mali eorum, non expandent velum. Tunc distribuetur praeda quamplurimi spolii: claudi diripient

(1) *Salmo LXXIX.. esposto dall'Ebraico. Originale dal P. Fr. Giacinto Hintz dell' Ordine de' Predic. etc. etc. Cagliari 1805.*

(2) Urbem, in quam a nobis Hebraeis post diuturnum tempus magna solemnitate conveniendum est, non quidem corpore a singulis, sed religione ab omnibus; conversione omnium nostrum, omniumque gentium ad Religionem Christianam. Vaticinium enim ad illud tempus pertinet: quo tempore qui futurus sit Sionis, Hierosolymaeque status, e multis vaticiniis de Cruce cognoscetur.

(3) Paxilli humi defixi, quibus alligantur funes qui Tentoria continent.

(4) Navis quae remis agitur.

praedam. 24 Nec dicet vicinus: Aegre mihi est; e populo qui eam incolet, auferetur iniquitas (1).

2 Qui paucis nosse velit, quantopere Interpretes laboraverint, ut probabilem vigesimi tertii versus explicationem afferrent, adeat Synopsin Criticorum. Neque enim vacat referre omnium sententias; quarum ipsa varietas multitudoque satis ostendit, nondum allatam explicationem fuisse, quae omnibus satisfaceret. Sane Polo ipsi, qui tot explicationes collegit; *locus obscurus* adhuc dictus est; qui tamen est planissimus, atque perfacilis, modo nomini *Chen* sua *trunci* tribuatur significatio. Nam Hierosolymae aptari a Propheta ipso Tentorii allegoriam, et Tentorii loco non movendi, cujus et paxilli perpetuo in eodem situ fixi erunt, et nulli funes iisdem alligati abrumpentur; oculis ipsis cernimus. Ab eo Tentorio, aliaque allegoria, ingentium esse fluviorum alveum, et eum e quo alia complura oriantur magnaque flumina, aeque praeclarum est. Qua de re postea, similique allegoria Zacharias dixit his verbis: *Ac tempore illo exibunt aquae vivae ab Hierosolyma; dimidium earum ad mare orientale, et dimidium earum ad mare novissimum: aestate, ac hyeme fiet:* qui locus alibi a nobis explicatus est (2). Illum alveum neque actuariis, neque aliis majoribus magnificisque navibus sulcandum esse, quae hostes advehant cupiditate inflammatos evertendi diripiendique Tentorii, peraeque constat. Itemque manifesta causa est, qua non sit ab hostibus sulcandus; nempe quia Dominus et judex, et legislator, et rex salvam, et incolumem volet Hierosolymam, illud Tentorium ipsum. Ab his omnibus ita perspicuis, et manifestis quid manifesto sequatur necesse est? Nempe illud, ut Tentorii hostes, quantumvis ardeant cupiditate perrumpendi abripiendique ipsius funes, quo et illud evertant, et hos in usus con-

(1) Erit enim populus Jesu Christi discipulus, perfecte Christianus.

(2) De Apol. Cap. XXII.

vertant suos, id nunquam facere possint, coganturque semper ab incepto, re infecta, discedere, atque omnem de funibus in usus suos convertendis curam, cogitationemque dimittere. Atqui hoc ipsum illud est quod Isaias hoc loco dicit Hierosolymam alloquens: *Dimittentur funes tui*, Hierosolyma: *non roborabunt funes tui truncum mali eorum*, qui navibus ad te perdendam, evertendamque advehi cupiant; iidemque sperent se, saucios suarum navium malos funibus tibi direptis roboraturos; neque easundem vela tuis istis funibus expandent.

3 Quae quin ita sint, quis dubitare poterit? Nam Prophetam Hierosolymam alloqui, praeterquam quod tota ipsa orationis, quam attulimus, series indubitate demonstrat; pronomen affixum foeminei generis manifesto declarat (1). Quo magis mirari Calmetum oportet, qui Grotium malefidum illum comitem sequutus, Prophetam ad Sennacheribum sermonem habere dixit, totumque vaticinium ad Ezechiae tempora detorsit, invitis omnibus gratiis; neque animadvertens Isaiam de statu Hierosolymae, atque Tentorii loqui non transferendi, neque loco movendi, et cujus paxilli perpetuo staturi sint, nullique illius funes abrumpendi. At enim post Ezechiae tempora Tentorium illud et a Babyloniis primum, et a Romanis postea eversum est, paxilli defossi, funes abrupti. Ut nihil dicam de praeda illa spolii, quam Propheta commemorat; nihil de iniquitate e populo, qui Hierosolymam, et Tentorium illud incolet auferenda; quae longe aliorum temporum sunt ab Ezechiae temporibus.

4 Propheta igitur Hierosolymam alloquens inducta illa Tentorii allegoria, praedicit ipsius funes *dimittendos esse*, ab hostibus scilicet, qui adnavigare non poterunt eosdem direpturi. Verbum enim hujus loci hebraicum, ut notat Marinus, significat *dimissus*, *derelictus fuit*, *fu lasciato*, *lasciarsi in abbandono*. Verba ipsius sunt e Thesauro. Neque audiendus est Ar-



(1) נִטְּשׁוּ חֲבָלָיִךְ

noldus Bootius, qui vult ut interpretemur *disjecti sunt funes tui*: praesertim quum velit primum ruptos, deinde disjectos, et huc, illucque a vento raptatos (1). Haec enim plane contraria Prophetae sunt, qui paulo ante dixit, *nullique funes ejus abrumpentur*. Neque ergo disjicientur, neque disjecti huc illuc a vento raptabuntur. Ita funes illi aegre, atque invito animo ab hostibus qui adnavigare non poterunt, relicti, perpetuoque suis alligati paxillis, ac Tentorium immobile, firmumque continentes, nunquam converti in hostium usus poterunt. Idcirco *non roborabunt truncum mali eorum, non expandent velum*. Quomodo funes in navibus truncum mali roborent, omnes norunt. Nam e carchesio dimissi, atque hinc inde ad latera navium alligati, tantum roboris malo tribuunt, ut qui sine illis, expansis velis, illico ventorum impetu diffringeretur; idem constrictus funibus vim ferre ventorum, luctarique contra illos possit, ac vincere. Funibus item vela expandi, notissimum est. Ad hos ergo usus funes Tentorii nunquam adhibendos esse ab hostibus, Propheta pronunciat; idque propter causas ab ipso commemoratas. Tota res, ni fallor, admodum facilis, et plana est, atque ab ipsa rerum natura, de quibus agitur, ultro, et sponte sua sese prodens, atque proveniens.

5 Sed quid egerint ad hunc locum Interpretes, mirum est. Non eos dico qui paraphrases potius, quam versiones huc attulerunt; quorum in numero Septuaginta sunt, Vulgatus, Hieronymus; verum illos quorum infinita varietas nullum nobis relinqueret disserendi exitum, si omnium sententias et referre, et dignas esse quibus abstineamus, vellemus ostendere. Pauca libare satis sit. Fuere qui vocem ipsam *Chen*, desperata interpretatione probabili, sibi omittendam esse duxerunt; ut Castalio, Calvinus, aliique. Egregia sane interpretandi ratio, relinquere quae non intelligas! Sed ex illis qui non omiserunt,

(1) Vid. Syn. Critic.

Marcus Marinus interpretatus est, *Non fortificabunt aptationem mali sui*: aptationem, ut ex aliis ipsius aliorum locorum interpretationibus colligitur, sedem intelligens. Vix aliter Ludovicus Dius, *Non roborabunt basin mali sui, non expandent vexillum*. Quae dein explicans, *In bello*, inquit, *malus terrae infigi solebat, eique vexillum appendi .... Sensus est: Non est quod doleas, o Ecclesia: nam etsi bellum in te moveant hostes, non permittet Deus, ut vel basin mali sui firmare possint, in eoque vexillum pandere*. In qua explicatione illud initio est incommodi, quod quum Propheta dicat, funes Hierosolymae hostilium navium malos non roboraturos, Ludovicus funes abrumpat, et auferat (nihil enim de ipsis dicit) ac eorum loco hostes immittat: quod certe facinus non leve est. Facit enim ipse quod Propheta ne hostes quidem ipsos esse facturos ait. Deinde aptatio, sedes, basis mali, sive sit infixus terrae, sive in navi erectus, quaenam, rogo, est? Nonne si terrae infixus sit, tellus ipsa erit, si in navi erectus sit, carina? Magnum erit profecto miraculum, dignumque quod ore rotundo Propheta praenunciet non futurum, ut funes carinas hostium, aut tellurem roborent. Quasi timere aliquando debeamus scilicet, nequi sint, qui magna cum pernicie nostra, carinas suas, atque adeo tellurem ipsam roborare nostris funibus conentur. Atqui Marcus Marinus, et Ludovicus Dius uni maxime omnium sequuti sunt hoc loco usitatam Hebraeorum syntaxin, verborumque proprietatem: ut vel ex hoc ipso pateat, nihil aliud iis defuisse ad evitandos hos scopulos, in quos incurrisse manifestum est, nisi *trunci* significationem, qua sola in portu navigassent. Sit igitur certum, et maxime ab hoc Isaiae loco, significationem *trunci* convenire nomini *Chen*, et illius esse propriam. Quamobrem e duobus, quae hujus disceptationis initio proposita fuerunt, alterum ostensum est (1).



(1) Supr. §. IX.

XIII. Superiore igitur disceptatione argumentis quatuor, simplex trunci significatio nomini *Chen* asserta est. Illius vero *Trunci* significatio, qui sit ipsa Dei, Dominique nostri Jesu Christi Crux, ullisne argumentis asseri poterit? Et maxime quidem, permultoque pluribus. Erunt enim vel ab hoc solo libro nostro ad eam rem comprobandam argumenta vigintiquinque. Nam Prophetas his vaticiniis, quae in lucem a nobis proferuntur, de augusta illa Cruce loquutos esse, illamque ab iisdem nomine ipso *Chen* quinquies, et vicies fuisse appellatam, ita speramus exploratum omnibus fore, ut vel id omnino confitendum sit, vel omnes Criticae regulae abrogandae sint, planeque deserendae. Nullo enim, nullo prorsus modo fieri potest, ut, tributa significatione alicui nomini, quae ipsius propria non sit, et quam Scriptores ipsi non adhibuerint, habeantur tamen in eorum operibus sententiae propter illam ipsam vocem et gravissimae, et cum tota orationis serie, contextuque colligatissimae; et praeterea propriae tum muneris quo iidem sese fungi profitebantur, et cujus causa scribebant, tum finis quem sibi propositum esse declaraverunt, propositumque ipsis fuisse, certissimum est. Experiatur qui volet aut in Tullii, aut in Maronis, aut in Flacci, aut in Demosthenis, Homeri, Pindari, cujuslibetve Scriptoris cujuscunque temporis, et gentis lucubrationibus, quiddam simile conari. Ubi is sit, qui uni monosyllabae voculae seu Graecae, seu Latinae, seu cujusvis linguae tribuens Crucis significationem, quam non habeat, ea adhibita significatione ostendat, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Demosthenem, Homerum, Pindarum, quemlibet alium Scriptorem, qui de augusta Dei Cruce ne unquam quidem cogitaverit; tamen novem integris lucubrationibus, ac parte decimae exquisitissime compositis tam apte, tam enucleate, tam docte, tam graviter, tam sapienter, tam amanter, tam divine de illa Cruce loquutum esse, quam ne illi quidem ipsi, et Chri-

stiani, et piissimi Patres, Doctores, Theologi, qui de illa quam maxime cogitarunt? Quod si facere nemo poterit, ut certe non poterit; et tamen in his nostris vaticiniis vocula *Chen* egregie fit, atque mirifice; quis est qui non debeat confiteri, hac ipsa vocula Prophetas augustam Filii Dei Crucem nominasse? Quae vocula quum ad Truncum simpliciter significandum a Prophetis adhibita fuerit, ut supra ostensum fuit; profecto eos Trunci nomine illam ipsam Crucem appellavisse dicendum est. His igitur quae disputata sunt hactenus, Trunci, et Crucis significatio propria nominis *Chen* ostensa sit.

XIV. 1 Quanquam ut omnis tollatur ambigendi occasio, nonnullas afferamus animadversiones oportet, quibus occasionem praebuerunt elegantissimae clarissimi, et eruditissimi viri *Ignatii Rossi Etymologiae Aegyptiacae* nuperrime in lucem editae, quum haec conscriberemus. Verendum est enim ne locus a notatione, qui plerunque plus habet ingenii, quam severitatis, tamen a doctis tractatus viris oblatam a nobis Filii Dei Crucem nonnullis eripiat, eosque potius ad Aegyptios deos adjungat. Quod dum curamus ne accidat, dabit, opinor, Vir clarissimus veniam, et aequi bonique consulet, si quid afferre cogemur, e quo constare debeat, aliam nobis sententiam esse. Nam praefati honorem, quo illum colimus, et plurimi facimus, de rebus ipsis eruditi judicio utentur suo. Verba igitur ipsius audiamus.

Χενοσιρις (1). Planta Osiridis, *quo vocabulo Hederam denominant Aegyptii. Auctor Plutarchus Lib.* de Isid. et Osir. *tom.* 2 *oper.* pag. 365 Ετι δε και τον κιττον Ελληνες τε καθιερουσι τῳ Διονυσῳ, και παρ᾽ Αιγυπτιοις λεγεται Χενοσιρις ονομαζεσθαι, σημαινοντος του ονοματος, ὡς φασι, φυτον Οσιριδος (2). *Planta au-*

(1) Chenosiris.

(2) *Adhuc vero etiam hederam et Graeci Baccho sacram faciunt, et apud Aegyptios dicitur Chenosiris nominari, significante nomine, ut ajunt, plantam Osiridis*. Interpretationem claritatis gratia nos addimus.

tem *Osiridis dicitur, quia ab Osiride inventam ferunt. Diodorus Siculus* Lib. I pag. 15 του δε κιττου την ευρεσιν ανατιθεασιν Οσιριδι, και καθιερουσιν αυτον τουτῳ τῳ θεῳ, καθαπερ οἱ Ελληνες Διονυσῳ, και κατα την Αιγυπτιων ονομαζεσθαι φασι τον κιττον φυτον Οσιριδος (1). *Porro* Χιν (2) apud veteres Aegyptios est sine dubio, quod Copti dicunt, scribuntque ϣϣⲏⲛ, Theb. ϣⲏⲛ (3), φυτον, *Arbor, planta*: ϣ enim *cum* X *frequenter commutant*.. *Idem Hebraei per Caph. Namque* ϣⲏⲛ (4), *de quo agimus, scripserunt* כנה *Chennah Psal. LXXX. 16. Enimvero hoc nomen sumtum ex lingua Aegyptia, idemque* plantam *notare, vidit Samuel Bochartus* Phaleg. *lib.* I *cap.* 15 *Psalmi locus* sic habet, O Deus ..... aspice de caelo et vide, et visita vitem hanc, וכנה et plantam, quam plantavit dextera tua (5).

2 Hactenus vir doctissimus: qui etsi nihil dicat de ipso Hebraeorum nomine *Chen*, tamen quum hebraeam vocem *Canna*, quae ab Aegyptio *Chen* est multo remotior, Aegyptiae originis esse cum Bocharto statuat, plantamque significare; perfacile fieri potest, ut nonnulli existiment ejusdem originis esse utramque Hebraeorum vocem *Chen*, et *Canna*, et *plantae* quidem significationem utrique, *trunci* neutri convenire posse. In quam rem haec erunt animadvertenda.

3 Principio etsi daremus, quod minime damus, *Chen* Aegyptiae originis esse, et apud Hebraeos ita ut apud Aegyptios *plantam* simpliciter significavisse; ex eo tamen non consequeretur, Scriptores Hebraeos hoc nomen ad significandum truncum non adhibuisse. Mos enim est Scriptorum omnium aetatum, et gentium usu comprobatus, atque notissimus, aut a parte totum, aut a toto partem significare. Quem morem se-

(1) Hederae autem inventionem Osiridi tribuunt, illamque sacram huic deo faciunt, quemadmodum Graeci Baccho, et juxta Aegyptiorum linguam nominari ajunt hederam plantam Osidiris.

(2) Chen.

(3) Sen.

(4) Sen.

(5) Ross. Etymol. Aegypt. pag. 144.

quutos non esse in vaticiniis de Cruce Prophetas, qui causas ejus sequendi justissimas gravissimasque habuissent (eas quas supra diximus) ostendere certe eruditi nullo modo possent.

4 Deinde si quis diceret, *Chen* apud Aegyptios simpliciter *plantam* significavisse, nihilque praeterea; id nimis certe confidenter diceret. Quis est enim eruditorum, qui asseverare sine errandi periculo possit, *Chen* apud Aegyptios *truncum* non significavisse? Nam concedere quidem possumus, e Plutarchi, et Diodori Siculi testimoniis significationem *plantae* videri probabilem: sed Plutarchum, et Diodorum suis testimoniis omnes significationes complexos esse, quas vox *Chen* apud Aegyptios habuerit, undenam eruditi probabunt? Canem quam multis in rebus dicimus! Nam et animal cuique notum, et piscem, et sidus, et tormentum a veteribus in noxios adhibitum, et quandam minorum tormentorum ad excutiendas scintillas partem hac voce nominamus. Earum significationum si una quaepiam apud unum alterumve Scriptorem supersit, reliquae malo quodam fato post multa secula intercidant; rectene unam illam eruditi aliquando probabunt, aliam, si forte deprehendatur, plurimisque confirmetur exemplis, rejicient?

5 Dixi, e Plutarchi, et Diodori Siculi testimoniis significationem plantae videri posse probabilem. Nam certine sumus, Aegyptios quum Graecis tradiderunt, voce *Chenosiris* plantam Osiridis significari, propriam vocis *Chen* significationem indicasse? Laxius enim possunt esse loquuti, nomenque generis usurpasse, vim propriam nominis conticuisse. Herbae, seu plantae duae sunt, quarum altera *Capillus Veneris* (1), altera *Os Leonis* a Latinis nominatur (2). Harum nomina si homo latinus apud exteros latine ignaros laxius explicet, ajatque, illius nomen *plantam*, aut *herbam Veneris*, hujus *plantam*, *herbamve Leonis* significare; quam belle illi exteri ex eo

(1) Apulej. de herb. Cap. 47. (2) Colum. Lib. X. v. 99.

colligent, *capillum*, et *os* a Latinis *plantam herbamve* dici? Quod si Aegyptii cujusmodi quiddam fecerint cum Graecis, quando vocem *Chenosiris* explicarunt, nonne tantumdem erit? Non fecisse autem, undenam eruditi ostendent?

6 Nimirum neque Chaeronensi, neque Siculo satis compertum erat, verene ac presse ab Aegyptiis ea significatio traderetur; declararuntque dubitationem, atque prudentiam suam, adhibitis solemnibus formulis *ajunt*, *dicitur*, *ut ajunt*: quo modo loqui consuevimus, quum de rebus minime certi sumus, volumusque fidem penes auctores esse. Auctores autem Aegyptii suspectae fidei plurimum erant, quibus omnia suis illis mysteriis ita involvere in deliciis erat, ut vix unquam tuto posses quidquam dictum ab ipsis ita ut dicebatur accipere. Cujus rei exemplum est vel in illis ipsis Diodori verbis, quae Rossius recitavit. Nam quod ait Diodorus, *Hederae inventionem ab Aegyptiis Osiridi tribui*, ex eo si quis arbitretur, Aegyptios existimavisse, fuisse quendam hominem, Osiridem nomine, qui hederam invenerit, quasi ante illum nemo in Aegypto hederam norit; is mire falletur, magnoque in errore versabitur. Verissimum est enim quod ab Huetio tum alias saepe, tum his verbis monitum est: *Plurimum vero ipsis placuisse comperio, uni eidemque fabulosae personae diversas adjungere significationes, et alias quidem physicas, alias historicas; quod saepe jam monui*. Pauloque post, *Osiridis appellatione Sol et Nilus physice, Misrahimus Chami filius historice continebantur* (1). Quod autem hederae umbrosis humentibusque in locis potissimum crescant (2), neque ulla essent humentiora in Aegypto loca, quam quae erant ad Nilum, atque hac de causa in illis sine dubio, et plurimae, et maxime florerent; Aegyptii Nilum nominantes Osiridem, et sponte

(1) Huet. Dem. Evang. Prop. IV. Cap. X. num. 1.

(2) Bomar Dizion. di Stor. Nat. artic. *Edera*.

natam juxta illum plantam, in plantam ab eo inventam transferentes, hederae inventionem Osiridi tribuerunt. In quo nemo non videt quanta sit perversio, commutatioque significationum.

7. Haec et multa hujusmodi audentibus Aegyptiis, putamusne quum *Chen* significare *plantam* docuerunt, Plutarchum, et Diodorum Siculum certam fidem adhibuisse? Qui nimirum et suspicari maxime potuerunt, et re vera suspicatos esse a recitatis ipsorum testimoniis satis apparet, *Chen* apud veteres Aegyptios non generatim *plantam*, et *arborem*, sed potius *hederam* significavisse; nec quamcunque hederam, sed maxime illam quae Baccho etiam apud Graecos sacra erat: Ait enim in recitato loco Diodorus Siculus, Aegyptios sacram facere Osiridi hederam, quemadmodum Graeci Baccho, *Bacchus autem idem est qui Osiris*, ut inquit Huetius (1). Et quum non unum sit genus hederarum, nam aliae arboreae sunt, aliae terrestres, tamen peculiare genus illius est, quae a recentioribus Botanicis *Hedera dionysios*, hoc est Bacchea, seu Bacchi, nominatur; quae et plurima nascitur in Graecia, et ejus fructus hoc habent insigne, quod aureo sunt colore: quae res non item aliis accidit hederis (2). Haec Baccho a Graecis consecrata erat; eandemque Aegyptios sacram Osiridi fecisse par est: Sacram enim fecerant Osiridi hederam, quemadmodum Graeci Baccho, ut inquit Siculus. Quamobrem ex ipso illius testimonio non parum apparet, eum suspicatum esse, vocem *Chen* apud veteres Aegyptios hederam, non generatim *plantam* significavisse, nomenque *Chenosiris* nihil aliud re ipsa fuisse, nisi *hederam Osiridis*, hoc est Bacchi; ut eo nomine ab illis, quarum fructus aureo colore non essent, ignobilioribus hederis, distingueretur.



(1) Dem. Evang. Prop. IV. Cap. 3.

(2) Vid. Bomar loc. cit. num. 5.

8 Atque ita fuisse ab Aegyptiis nominatum peculiare illud hederae genus, confirmari similibus exemplis potest communis aliarum gentium loquendi consuetudinis; quam quidem et a recta ratione, et a natura ipsa videntur accepisse; a quibus omnino deflexisse Aegyptios, non puto eruditos esse dicturos. Graeci igitur quandocunque nominare opus fuit novas quasdam plantas in Graeciam invectas, easque proprias aliarum gentium, quid maxime fecerint, nomina docent, quae illis plantis imposuerunt. *Malum persicam*, *malum medicam*, plantas a Macedonibus e Perside, et Media in Graeciam allatas nominarunt; itemque *malum Cydoniam*, quae ex Creta insula venerat. Eodemque modo Romani *malum punicam* advectam a Poenis, et *Appiana poma*, puto item *Appianam malum*, ab Appia gente cognominarunt. Cur non dixerunt aut Graeci *plantam persicam*, aut *medicam*, aut *cydoniam*, aut Romani *plantam punicam*, aut *appianam*? Nempe quia quum plura essent pomiferarum genera malorum, unum genus ab aliis discernere necesse erat; totaque res intra solum pomiferarum genus continebatur; non vero ad universum plantarum pertinebat genus. Sic igitur et Aegyptii, quum non unum esset genus hederarum, distinguere autem deberent quodnam esset sacrum Osiridi, *hederam Osiridis* illud nominasse par est: Si quidem more hominum loqui voluerunt; quo more longe probabilius est fuisse loquutos. Ita multo etiam probabilius est, *Chen* apud veteres Aegyptios non generatim *plantam*, et *arborem*, verum *hederam* proprie significavisse.

9 Quae hactenus animadversa sunt, satis, opinor, ostendunt nullius fore ponderis rationes eorum, si qui erunt, qui hebraeo nomini *Chen* significationem *trunci* negare se posse arbitrentur propterea quia aegyptiae originis esse contendant. Declarant enim et quae sit probabilior, et quam incerta sit propria aegyptii *Chen* significatio: tum eruditorum neminem

ostendere posse, nomen illud apud veteres Aegyptios multiplicis non fuisse significationis, truncique significationem non habuisse: denique non recte colligi, neque ullo modo sequi, ut Scriptores Hebraei, in primisque Prophetae, nomini hebraeo *Chen* trunci significationem non tribuerint, si detur, quod minime dandum sit, tam apud Hebraeos, quam apud Aegyptios *plantam*, et *arborem* simpliciter significasse.

10 Sed nemo, quem sciam, hebraeum *Chen* aegyptiae originis esse dixit. Ne ipse quidem eruditissimus Rossius: qui cur *Canna* de Aegypto in Palaestinam advexerit, ipsum autem *Chen* tranquillum, et peregrinationis ignarum in Aegypto reliquerit, neque ullam inter illud, et *Chen* hebraeum amicitiam societatemve conciliare studuerit; causas certe graves habuerit oportet. Eas utinam nosse possemus! Illis enim hominibus objiceremus, si qui forte facere velint quod ipse non fecit; omninoque contendant, Hebraeorum *Chen* sumtum ex aegyptia lingua fuisse; atque hanc esse nominis notationem, e qua ipsius repetenda sit significatio. Qui si erunt, annon ab iis modeste sciscitari debebimus, quisnam eos ista docuerit? Nam sumtum ex aegyptia lingua fuisse, tolerari aliquo modo posset, si nulla esset in Hebraeo sermone radix, e qua rite derivaretur. Sed quum duae sint in Hebraeo sermone radices, *Chun*, et *Chanan*, quarum ex alterutra doctissimi quique viri nomen repetunt; hominum profecto est plus sapere volentium, quam oportet sapere, id foris quaerere quod domi est.

11 Quae demum esset haec disserendi ratio? Aegyptiis est vox *Chen*, eaque *plantam*, et arborem apud eos significat: vox igitur *Chen*, quam habent Hebraei, ex aegyptia sumta est lingua, plantamque, et arborem item apud eos significat. Quae ratio quam perversa sit, etsi maxime per se pateat, tamen etiam a simili ostendi facile potest. Nam Graecis quoque sua est vox *Chen*, χὴν, quam multo verisimilius dicere posse-

mus de aegyptia lingua fuisse petitam; quum nullum sit in tota Graecia thema, e quo illam rite derivare quis possit. Is igitur sit qui sic argumentetur: Habent Aegyptii vocem *Chen*, eaque plantam arboremque nominant: *Chen* igitur Graecorum vox ab aegyptia est lingua, Graecique, ut Aegyptii, sic plantam, arboremque nominarunt. Quam disserendi rationem si *anseres* Graeciae (nam Graecorum *Chen* significat *anserem*) si ergo anseres Graeciae ad commendandam generis sui nobilitatem, repetendamque magna cum eruditione suam ab Aegyptiis originem, aliquando instituant, contendantque, sese initio *plantas* et *arbores* in Aegypto fuisse, non volucres, quia nomen ipsorum aegyptium sit, plantamque, et arborem ibi significet; deinde translatas in Graeciam arbores aegyptias evasisse volucres; quid putas ceteras aves, atque adeo reliquas pecudes esse dicturas? Negaturas, opinor, nomen graecum ex Aegypto venisse: aut, si quidem ab Aegyptiis omnino sit, ac aegyptias significationes retinuerit, dicturas, apud Aegyptios non modo plantam, et arborem, sed etiam anserem significavisse; aut aegyptias significationes non retinuisse, ac veluti transfugisse; relictaque in Aegypto arbore, anserem in Graecia venatum esse, atque cepisse. Quod si dicerent, nemo, ut equidem arbitror, hominum reprehenderet.

12 Nimirum nostri isti eruditi notationum investigatores longe aliis rationibus ab iis quas inire plerunque consueverunt, itinera, et peregrinationes vocum ab una in aliam gentem ostendere deberent, neque adeo facile de significatione decernere. Locus enim est mirifice lubricus, cauteque tractandus; in quo plerique falluntur vocum aut eodem sono, aut soni similitudine: cujusmodi quiddam quum deprehenderunt, arbitrantur rem totam sese confecisse. Sed enim plane ridiculi erimus, si postquam voces aut ejusdem soni, aut similis, diversis in linguis invenerimus, eas esse peregrinas, et ab antiquiore quadam

lingua profectas arbitrabimur, significationesque illius linguae retinuisse. Quae res exemplis multo fiet illustrior. *Tornos*, τόρνος Graecis, *tornus* Latinis, *torno* Italis, Hispanisque instrumentum est, quo res quaedam extrinsecus intrinsecusve rotundae fiunt. Vocem Italos, et Hispanos e latina lingua in suas flexisse, certum est ab historia corruptionis latini sermonis, quo magna pars Europae olim loquebatur. Latinos suam accepisse a Graecis, item ab historia certum est, e qua constat et magnam Italiae partem olim graece loquutam esse, et Latinos permultas graecas voces, in primisque Doriensium, retinuisse. Sed unde Graeci vocem suam ediderint, quis facile dicat? Veniat igitur, si diis placet, aliquis eruditus, et quum invenerit apud Hebraeos esse vocem similem *Toren*, תֹּרֶן quae cum quibusdam affixis *torno*, et *torni* evadit, ajat hanc esse graecae vocis originem. Feremus fortasse hominis diligentiam, fortasse ingenium quoque laudabimus. Sed idem si contenderit, hebraeae vocis significationem ad Graecos transivisse, quis risum continere poterit, quum Hebraei *malum navis* ita nominaverint, Graeci sic nominare malum nunquam somniarint? *Ses* hebraea, graecaque vox est: graecae originem ex hebraea est qui ducere cupiat? Per me licet, modo nolit eandem apud utrosque significationem esse oportere. Nemo enim feret: quum *Ses* שֵׁשׁ, Hebraeis et *marmor*, et *byssum*, et *sex*; Graecis σὴς *tineam* significet. Eadem vox Graecorum quarto casu *Seta*, σῆτα evadit. *Seta* latina item, atque itala vox est. Sono nihil similius. De origine decernat qui volet; modo Italorum *sericum* non vertat in *Setas* porcorum, et has illudque *tineis* tradat. *Ars*, ἄρς, a Graecis dictus est *agnus*. Eadem vox quid apud Latinos significet, nemo ignorat. Vox similis Hebraeis est *Eres* אֶרֶץ (sic enim veteres ultimam literam pronunciaverunt) quae cum affixis *arsi*, *arso*, *arsam* evadit. Eritne haec graecae ac latinae vocis origo?

Sit sane, non enim invidebo; dummodo concedatur, vocem originis suae significationem neque apud Graecos, neque apud Latinos retinuisse; tantumque ab ea recessisse, quantum inter terram, agnum, artemque videmus interesse. Doriensibus, a quibus Latinos multa sumsisse commemoratum est supra, *Nasos* νᾶσος, insula dicitur. Ejusdem soni Latinis vox est. Etiamne ejusdem originis, ac significationis? De origine non disputabo: sed de significatione, quisquamne risum contineat, si quis sit tam admirabili eruditione, ut hominibus Latinis praecidat *nasos*, et nasorum loco *insulas* Graeciae ponat? Horum monstrorum dissimile nihil faceret quisquis hebraeum *Chen* de Aegypto arcessens, propterea *trunci* significationem eidem eriperet, quia *Chen* apud Aegyptios non *truncum*, sed *plantam* significaverit, debueritque apud Hebraeos illam ipsam retinere significationem. Certe eruditissimus Rossius hoc minime fecit. Nihil enim de nomine hebraeo *Chen* commemoravit, ut diximus, aegyptio delectatus, et eo contentus.

13 Sed idem nomen aliud hebraeum *Canna*, de quo jam multa diximus supra, e coptico *Sen*, et hoc ab aegyptio *Chen* ortum habuisse constituit, plantamque apud Hebraeos significare, quia copticum illud *Sen* plantam, et arborem notet. Cujus equidem tam longae, ac peregrinae genealogiae quae sit necessitas, videre non possum. Nam aut illud כַּנָּה *Canna* (sic enim plerique scribunt, etsi quiddam כַנָּה *channa*, nemo autem כֵּנָּה, *chenna*) aut igitur illud *canna* est ipsum nomen hebraeum *chen* cum affixo, ut placere Marco Marino vidimus, aut aliud ab eo nomen est, aut denique est verbum, ut Septuaginta Interpretibus placuit. Eorum quidquid sit, certum est, ortum suum habere domi potuisse. Nam doctissimi quique sermonis hebraei viri radices ostendunt, e quibus facilius citiusque pullulaverit. Quid ergo aegyptia ista, et coptica insitione opus est? Quae nimirum tota inutilis fallaxque erit, si

verbum est; ut esse, tum Septuaginta Interpretum auctoritate, tum optimis sententiis Psalmi tueri facile possumus. Quis autem vocem imperativi modi in hebraeo verbo natam esse ab aegyptio copticove nomine persuadere vel aliis, vel sibi ipse poterit? Sed nomen sit: nobis enim ex Auctoris illius Psalmi sententia et nomen, et verbum esse videtur, ut diximus. Si nihil per Rossium ipsum obstat, quominus *Canna*, hebraeum nomen, a coptico *Sen*, aegyptioque *Chen* ortum suum duxerit; quidquamne obstabit, quominus ab hebraeo *Chen* oriri potuerit? Nam ex hebraeis hebraea nasci, magis est juxta naturam, quam ex aegyptiis, et copticis hebraea.

14 Deinde quod Vir eruditissimus ait, *Chen* apud veteres Aegyptios sine dubio *Sen* Coptorum esse, de eo fortasse alii non parum dubitabunt. Nam concedere quidem poterunt, nominari a Coptis *Sen* plantam, et arborem, sed *Chen* apud veteres Aegyptios plantam, et arborem non significavisse, longe probabilius esse existimare poterunt. Quamobrem si causa non dubitandi ab utriusque nominis significatione petitur, habebit ea sane non parum dubitationis. Praesertim quum aegyptium *Chen*, χὴν, et copticum *Sen*, σὴν, hac etiam de causa possint esse diversa significatione, quia sunt diversa temporibus: quemadmodum μὲν, et μὴν apud Graecos; quorum alterum quia breve est, ut chen, *quidem*, alterum quia longum est, ut Sen, *mensem* significat. Nam quod Copti persaepe *S* cum *Ch* commutant, id satis esse non poterit, ut tollatur dubitatio. Erit enim aliunde ostendendum, id quoque in hac voce fecisse, ac illam utroque modo solitos esse scribere, ut in voce *Arsimandrites*, et *Archimandrites*, ceterisque quas Auctor exempli causa protulit; qui tamen nec quidquam aliunde ostendit, neque illius commutationis in voce ipsa *Sen* exemplum attulit. Id quanti referret, videre a simili possumus. Aprum Graeci σῦν ἄγριον, *Syn agrion*, nominarunt: Atticos dixisse

unqua ξὺν ἄγριον *Xyn agrion*, non invenimus. Tamen Attici eas literas persaepe commutant. Quid tum? nempe illud, ut, quemadmodum ex quo Attici eas literas commutent, colligere sine dubitatione non possumus, eos *Xyn agrion* pro *Syn agrion* dixisse, nisi aliunde probemus, aut proferamus exempla, ita ex quo Copti suas illas commutent literas, nisi paria fecerimus, colligere sine dubitatione non possimus, eos *Chen* veterum *Sen* dixisse. Atque, ne ab exemplo discedamus, ut *Sus* apud Atticos nunquam *Xus* evasit, sed semper *Sus* fuit; sic fieri potest ut *Sen* apud Coptos semper *Sen* fuerit, nihilque cum vetere illo *Chen* habuerit in significatione commune: quod satis est ad dubitandum. Nimirum quaedam sunt in omnibus linguis voces, in quibus ea commutatio literarum fieri nequit, quas commutare in aliis vocibus licet. Cujus generis non esse *Chen*, et *Sen*, unde discemus?

15 Venit tandem Vir clarissimus ad ipsam nominis *Canna* notationem, et ait Hebraeos *Sen* Coptorum per Chaph scripsisse. *Namque Sen*, inquit, *de quo agimus*, *scripserunt* כנה *Chennah Psalmo LXXX.* 16. *Enimvero hoc nomen sumtum ex lingua aegyptia*, *idemque* plantam *notare*, *vidit Samuel Bochartus Phaleg lib.* 1 *cap.* 15. Ita nominis notatio, plantaeque significatio duabus omnino rebus innixa est, quarum altera simplex est viri clarissimi assertio, altera Bocharti auctoritas. Asseruit enim, non probavit, Hebraeos citato Psalmo *Sen* Coptorum scripsisse *Canna*. Pari ergo jure negamus vocem *Canna*, quae semel, et eo Psalmo apud Hebraeos occurrit, esse *Sen* Coptorum, negamus Hebraeos illud *Sen* unquam scripsisse; res satis confecta est. Sed dum ille asserendi nullas attulit causas, nos negandi causas habemus eas, quas paulo ante commemoravimus, ubi diximus nomen *Canna* vel esse ipsum nomen hebraeum *Chen* cum affixo; quae est Marini sententia, vel aliud nomen ab eo diversum, sed item hebraeum, ut aliis placet;

vel denique vocem verbi imperativi modi juxta Septuaginta Intepretes, quorum et versio in Aegypto confecta est, et versionis sententia illud *Sen* Coptorum ita e Psalmo amovet, ut ad eum nunquam possit accedere. Praeterea quae criticae rationes allatae a nobis supra fuerunt ubi locus ille Psalmi declaratus est, eae omnes agmine facto huc confluunt, atque ut negemus volunt. Bocharti autem auctoritati opponimus primum ipsos Septuaginta Interpretes; deinde alios propemodum innumerabiles doctissimos viros, quibus longe aliter ab eo visum est. Viderit Bochartus, vir sine dubio doctissimus, et eruditissimus, nomen *Canna* sumtum ex aegyptia lingua fuisse, plantamque significare. Quid si in somnis viderit? Nam *quandoque bonus dormitat Homerus*. Etiamne dormitantem sequi, in ejusque verba jurare debebimus? Praesertim quum istorum eruditorum, qui ex hortis aegyptiis, copticisque plantas inferre in Palaestinam student, nemo ostenderit, Chen aegyptium, Senve copticum, addita syllaba, significationem non mutavisse. Fieri enim potest, ut apud Aegyptios *Chen*, et Coptos *Sen* plantam quidem, et arborem significaverit; sed addita syllaba, factoque ex *Chen*, aut *Sen Canna*, apud utrosque, praesertim vero apud Hebraeos, jam non plantae, aut arboris, sed *trunci* ipsius arboris significationem habuerit. Ut apud Graecos *Men*, μὴν, mensem significat: addita Syllaba, ut fiat vel *Mene*, μήνη, *Luna* est, vel *Menis*, μῆνις, est *ira*. Cujusmodi quiddam illis quoque vocibus non accidisse, ullane ratione nostri isti Aegyptii, et Coptici viri ostendere poterunt?

16 Atque ut aliquando hunc locum relinquamus, satis mihi videtur ostensum esse, a notatione nominum nullum duci argumentum posse ad eripiendam Hebraeis nominibus *Chen*, et *Canna* trunci significationem. Nihil enim solidi afferri ex eo loco ad quaestionem nostram posse, verum omnia esse hic dubia, illic incerta, hic nutantia, illic monstri simi-

lia, et pleraque suis ab auctoribus dicta, nec probata. Nos vero praetermissis istis argumentis (si modo dici argumenta possunt) vel nullius ponderis, vel certe levissimi a notatione nominum, ad astruendam trunci, et Crucis significationem ea persequuti sumus, quae a severissimis quibusque Criticae legibus offerebantur. Quarum vim, sensumque qui non amiserint, nae illi Hebraeis vocibus *Chen*, et *Canna trunci* significationem invidere nullo modo poterunt; et *Trunci* nomine augustam Filii Dei Crucem monstratam a Prophetis fuisse, debebunt confiteri.

17 Quod si demum eruditi illi notationum admiratores in eo firmi sint, atque, ut ille ait in comoedia, *omnes compacto rem agant*, *tanquam in Velabro Olearii*, mordicusque teneant, Hebraeis illis vocibus significationem quidem *arboris* tribuendam esse, *trunci* convenire non posse, anne propterea vaticinia nostra de Cruce interitura sunt? Nihil profecto minus. Nam id maxime animadvertendum est, voloque ut omnes intelligant, ac probe sciant, nostra haec de Cruce vaticinia non esse ita cum *trunci* significatione conjuncta, et colligata, ut si ea tollatur, debeant interire. Manebunt enim integra plane, deque ipsis illud dici verissime poterit quod in proverbio est, *Non ovum ovo similius*, etiamsi loco *trunci* ponere *arborem* voluerimus. Nam sententiae ipsae vaticiniorum invitis etiam, nolentibus, ac omni vi, et ope repugnantibus, et recusantibus hominibus, si quidem homines erunt, invicte demonstrabunt, arborem illam de qua Prophetae loquantur, nullam esse omnino aliam posse, nisi augustam illam, totoque animo colendam, et omnibus studiis nostris adjuvandam, ceterisque hominibus declarandam, in lucemque proferendam Filii Dei, summique Domini nostri Jesu Christi Crucem. Sed nos severius quiddam strictiusque sequimur; et quandocumque animum ad interpretationes Prophetarum appellimus, illud initio pro virili nitimur,

ut perspiciamus quo modo loquatur Ecclesia de illis ipsis rebus, de quibus etiam Prophetae loquuti sint, ut ipsius Ecclesiae loquendi consuetudinem etiam interpretando teneamus. Nec vero dubitandum est, quin ipsa quoque Ecclesia sacrosanctam Crucem *arborem* nominet. Sunt enim pervagati versus ex hymno, qui quum tremenda Crucis mysteria in Catholica Ecclesia maxime celebrantur, in ore omnium est:

Arbor decora, et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

At in his ipsis versibus illud est prae ceteris observandum diligenter, Crucem ab Ecclesia latiori quodam modo, ut passim etiam fit a poetis, *arborem* dici: verum qui per Ecclesiam *tam sancta Regis membra tetigit*, ipse *arboris stipes est*: ille est quo solo *arbor* ad ea tangenda *electa* est. Stipitem autem, caudicem, truncum, quisquamne tam stipes, aut caudex, aut truncus est, ut esse synonyma nesciat? Et quum Davides Crucem, aut, si mavis, arborem illam amantissime alloquens (1), de Rege ipso Jesu anima sua diceret, *Adhaeret Anima mea tibi*, scilicet confixa est, nonne de *Stipite* ipso loquebatur, qui sancta illa membra tangebat? Stipes ergo, aut caudex, aut truncus, interpretando tribuendus Davidi erat, seu potius relinquendus. Hac itaque ratione Davidem ita hebraice de cruce loquentem, ut Ecclesia latine de ipsa loquitur, nos, Trunco adhibito, sic exhibuimus nostris, ut et illius, et Ecclesiae sententias ipsas adamussim expresserimus; quod eruditi illi notationum non tam admiratores, quam servi, sua illa arbore sive aegyptia, sive coptica minime facerent. Ex quo intelligendum est, non peritura quidem vaticinia de Cruce, licet nostri eru-

*f* 2

(1) Vid. Praef., et suo loco Vaticinium.

diti tantum arborum afferant ad unum excidendum, aut evellendum Truncum, quantum olim in sylva Hercynia fuit: sed qui velit illud ipsum dicere quod Prophetae dicunt, atque hoc ipsum cum Ecclesia, non cum Aegyptiis, Coptisve dicere velit; huic omnino *Truncum*, non *arborem*, interpretando esse ponendum. Quod vero truncum stipiti, et caudici praetulimus (nam id quoque propter quosdam satis inepte delicatos, nimioque oleo delibutos dicendum erit quibus illa in Cantico, *Juxta Truncum Virgines te amant*, male oluere) id ex eo est, quod quum omnibus illis nominibus uti possemus, quorum uno ipsa etiam Ecclesia usa est, quae tamen eos delicatulos item offendisset; attamen primum illud nostris temporibus, et aliquanto dulcius est, et in usu etiam apud nostros, qui digniore quodam, et sublimiore modo sanctam illam Crucem versibus laudant. Quae res non erat negligenda; ut quantum est in nobis, suavia et grata faceremus nostris, quae Prophetis gratissima, et suavissima erant.

18 Nihil igitur est ab etymologia, seu notatione nominum vaticiniis de Cruce metuendum; et Trunci, Crucisque significationem nomini hebraeo *Chen* proprie convenire, ex his quae hactenus diximus, ita demonstratum est, ut nisi plane simus in Critica hospites, dubitare nullo modo possimus. Ceterum me nulla alia re, nisi amore veritatis ductum de hoc notationum loco hic disseruisse, velim ut omnes sciant, sibique persuadeant. Neque enim dum tueri in vaticiniis Prophetarum augustam Filii Dei Crucem studeo, laedere quenquam institui; minimeque omnium virum clarissimum, atque doctissimum Ignatium Rossium, quem equidem mirum in modum suspicio, non solum propter ipsius propemodum incredibilem eruditionem, praeclara studia, egregios labores, quos partim edidit, partim pollicitus est; verum etiam quia vir optimus e pretiosis reliquiis est illius praeclarissimae Societatis, cujus in-

teritum ut aliquando tempora postularunt, ita nunc reditum in vitam videntur maxime cupere. Quod si quando Deo placuerit, permultum ex eo certe ad excitandum collabentem calamitate temporum augustae Crucis cultum adjumenti accesserit (1).

XV. Sed quum de significatione *Trunci* quin propria sit inter ceteras vocis *Chen*, dubitare non sinant argumenta quae diximus, illud tamen affirmare certissime videmur posse, nec veterum quenquam, nec recentiorum Interpretum, neminemque praeterea illorum, qui commentarios in Biblia conscripserunt, qui propemodum sunt innumerabiles, illam significationem, ubi Prophetae de augusta Filii Dei Cruce vaticinantur, adhibuisse. Qui modus est quo accidit, ut eorum de illa vaticinia hucusque incognita fuerint. Equidem labores omnium tum Interpretum, tum Enarratorum videre non potui. Quis enim id possit in tanta linguarum varietate, quum vix ulla natio sit quae Sacros Libros non habeat in linguam suam conversos, et quae complures non enumeret Scriptores, qui eos, vel omnes, vel aliqua ex parte attigerunt? Quanquam ad eam rem judicandam omnes videre non est fortasse necessarium. Satis enim esse poterit ex omni aetate praecipuos; itemque inspicere, num ea consequuta sint, quae sine dubio consequutura fuissent, si quando aliquis divinam illam Crucem e Prophetarum oraculis attulisset.

XVI. Itaquae Septuaginta Interpretes occasionem nominandi *trunci* undecies nacti sunt, usitato apud Graecos nomine *Stelechos* (2). Sed nec ullus est in iis locis sermo de Cruce, nec apud Hebraeos est nomen *Chen*. Imo, uno excepto Jobi

(1) Haec scribebantur aliquot annis ante quam praeclara illa praeclarissimorum virorum Societas Romae revixit.

(2) Στέλεχος: Quod nomen occurrit Gen. XLIX. 21, Jobi XIV. 8, Jes. XVII. 8, Ezech. XIX. 11, et XXXI. 12; ac 13, Cant. III. 6, Eccli. V. 14, Jobi XXIX. 18, Exod. XV. 27, Num. XXXIII. 9 juxta Concordant. Abrahami Trommii.

loco quartidecimi capitis, in quo est altera illa truncum significans vox *Gaza*, cetera voces habent hebraeas quae *cervam*, quae *contortum*, quae *folium*, quae *ramum*, quae *columnas*, quae *arenam*; quae *palmam* proprie significant, ut Abrahamus Trommius adnotavit. Similisque est ratio Aquilae, Symmachi, Theodotionis, aliorumque veterum Interpretum graecorum, quorum voces pro hebraicis redditas idem Trommius suis Concordantiis complexus est, collectas e fragmentis, quae supersunt a Bernardo Montfauconio editis. Et quanquam dubitari possit, num *Trunci* significationem adhibuerint in reliquis librorum partibus quae perierunt, tamen quae mox dicturi de Latinis sumus, eam dubitationem ita rejiciunt, ut pro certo, exploratoque habendum sit, Interpretes graecos nunquam de significatione *Trunci* voci *Chen* tribuenda cogitasse.

XVII. De Latinis videamus. In Editione Vulgata, quae magna ex parte vetus illa est Itala dicta, *truncus* ter dumtaxat occurrit. Primus locus est quartodecimo Jobi capite. *Lignum habet spem: Si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit* truncus *illius, ad odorem aquae germinabit, et faciet comam quasi quum primum plantatum est. Homo vero quum mortuus fuerit, et nudatus, atque consumtus, ubi quaeso est?* (1) Numquidnam hic est de cruce? Itaque apud Hebraeos ne *Chen* quidem est, sed nomen illud *Gaza*, cui, non nomini *Chen*, significatio *trunci* ab Interprete hoc loco tributa est.

Alter locus est Isaiae capite quadragesimo. *Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, judices terrae velut inane fecit: et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra* truncus *eorum: repente flavit in eos, et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos* (2). Quam alius,

(1) Job. XIV. 7. seqq.

(2) Is. XL. 23. 24.

quam dissimilis, quam diversus a trunco crucis hic truncus scrutatorum, et judicum sit, etiamne dicendum erit? Sed is, quod esse oportuit, *Gaza*, non *Chen*, est apud Hebraeos.

Denique tertius Vulgatae Editionis locus, in quo nominatur *truncus*, Isaiae item est, quarto supra quadragesimum capite. *Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combussi igni, et coxi super carbones ejus panes: coxi carnes, et comedi; et de reliquo ejus idolum faciam? ante* truncum *ligni procidam?* (1) Quidquamne tam distat a cruce quam ligneum idolum? Quo loco apud Hebraeos non modo non est *Chen*, sed ne illud quidem *Gaza* est, verum aliud nomen *Bul* (2) *proventum* proprie significans: ex quo fit, ut quidam interpretentur, obscurius quidem, atque inelegantius, sed quantum ad verborum significationes strictius, *proventui arboris incurvabo me?* Scilicet coram ramo qui ex arbore provenit: et metonymice coram idolo ex ramo facto; ut ex Kimchio Montaldus adnotat (3).

His igitur tribus in locis, nec alibi omnino, ut e latinis Concordantiis certissimum est, nomen *truncus* in editione Vulgata reperitur; in quibus quum item certissimum sit, apud Hebraeos non inveniri nomen *Chen*, profecto nihil esse praeclarius potest, quam *trunci* significationem ab interprete Vulgatae editionis nomini *Chen* nunquam fuisse tributam.

Et quoniam paulo ante diximus, etiam Hebraeorum nomen *Gaza* ter tantum esse in Sacris Libris, jamque duo loca nuper recitata sunt; juvat huc tertium afferre, ut, tribus omnibus cognitis, illud pateat quem vere dictum a nobis fuerit, Prophetas ubi de cruce vaticinantur, nunquam hoc nomine usos esse. Locus est Isaiae capite undecimo, ubi Latina sic habet: *Et egredietur virga* de radice *Jesse, et flos de ra-*

(1) Is. XLIV. 19.
(2) בול.
(3) Montald. Lex. pag. 407.

*dice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini* (1). Hunc locum alii interpretantur strictius, *Egredietur surculus* e trunco *Jesse* (2). Ipsa vero illius verba, notaeque sententiae Patrum, nihil in eo esse de cruce demonstrant.

XVIII. Redeamus ad Latinos. Quid? Divus Hieronymus unquamne *Chen Truncum* interpretatus est, aut hoc nomine Prophetas sacrosanctam Crucem appellasse dixit? Quod si dixisset, profecto magno etiam apparatu vir eruditissimus, et eloquentissimus confirmasset; ac Patres qui post eum floruerunt, erutam ab Hieronymo ex oraculis Prophetarum crucem mirificis in caelum extulissent laudibus, novoque hoc armorum genere, eodemque invicto Judaeos, Paganos, Haereticos acerrime debellassent. Sed hoc neminem Patrum fecisse, ipsorum testantur libri. Est divi Gregentii Archiepiscopi Taphrensis cum Herbane Judaeo disputatio, in qua vir gravis, et doctus, et in Sacris Literis egregie versatus multa pro Christianis adversus Judaeos praeclare, acuteque disseruit (3). In ea disputatione quum Herban dixisset, *Jesum Christum in mundum ad ignominiam, et contumeliam sui venisse*, Gregentius hominis inscitiam, et improbitatem gravissime refutavit. Ad quae Judaeus, *si Deus*, inquit, *erat, quamobrem, siquidem poterat, crucem non abjiciebat?* Cui Gregentius, *si abjecisset*, inquit, *quomodo vaticinia completa fuissent?* Quo loco Herban perinde quasi certam sibi victoriam polliceretur, *De Cruce*, inquit, *prophetias, sive oracula mihi enarra, et quinam Prophetae de hac loquuti sunt*. Ibi Gregentius, et de ligno Arcae quo a diluvio servatum genus humanum fuit; et de planta cui vinctus haerebat aries salutem Isaaco jam jam caedendo ab Abrahamo daturus, et de baculo cui Jacobus fausta, et felicia precaturus liberis, mortique proximus innitebatur; et de

(1) Is. XI. 1. 2.
(2) Vid. Synops. Criticor.
(3) Biblioth. PP. Tom. XI. pag. 599. Edit. Ven.

compositis ejusdem in modum crucis manibus; et de virga qua Moses magna illa miracula patrabat; et de ligno quo idem aquas amaras convertit in dulces; et de sublatis in caelum ejusdem Mosis manibus, quo statu, gestuque Amalecitas vertebat in fugam; deque aliis similibus figuris, et symbolis dixit: sed de illa ipsa cruce, de qua unus omnium maxime, utpote palam, et diserte provocatus a gloriabundo Judaeo, dicere debuisset, nihil omnino. Id quid aliud est, nisi certum est argumentum, vaticinia de cruce usque ad seculum sextum, quo Gregentii disputatio graece conscripta fuit, incognita plane fuisse; neminemque nomini *Chen* ante illud tempus significationem *Trunci* in sacris Libris sive interpretandis, sive declarandis attribuisse?

XIX. Post Hieronymum, et inde a seculo sexto usque ad interitum literarum, ac per totum tempus quo hae misere jacuerunt, qui divinos Libros ex Hebraeo interpretati sint, nulli commemorantur; pauci qui in iis enarrandis Hebraea volumina consuluerint. Sed postquam suus est literis honor restitutus, plures et Catholici, et Heterodoxi interpretati sunt vel omnes, vel aliquot, vel aliqua ex parte; et superiore seculo e Catholicis Carolus Franciscus Houbigantius novam interpretationem omnium latinam, hoc ex Heterodoxis Pastores, Professoresque Genevenses novam item omnium gallicam ediderunt (1). Qui vero lucubrationes cujusque generis in Sacros Libros conscripserunt, vix numerari possunt. Ast neque apud eos qui interpretati sunt, neque apud hos lucubrationum Scriptores *Truncum* Prophetarum, hoc est augustam Filii Dei Crucem invenias. Quanquam enim omnium opera videre non potui, tamen si quis ante Houbigantium, et Genevenses, hoc est, ante hos tres annos crucem attulisset, hi qui laborem interpretandi



(1) Houbigantii versio Parisiis anno 1753., Genevensium Genevae 1805. edita est.

ultimi sumserunt, profecto non siluissent; et aut crucem ipsi etiam suis interpretationibus intexuissent, aut cur non intexuerint, rationes protulissent contra illos id qui fecissent: quorum neutrum ab illis effectum est. Quid? censesne Theologos, et maxime illos, qui apologias pro Religione conscripserunt, fuisse rem tantam silentio praeterituros, praesertim hoc tempore quum tanta est in Religionem clades ab Incredulorum, Atheorumque consiliis, et nefariis machinationibus excitata? Quorum de scelestis conatibus quinam homines aut citius, aut magnificentius triumphare possunt, quam Prophetae, Prophetae vero, ut minimum, quater, et vicies nominantes crucem ante decem secula quam mortuus in Cruce Dei Filius est? Atqui etiam apud Theologos altum est de cruce a Prophetis nominata silentium.

Quid est ergo quod afferri etiam oporteat, aut praeterea postuletur, ut pro certo exploratoque habere debeamus, nec veterum quenquam, nec novorum Interpretum, neminemque illorum, qui commentarios in Biblia scripserunt, aut eadem quomodocumque attigerunt, nomini *Chen*, ubi Prophetae de augusta Cruce vaticinantur, *Trunci* illam significationem eruditissimorum virorum testimoniis, et auctoritate comprobatam tribuisse? Ita factum est, ut Prophetarum de cruce vaticinia hucusque incognita fuerint: qui erat modus quo id acciderit a nobis explicandus.

XX. Ego vero (ut mihi quid acciderit dicam) quum intelligerem tot tantosque viros omnium aetatum, ac gentium inde a Ptolemaei Philadelphi temporibus ad hanc usque memoriam nunquam illam significationem adhibuisse, fere dubitavi de auctoritate doctissimorum hominum, qui vocis *Chen* esse propriam docuerunt, praesertim quum ab iis exempla non afferantur; et has ipsas lucubrationes trepide, et quasi dubitanter institui. Sed eam trepidationem, et quasi dubitationem Pro-

phetae sustulerunt. Nam si unam, aut alteram sententiolam a reliquo suo corpore veluti decisam, et avulsam afferremus, eaque unum aliquem Prophetam de cruce vaticinatum esse contenderemus, profecto de vi dubitari jure meritoque posset. Nihil est enim quod hac ratione Scriptoribus non possit affingi. Sed quando et plures Prophetae sunt, iique temporibus dissiti, et uno vaticinio excepto quod totum non afferimus, reliqua novem suis omnibus partibus integra proponuntur, in iisque maxime elucet naturalis, et tum sibi, tum rebus consentiens totius orationis series, ordoque; extantque praeclarissimae sententiae nihil nisi grave, nisi magnum, nisi excelsum, nisi sublime, nisi Deo, ejusque Religione dignum habentes, quae, nisi nomini *Chen* significatio *Trunci*, *Crucisque* concedatur, amittantur omnia, et intereant necesse est; quid esse hinc manifestius potest, quam illam significationem a Prophetis ipsis nomini *Chen* fuisse tributam? Qua in re illud erit etiam fortasse justum, nobis ut persuadeamus (quandoquidem, ut diximus, non unico semper sensu Prophetae loquuti sunt) has sententias, quas ipsi ex Hebraeo severissime afferimus, a Deo revelari potissimum voluisse; si quidem aliis etiam verum esse videbitur, quod videtur nobis, has praestare ceteris et dignitate, et gravitate, et reliquis luminibus, quae in oratione expeti maxime possunt. In quo tamen standum est judicio Ecclesiae; cujus unius est de vero Sacrorum Librorum sensu decernere, et cui nos, nostraque omnia subjecta esse sine ulla exceptione volumus.

Nam quod attinet ad viros doctissimos, qui Trunci quidem significationem nomini *Chen* tribuerunt, sed exempla non protulere, nae illi ab hoc labore nostro habebunt duodetriginta illius significationis exempla, in quibus vigintiquinque propter augustam Crucem longe dignissima, et nobilissima. Quibus illud praeterea fiet, ut non ab hominibus Prophetae, sed a Pro-

phetis homines, doctrinae suae patrocinium habeant, et auctoritatem. Quanquam a nobis qui hactenus incognita proferimus, minime postulandum est, ut doctos etiam proferamus viros, qui nobiscum senserint. Neque enim incognitae res essent, quas alii ante nos vidissent. Quamobrem si qui erunt, qui a nobis utriusque significationis testimonia postulabunt, ab iis modeste petemus, utrum divina, an humana testimonia velint. Si divina, haec duodetriginta proferemus: sin autem humana, patiantur a nobis ubi divina sunt, humana non quaeri.

XXI. Satis, opinor, et de nomine dictum est, quo Prophetae sacrosanctam Crucem appellarunt, et de modo, quo factum est, ut ipsorum vaticinia de Cruce hucusque incognita fuerint. Nam quod quaeri praeterea posset, cur factum fuerit, in quo locum haberet inquisitio, num haec vaticinia in iis sermonibus enumeranda sint, quos Prophetae usque ad praefinitum tempus clausos esse, obsignatosque debuisse docuerunt (1); id quum ad causam pertineat, sapientes judicabunt.

Qua de re, hoc mihi tantum animadvertere liceat, si forte sapientes viri annumeranda esse clausis sermonibus judicabunt, discrepantiam versionum nostrarum ab omnibus Versionibus, quae hactenus editae fuerunt, nemini debere admirationem parere, neque oportere quenquam ea re offendi. Sic potius unusquisque ista consideret. Nam si clausi erant, obsignatique sermones usque ad praefinitum tempus, videat num fieri potuerit, ut ante illud tempus reserarentur, et ab omnibus intelligerentur. Quod quidem fieri non potuisse, omnes, opinor, jure concedent. Nam si fieri potuisset, illi ipsi sermones simul clausi, et non clausi fuissent. Clausi quidem, quia tales usque ad praefinitum tempus esse debebant: non clausi autem, quia reserati ante illud ipsum praefinitum tempus fuissent. Quae

(1) Dan. X. 9.

sane duo una consistere nequeunt, omninoque eadem res ut sit, itemque non sit, fieri non potest. Praeterea siqui homines obsignatos illos usque ad praefinitum tempus sermones intelligere ante illud tempus potuerunt, id aut Deo volente, aut eodem repugnante consequuti sint oportet. Sed consequi Deo volente non potuerunt; quum certa sit auctoritas, illum voluisse, ut usque ad praefinitum tempus obsignati manerent, non ut ante illud resignarentur. *Tu vero, Daniel, claude*, inquit, *sermones, et obsigna Librum usque ad praefinitum tempus* (1). Volente igitur Deo intelligere non potuerunt: eodem autem repugnante, quis est qui sese quidquam in sacris Literis intellexisse audeat affirmare? Accedit ad haec, Prophetam docuisse, a multis obsignatos illos, clausosque sermones percurrendos, investigandosque fuisse, multiplicemque esse debuisse de illis disciplinam, et scientiam. *Percurrent multi*, sive, ut alii vertunt, *investigabunt* (sermones, et Librum) *et multiplex erit scientia* (2). Quae quidem multiplex scientia, et disciplina e varietate orinetur oportuit sententiarum, quibus eos explicare pii, doctique viri niterentur. Id quoadusque fiet (fit autem etiamnum inde ab initio in illis maxime locis quae proferimus, ut ipsorum Commentarii testantur) argumento est, neque doctos, piosque viros unam illam, atque praecipuam sententiam, quae clausa sit, assequi ante praefinitum tempus potuisse, aut debuisse, neque Ecclesiam quaenam ea sit, hactenus declaravisse. Nam illam, ubi docti viri assequuti fuerint, multoque magis ubi Ecclesia quaenam sit pronunciaverit; tota illa multiplex scientia concidat necesse est, unaque sit, ac simplex omnium de clausis sermonibus scientia, et disciplina. Semota enim causa, effectus

(1) Dan. XII. 4.

(2) Idem ibid.

Vulgatus eodem sensu, sed paulo aliter, *plurimi pertransibunt*: plurimi scilicet pii, doctique viri, qui eos explicare conabuntur, alius post alium diuturno seculorum ordine ante illud praestitutum tempus obibunt, (*pertransibunt*) afferentque multiplicem de ipsis scientiam.

concidat oportet. Causa autem illius multiplicis scientiae, ea per Prophetam est, quod clausi sermones essent. At multiplex illa scientia stetit hactenus: ergo etiam ipsius causa hucusque stetit. Ex quo consequitur, sermones ipsos etiamnum inde ab eorum ortu clausos fuisse; nec quemquam eos aperire ante praefinitum tempus potuisse, aut debuisse.

Quae si ita se habeant (aliorum enim esse malumus judicium) illud etiam erit concedendum, nullas ante praefinitum clausis sermonibus tempus esse debuisse, aut potuisse Versiones (Deo ita providente) quae ipsos aperirent, efficerentque ut ante illud tempus intelligerentur. Ut vero nullae illiusmodi essent, id plerunque fieri non poterat, nisi per quasdam earum a primaevis Textibus discrepantias, quae in Versionibus, quae ab Ecclesia probatae sunt, rectum quidem, et divinum sensum haberent (fiebat enim Deo sic providente, ut diximus; quod praesertim de istis intelligendum est) illum tamen sensum, qui clausus esse debebat, non haberent. Quam rem illustriorem faciet exemplum. Fac vaticinia de Cruce, quae proferimus, hactenus in clausis sermonibus fuisse, tempusque illis praefinitum, per quod clausi esse deberent, aetate hac nostra dumtaxat elapsum esse. Censesne tu primum illum ejus Versionis auctorem, quae *Itala* dicta est, quaeque fortasse aequalis est Apostolorum temporum, debuisse, aut potuisse in versione sua *Truncum* ponere, ut nos posuimus? Quod si fecisset, ecquisnam non intellexisset, sacros illos auctores de Cruce nominatim loquutos esse? Itaque illorum clausi, obsignatique sermones duodeviginti seculis ante praefinitum tempus resignati fuissent. Quod ipsum multo etiam antiquius factum esset, si *Truncum* posuissent Septuaginta Interpretes, qui aliquot seculis ante Apostolorum tempora floruerunt. Similisque ratio illarum est omnium, quae posteris temporibus ad hanc usque aetatem nostram fuerunt exornatae.

Maneat igitur, nullas esse potuisse, aut debuisse Versiones, quae ante praefinitum tempus sermones clausos aperirent; atque idcirco quasdam non raro in omnibus esse discrepantias a primaevis Textibus oportere: quas divino allatas esse consilio hac ipsa de causa ne reserarentur, quae obsignata usque ad certum tempus esse deberent, mihi videtur jure existimandum esse (1). Non est ergo cur mirentur, multoque minus cur offendantur ii, qui viderint versiones nostras interdum ab illis etiam discrepare, quae sunt ab Ecclesia probatae, atque propositae. Nam nè Ecclesia quidem obsignatos illos sermones aperire, ante praefinitum tempus potuit, aut debuit: quandoquidem alia ipsius, alia Dei voluntas esse non potest, ut si Deus nolit, hoc illove tempore quaedam patefieri, Ecclesia velle nequeat, ut eadem, negato illo divinitus tempore, patefiant. Itaque ne Versiones quidem potuit, aut debuit proponere, quae illud eo tempore facerent, quod Deus alio, remotiorique fieri voluerit tempore. Praesertim quum Ecclesia primaevos ipsos Textus semper susceperit, et venerata sit, quemadmodum supra ostensum est; atque idcirco clausos illos sermones in ipso illo sensu, qui in primaevis est Textibus, non aliter atque Deus fecerit, perpetuo proposuerit; eum aliquando sine dubio declaratura, postquam praefinitum tempus abierit, adveneritque declarandi tempus: qua declaratione proposita, omnis tolletur dubitatio. Quo magis reprehendenda est temeritas eorum, qui privato suo, minimeque recto judicio primaevis Textibus adimere conantur auctoritatem. Sic enim est existimandum, ni fallor, occlusos sermones per eos potissimum Textus esse reserandos, adhibito studio, diligentiaque singulari. Cujus rei non leve fortasse praebebunt argumentum, nostra haec de Cruce vaticinia. Nam quum Versiones admodum multae ad hanc usque memoriam editae fuerint, earum certe nulla

(1) Hac de re vide quae diximus *De Apolog. Cathol. Relig.* pag. 144.

est, de qua elici potuissent. Uni primaevi Textus, semper ab Ecclesia propositi, nostras has de Cruce nominatim tam praeclaras sententias perpetuo habuerunt. Ex quo illud effectum est, ut quemadmodum *Omnis Scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, et vetera* (1), sic nos, licet rudes, planeque indocti, nova haec, et vetera de thesauro primaevorum Textuum protulerimus. Pro certo autem, exploratoque habemus, viros doctos longe majora, multoque uberius, atque felicius inde prolaturos esse.

Illud mihi monendum superest, sola non esse haec vaticinia, e quibus pateat, Messiam Cruci configendum fuisse. Sola sunt (praeter alia quaedam, ut diximus) in quibus Truncus expresse nominatus est: sed Messiam eo mortis genere fuisse interimendum, Prophetae permultis aliis vaticiniis egregie monstrarunt. Quod ideo monendum est, nequis occasionem calumniandi arripiat, quum audiet proferri nunc primum a nobis e Vetere Testamento, hactenus incognita de Cruce vaticinia, quasi nobis ea mens sit, neque Judaeis, neque Christianis summum hoc de Dei crucifixione mysterium e Vetere Testamento, ante nos cognitum fuisse: quod tum falsum est, tum mirifice ineruditum. Satis est enim sacrosanctas Apostolorum Scripturas vel leviter percurrere, ut constet quam multa illi e Vetere Testamento, de crucifixione Messiae vaticinia protulerunt; quae saltem ab eo tempore Judaeis juxta atque Christianis notissima sunt. Sic Joannes descripta Domini morte. *Facta*, inquit, *sunt haec, ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit, Videbunt in quem transfixerunt* (2): quorum alterum ab Exodo, et Numeris est, alterum a Zacharia. Sic Marcus, *Cum eo crucifigunt duos Latrones, unum a dextris, et alium a sinistris*

(1) Matth. XIII. 52.

(2) Jo. XIX. 36. 37.

ejus. *Et impleta est Scriptura quae dicit, Et cum iniquis reputatus est* (1): qui nimirum tunc temporis cruce puniebantur; ut dicere omittam, sumtum esse hoc testimonium de Isaiae vaticinio, in quo Truncus expresse nominatur, ut declarando secundo vaticinio videbimus. Quae animadversio non est fortasse negligenda, si afferatur ad ea Domini verba Judaeos alloquentis, *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me* (2). Digna sunt quae attente legantur ea, quae Philippus Eunucho explicavit de tertio supra quinquagesimum Isaiae Capite, et in Actis Apostolorum indicata sunt (3). Illud Caput est hoc ipsum vaticinium de Cruce, quod nunc commemoravimus, e quo Marcus sumsit testimonium. Quid? Patres, et Theologi nonne unanimi consensu confitentur, illa e Psalmo, *Foderunt manus meas, et pedes meos* Messiae crucifixionem praedixisse? (4). Praetereo reliqua: satis enim haec esse possunt, ut omnes intelligant, jam inde ab Ecclesiae Christianae initio ad haec usque tempora, complura de Messiae crucifixione vaticinia cognita esse; quanquam ea, quae Crucem ipsam nominant expresse, nunc primum in lucem afferantur. Sed jam ad ea veniendum est.



(1) Marc. XV. 27. 28.
(2) Jo. V. 39.
(3) Act. VIII.
(4) Psalm. XXI. 17.

# DE CRUCE

# VATICINIUM I.

## PSALMUS

### HEBRAEIS LXIII. LATINIS LXII.

### In quo Crux bis nominata est.

### ARGUMENTUM.

Deum Davides amantissime, ac flagrantissime precatur, ut ad redimendos homines veniat, afferatque *flumina illa aquae vivae*, cujus inopia et ipse, et patria regio, et universus orbis lassus erat, atque languebat. Deinde docens, sese crucem, et ejus potentiam, majestatemque in Sanctorum coetu vidisse, qui sunt cum Jesu Christo venturi, in laudes crucis, et suavissimos affectus erga illam, et Messiam ei confixum effunditur. Tum aeternam damnationem praedicit eorum, qui Messiam erant occisuri, praenunciatque tum illius resurrectionem, tum eorum dignitatem, qui in ipsum credituri essent, eorundemque victorias de illis, qui falsa essent contra Messiam dicturi.

Psalmus est, ita ut sententiae postulant, attente magnoque affectu legendus, et recitandus. Actionis enim plenissima sunt omnia haec vaticinia de cruce: quod semel monuisse sufficiat.

Partes illius, una cum titulo quinque sunt, quarum unaquaeque numeris distincta est.

I.

1 Psalmus Davidis, quum esset in deserto Judaeae.

II.

2 Dee, mi Dee, veni! Te diluculo cupio, te sitit anima
mea, te caro mea desiderat! In regione arida *sum*, et lassus
aquarum inopia!

III.

3 Trunce! in sanctitate te vidi, ut viderem potentiam tuam,
ac majestatem tuam. 4 Profecto melior *est* Misericordia tua,
quam vitae! Labia mea te percelebrabunt. 5 Trunce! bene-
dicam tibi in vita mea! in nomine tuo attollam manus meas!
6 Tanquam adipe, ac pinguedine saturetur anima mea, ut la-
biis maxime exsultantibus laudet os meum! 7 Te ne com-
memorem super stratis meis? per vigilias meditabor in te.
8 Quandoquidem auxilio es mihi, cum adumbratione quoque
alarum tuarum laudabo. 9 Adhaeret Anima mea tibi! Appre-
hendit me dextera tua!

IV.

10 Ast ipsi ad excidium quaesituri Animam meam ibunt in
inferiora terrae: 11 Eum incurrere facturi in manus Occisoris,
portio Vulpium erunt.

V.

12 Rex autem laetabitur in Deo: laudabitur quisquis pro
ipso juret. Os enim mendacium loquentium obstruetur.

## DECLARATIONES.

### *De argumento Psalmi.*

Hieronymus, inquit Calmetus, argumentum Psalmi esse de Christi adventu dixit. Illum ergo gloriamur sequi. Sed plerique Enarratores existimarunt, Davidem de rebus sui temporis, et suis loqui. In iis Calmetus enumerat Theodoretum, Athanasium, Theodorum, Eusebium, Kimchium, Munsterum, Muisium, Gejerum, Ferrandum, Dupinium, aliosque, et eos deserit. Ipse Bedam, et Paraphrasten Graecum Corderii amplectitur, a quibus, ait, Psalmum, neglecto titulo, ad babyloniam captivitatem trahi. Etsi vero, post Tridentinam Synodum, non satis ei licebat titulum negligere, tamen Psalmi auctorem, qui Davides sine dubio est, *vel Levitam*, *vel pium esse Judaeum* sibi fingit, *qui libertatis jam a Cyro concessae securus*, *sive in viam jam datus*, *fervens Templi rursus videndi desiderium explicat* (1): quae mera somnia sunt. Nihil enim prorsus in Psalmo est, quod eo pertineat; illiusque argumentum magis ab hac sententia distat, quam Davides a babylonia captivitate; ut legentibus patebit.

1 *Psalmus Davidis, quum esset in deserto Judaeae.*

Titulus est ostendens Davidem esse Psalmi auctorem. In editione latina pro *Judaeae* legitur *Idumaeae*, de qua lectione vide, si tanti est, Calmetum in Commentariis. Psalmus videtur a Davide conscriptus esse postquam, Gado propheta jubente, a regione Moabitide in Judaeam profectus, venit in saltum Hareth. Ex eo tempore quum Saulis insidiis ad necem undique conquireretur, per loca Judaeae deserta fere semper, usque ad Saulis mortem, vagatus est (2). Sed hoc nosse parum, aut nihil refert. Nam hoc sive Judaeae, sive Idumaeae, seu po-

(1) Calmet. in argum.

(2) I. Reg. XXII. etc.

tius utriusque deserto, Davides nihil aliud expressit, nisi gratiarum inopiam, qua laborabatur ante Messiam; quod ab ipso Psalmo uberrime discitur.

2 *Dee, mi Dee, veni! Te diluculo cupio, te sitit anima mea, te caro mea desiderat! In regione arida sum, et lassus aquarum inopia!*

Vocativo *Dee*, quo usus est Prudentius (1), deinceps semper utemur ad vitandas ambiguitates.

*Veni*: Davidem precari Deum ut veniat, ab interpretatione hac nostra ita perspicuum est, ut nihil magis. Cur non item a ceteris, duplex est causa. Prima, quia vocem אתה, quam primi nos hoc loco interpretamur *veni*, Septuaginta, et Vulgatus plane omiserunt. Altera, quia, qui eam non omiserunt, ipsique Hebraei vocalium auctores, pronomen esse, non verbum, arbitrati sunt. Vox enim est, quandocumque sine punctis vocalibus scribitur, aequivoca; ut et pronomen secundae personae, et verbum esse possit. Quando pronomen est, illius significatio est *tu*, vel *es*. Hac de causa, qui eam non omiserunt, ita interpretati sunt. Quando autem est verbum, habet significationes earum vocum verbi אָתָה, *venit*, quae iisdem literis scribuntur. Earum significationum nulla hic locum habere potest, nisi ea, quae propria est imperativae vocis ejusdem verbi, *veni*: nobisque persuasum est, eam vocem hoc loco esse illam ipsam imperativam, minime pronomen: et punctorum vocalium auctores perperam, nec ex sacri Scriptoris sententia, puncta pronominis eidem apposuisse, quibus אַתָּה, *atha* (*tu*, vel *es*) pronunciari jusserunt. Adjungere namque debuissent puncta imperativae vocis, quibus pronunciaretur אֱתֵה, *ethe*, vel אֲתֵה *athe*, (*veni*) quam pronunciationem, et lectionem universus postulat Psalmus. Haec altera est causa. Alias etiam

(1) Prudentius in Hamartigen. vers. 930. *O Dee cunctiparens, animae dator, o Dee Christe.*

habet eadem vox sine punctis significationes, si nec pronomen, nec verbum sit, sed quae hujus loci esse nullo modo possunt.

*Te diluculo cupio*. Verbum apud Hebraeos futuri temporis est, ad significandam actionem praesentem, sed in posterum continuandam. Sic enim etiam suo illo futuro utuntur Hebraei. Hebraici autem verbi vim, paucis exprimere, difficile est. Tibi summo mane quotidie adsum, aderoque desiderio plenus, adventus tui.

*Te sitit anima mea*. Tu enim dicturus es, quum veneris, *si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (1). Tu allaturus es aquam illam vivam, cujus ego inopia laboro: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (2).

*In regione arida* sum, *et lassus aquarum inopia*!

Non est alia sententia eorum, qui verbum substantivum hoc loco non supplent: sed si suppleatur, multo evidentius, et citius intelligitur, quantopere Davides statum comploret suum.

3 *Trunce! in Sanctitate te vidi, ut viderem potentiam tuam, ac majestatem tuam*.

Primus hic est locus, ubi nomen *Chen*, occurrit in Psalmo, quod alii adverbium esse censentes, adverbio *sic* interpretati sunt. Sed quid hoc sit, quod Davides dicit, *se se Crucem in Sanctitate vidisse, ut illius potentiam, majestatemque videret*, explicandum est. Nimirum Prophetae oblata visio fuerat futuri Judicii, de quo ait Ecclesia, *Hoc signum crucis erit in caelo, quum Dominus ad judicandum venerit*. Venturus autem Dominus noster Jesus Christus est tota sua majestate conspicuus,

(1) Joann. VII. 37. (2) Ibidem.

et in aethere sublimis, universo Sanctorum comitante coetu! *Veniet*, inquit Zacharias, *Dominus Deus meus: Omnes Sancti tecum erunt! Erit autem illa die: Non erit lux splendorum, et condensationis. Sed erit dies una* (*ea agnoscetur Domini!*) *non dies, neque nox: sed lux ad tempus vespertinum erit* (1). Ac Aethan: *Caeli mirabilia tua, Domine, celebrabunt, Fidemque tuam in Sanctorum coetu. Jamvero quis in aethere cum Domino conferetur, similis erit Domino e potentum filiis? Formidandus erit maxime Deus in Sanctorum coetu, terribilisque supra omnes qui circum ipsum erunt, Domine Deus exercituum, quis tui similis erit, fortissime Domine? At Fides tua comitatus erunt tui* (2). Idest, hi quos comites quum venies habebis, illi omnes erunt, qui Fidem tuam professi fuerint, et propugnaverint. Ut ergo hic, ab Aethane universus caelitum coetus, qui fidem coluerunt, *Fides* appellatur, ita universus eorumdem coetus, quia sanctitatem tenuerunt, tum a Davide hoc loco, tum ab aliis Prophetis persaepe *Sanctum*, et *Sanctitas* dicitur; eodem prorsus modo, quo universi civium, et nobilium ordines dicti sunt a Latinis *civitas*, et *nobilitas*. Exempla proferentur alias.

Crucem itaque Davides vidit, in universo Sanctorum coetu venientem Dominum nostrum Jesum Christum, comitaturo. Qua quidem visione aptior nulla erat ad ostendendam illi Crucis potentiam, ac majestatem. Potentiam quidem, quia tot illa paene innumerabilia Sanctorum millia, per Crucem videbat erepta ex inferorum faucibus, instructaque fuisse armis ad debellandos hostes, quibuscum iis pugnandum fuit: majestatem vero, quia Crucem videbat ab ipso Deo, Dominoque Jesu Christo, suas cicatrices ostendente, allatam in conspectum hominum, atque a tot Sanctorum millibus immortales, et maximas gratias illi pro

(1) Zach. XIV. quem apud nos vide de Apolog. Cap. XXII.

(2) Psalm. LXXXVIII. quem ibidem vide Cap. IX.

sua morte in cruce a gentibus laudatam, celebratam, cultam. Haec ut videret Davides, futuri judicii visio illi oblata fuerat; idque est quod ipse hoc loco docet.

4 *Profecto melior* est *Misericordia tua, quam vitae! Labia mea te percelebrabunt.*

In eo Sanctorum omnium comitatu qui maxime omnium erant insignes, Martyres erant, qui pro tuenda mysterii Crucis fide vitam profuderunt, fidem ipsam pluris aestimantes quam vitam suam. Hos Davides in primis intuens, Certe, inquit, majus bonum est redemtio quae per te, Trunce, allata est, quam essent illae tot vitae, quas hi Martyres sanctissime profuderunt. Qua consideratione vehementius ad laudandam Crucem incenditur.

5 *Trunce! benedicam tibi in vita mea! in nomine tuo attollam manus meas!*

Te, Trunce, continenter, et peramanter, quoadusque vixero, in ore meo habebo; te summis extollam laudibus; pronunciatoque ante nomine tuo, brachia pandam, manus attollam, ut hoc gestu imaginem tuam, Deique mei in te confixi referam, mediter, colam.

Alter hic est locus in quo nomen est *Chen*, quod alii adverbium esse rati, adverbio *Sic* transtulerunt.

6 *Tanquam adipe ac pinguedine saturetur anima mea, ut labiis maxime exsultantibus laudet os meum.*

Uberibus ita saturetur gratiis anima mea quemadmodum adipe ac pinguedine corpora saturari solent, quarum gratiarum fontes, Trunce, tu aperis, profluente a te sanguine Dei mei; ut ex abundantia cordis os loquens, labia mea in laudes tuas summa cum exsultatione prorumpant.

7 *Te ne commemorem super stratis meis? per vigilias meditabor in te.*

Te ne ego, Trunce, super quo durissimo, non super

molli lectulo, Deus meus confixus moriturus est, commemorem atque in te mediter molliter hic illic cubans, et semisomnis super stratis meis? Imo vero pervigilans, atque adeo per diuturnas vigilias, et noctes insomnes, meditationes de te instituam habitu gestuque quem dixi.

8 *Quandoquidem auxilio es mihi, cum adumbratione quoque alarum tuarum laudabo.*

Quandoquidem tu ita mihi auxilio es, ut per te, Trunce, de tenebris, et umbra mortis eripiar, ego quoque, ut animum meum gratum ostendam, tuique similis sim, habeamque in me ipse crucifixum Deum, non in lecto molliter, et in deliciis cubans; sed hoc ipso statu gestuque, qui *alarum tuarum adumbret* imaginem, diluculo vigilans meditationes in te meas, benedictiones, laudes absolvam.

*Alae crucis* quae sint, nemo non intelligit; nempe exstantes hinc inde illius ligni partes, quod in transversum trunco infixum est.

9 *Adhaeret Anima mea tibi! Apprehendit me dextera tua!*

Adhaeret, tibique, Trunce, confixus est Deus meus Jesus Christus anima mea! Quod cum admiratione atque stupore a Davide dictum, a nobis pronunciandum est. Nec qui attente omnia perpenderit, dubitare poterit, quin Davides ob magnitudinem affectus hoc et sequente versu Jesum Christum *Animam Suam* vocet: praesertim quum peculiaris illi esset ratio cur ita vocaret. Filius enim illius futurus erat: filios autem habere dicebant Hebraei *animas facere*, ut a quamplurimis sacrorum Librorum locis notissimum est. Et quia ceteri illius filii si cum dignitate Jesu Christi conferantur, nihil sunt; idcirco etiam Davides illum *Animam suam* appellat, quasi nullum alium filium habiturus esset. Id ipsum praeterea verborum etiam syntaxi monstravit. Nam quum de Jesu duobus his lo-

cis loquens, *Animam* cum verbis foeminei generis conjunxerit, tertio pronomen masculi generis adhibet, *Eum incurrere facturi*; ut intelligeremus, illum de Viro suo meoque *complendo ferro lignoque hastato*, non de animo suo loqui (1).

Quod attinet ad totam ipsam sententiam, pro *tibi* apud Hebraeos est *post te*, *Linguae hebraicae loquendi modus*, hoc significans, ut ait Marcus Marinus in hunc locum. Ac vide ut, praeter aptissimam orationis seriem, sibique et rebus convenientissimam, huc omnia confluunt. Nam verbum *adhaerendi* apud Hebraeos, ut inquit hic Gejerus in Synopsi Criticorum, *est praegnans*, *et inclusam gestat persequutionem*: qua nimirum Judaei Jesum Messiam Deum confixerunt cruci. Et Ainsworthus item in Synopsi hoc loco: *Notat hoc verbum*, inquit, *amorem*, *constantiam*, *humilitatem*, *et unionem in Spiritu*: cum Patre nimirum, qui pro nobis omnibus tradidit illum; quae virtutes aliaeque innumerabiles in morte Messiae *Animae* Davidis, et meae, supra omnem modum inclaruerunt.

*Apprehendit me dextera tua!*

Me vis, robur, virtus, potentia tua, Trunce, apprehendit, et mortis eripiens faucibus, ad vitam quam peccato primi Parentis, et meis amiseram, erigit, ac ducit. Vim enim, robur, virtutem, potentiam *dexterae* nomine persaepe appellant Hebraei. Est autem eadem sententia atque superior, *Es auxilium mihi*; quod auxilium dextera praecipue afferri collapsis soleat.

10 *Ast ipsi ad excidium quaesituri Animam meam ibunt in inferiora terrae.*

Sed ipsi Hebraei ad excidium cum strepitu, fragore, tumultu (nam haec vis propria est vocis שׁוֹאָה, pro qua Septuaginta videntur legisse שָׁוְא, *frustra*, in vanum (2)) quaesituri



(1) Vid. Apolog. nostr. Cap. X.

(2) Montald. Lex. pag. 1495.

Jesum Christum Animam meam, propter hoc gravissimum ipsorum scelus, et omnem reliquam circa tui, Trunce, mysterium incredulitatem, in subterranea ibunt loca, in inferos, in ignem aeternum.

*Quaesituri*, ut etiam quod sequitur *incurrere facturi* apud Hebraeos futuro sunt tempore, *quaerent*, *facient*. Unicum enim habent Hebraei futurum; et hoc ab iis adhiberi ad exprimendas nostrorum futuri temporis participiorum significationes, alibi exemplis demonstratum est (1).

11 *Eum incurrere facturi in manus Occisoris, portio Vulpium erunt.*

Jesum incurrere facturi in manus occisoris Pilati, qui quo tempore Judaeis *non licebat interficere quemquam*, iisdem compellentibus, mortis sententiam dixit, *portio Vulpium erunt*. Daemonum scilicet, quos ob vafritiem, et calliditatem in seducendis hominibus Vulpes appellat. Nec nova est, aut nunc primum a nobis excogitata haec Vulpium explicatio. Nam, ut auctor est ad hunc locum Calmetus, eam Hilarius, et Eusebius attulerunt; quos optimos esse duces, et hic omnibus anteponendos, ipsa orationis series luculente demonstrat. Judaei ergo Jesum Pilato ad necem traditurі, ad Daemones tanquam portio, et haereditas quaesita ipsorum artibus pertinebunt.

*In manus Occisoris*: vox חרב scripta sine punctis (ut eam Davides scripsit) aequivoca est, variaeque significationis prout varie pronunciatur. Si pronuncietur חֹרֵב, *horeb*, participium est praesentis temporis, latine *occidens*, sive *occisor*: si pronuncietur חֶרֶב, *hereb*, est nomen, latine *gladius*. Ego Davidem pronunciasse primo modo existimo; res enim ita clarior est atque evidentior. Rabbini, quorum interest res claras de Messia obscuras facere, pronunciasse altero modo arbitrati sunt. Fortasse ab excaecatis etiam antiquis Hebraeis hoc altero modo

(1) De Apolog. Cap. X. art. V.

pronunciata est, unde orta sit Maserethanrum de illa pronunciatione traditio. Sententia eadem est; sed nostra, ut diximus, clarior, et evidentior; quod facile quisque videt.

12 *Rex autem laetabitur in Deo: laudabitur quisquis pro ipso juret. Os enim mendacium loquentium obstruetur.*

At *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum* (is enim est Rex de quo Davides loquitur, juxta titulum qui Trunco inscriptus fuit) Jesus ergo Nazarenus Rex Judaeorum a Judaeis ipsis occisus, longe aliam ab iis sortem habiturus est. Putabunt Judaei non solum illi vitam eripuisse, verum etiam in profundissima illum tartara damnandum a Deo detrusisse; ut ibi perpetuo cum daemonibus sit, aeternoque igni unus maxime omnium excrucietur. Ille vero e mortuis resurgens, caelumque conscendens ad dexteram sedebit Patris, Rex regum, et Dominus dominantium, laetissimus, et beatissimus in Deo suo.

*Laudabitur quisquis pro ipso juret*, sive *in ipso*, aut *in ipsum*; hoc est qui fidem illius firmissime tenuerit, quique Christianum esse se professus fuerit; cujus nominis quanta sit dignitas, vel hinc cognosci potest, quod eos omni laude dignos esse Deus ipse tanto ante pronunciavit.

*Os enim mendacium loquentium obstruetur.*

Quam quidem laudem quamplurimae Gentes, nequidquam contra nitentibus Judaeis, arripuerunt ac retinent. Obstructa enim jamdudum eorum ora fuerunt, obstruenturque semper in posterum. Nec vero illorum solum, sed etiam eorum omnium quorum tanta est hoc tempore, ac tam miseranda colluvies, qui capitali odio in Deum, ejusque Filium, pejores etiam fortasse Judaeis, nullam relinquunt intentatam falsitatem, ut nomen Christianum, si fieri posset, evertant ac deleant conquisitis undique mendaciis, et profligata ac perdita disciplina morum, quae solum retinendae in suo statu religionis fundamentum est.

# DE CRUCE VATICINIUM II.

## ISAIAE CAPUT LIII.

## In quo Crux semel nominata est.

### ARGUMENTUM.

Vaticinii partes sunt quatuor. Prima Propheta de causis agit, quibus futurum erat, ut Hebraei Messiam primo ipsius adventu non reciperent; docetque illarum praecipuam fore incredulitatem virorum principum Populi Hebraei circa res quas Deo manifestante audituri erant de nato Messia, quum venisset; describitque illius incredulitatis effectus ab ipsius ortu usque ad virilitatem, in primisque summum eorundem contemtum erga Messiam, quo futurum erat ut reliquus quoque populus eum nihili faceret.

Altera quum Hebraei occasionem contemnendi Messiae arrepturi essent etiam a dolore atque aegritudine animi, quam vultu quoque ipso prae se tulisset, Propheta ejus doloris, et aegritudinis causas explicat, longe alias ab iis quas Hebraei existimaturi erant, totumque divinae redemtionis negotium inde usque ad Messiae passionem ac mortem accuratissime docet.

Tertia praedicit eventus futuros post quos Hebraei Messiam recipient, sed futuros longissimo post tempore quam illum occiderint: docetque praecipuas calamitates tres in eos ob caedem Messiae interea venturas per illud quod fluet tempus antequam illum agnoscant atque recipiant.

Quarta denique redit ad doloris, et aegritudinis causas, ipsumque divinae redemtionis opus a Messia passione, et morte sua complendum, explicatque quos fructus ab hoc opere sit ipse capturus. In hac parte Crux nominata est.

## Isaiae Caput LIII.

### I.

1 Quis credet his quae audiemus, et Brachium Domini cui
revelabitur? 2 Ergo ascendet sicut virgultum coram illo, et si-
cut radix de arida terra. Nec forma ipsi *erit*, nec decus, ut eum
intueamur; nec species, ut eum desideremus. 3 Despectus,
destitutusque viris *erit*! Vir dolorum, et aegritudine noscen-
dus, fereque abscondens vultum a nobis: despectus maxime
*erit*! idcirco illum nihil faciemus.

### II.

4 Vere aegritudines nostras ipse assumet, ac doloribus no-
stris sese onerabit! Nos vero eum existimabimus tactum, per-
cussum Dei, atque vexatum! 5 Imo vero vulneratus *erit* ob
praevaricationes nostras, attritus ob iniquitates nostras! Casti-
gatio pacis nostrae super ipso *erit*, ac per plagam illius affere-
tur nobis medicina. 6 Omnes nos tanquam oves erravimus,
unusquisque in viam propriam divertimus: Dominus autem in-
currere in illum faciet iniquitatem omnium nostrum. 7 Exi-
getur, et ipse exorabilis erit, nec aperiet os suum. Tamquam
agnus ad mactationem ducetur, et sicut ovis coram tondenti-
bus illam obmutescet, nec aperiet os suum!

### III.

8 Post angustiam, et post judicium recipietur! at genera-
tionem illius quis eloquetur, quando excisus fuerit de terra vi-

ventium per praevaricationem Populi mei (*quae* plaga ipsis *erit*; 9 afferetque Improbos sepulchrum ipsius, et Divitem in caedibus ejusdem) quamvis injuriam non fecisset, nec dolus in illius ore *fuisset*?

IV.

10 Dominus ergo voluit eum aegritudine atterere: Si posuerit, *inquit* satisfactionem anima illius, videbit semen prorogaturum dies, et voluntas Domini in manu illius prosperos successus habebit.

11 Post laborem animae suae videbit, saturabitur: Scientia sui justos faciet Justus servus meus multos, et iniquitatibus eorum sese oneraverit. 12 Pro Trunco partem illi dabo in multis, et cum Fortibus partietur praedam; propterea quod effuderit in mortem animam suam, et cum praevaricatoribus annumeratus fuerit, ipseque peccatum multorum assumserit, ac pro praevaricatoribus intercesserit.

## DECLARATIONES.

I.

1 *Quis credet his quae audiemus, et Brachium Domini cui revelabitur?*

Propheta quum de rebus loqueretur multo post tempore futuris, verba praeteriti temporis *credidit*, *revelatum est*, habent futuri significationem. Verborum enim voces apud Hebraeos aoristae sunt, ut alibi ostensum est. Hebraeis praeterea dicitur *auditio* id quod aliquis audit; ut hic *auditioni nostrae*, scilicet his quae nos audiemus. His animadversis sententias inspiciamus.

Quis nostrum, Hebraei, credet his quae audiemus de nato Messia, quum veniet? Cuinam nostrum revelabitur a Deo,

illum quum nobiscum loquetur, nosque docebit, ac dicet, se esse Messiam, se esse Brachium Domini, factisque ineluctabilibus comprobabit, cuinam nostrum, inquam, revelabitur a Deo, illum ipsum virum esse Messiam, esse Brachium Domini? Beati qui credent! beatus ille cui non caro, et sanguis, sed caelestis Pater id revelaverit!

Quo loco ut facilius haec, et ea quae sequuntur intelligantur, legentes reputare secum ipsi debent quid facere debuissent, facturique fuissent Hebraei, si credidissent. Ut enim, et ab Angelis, et a Pastoribus, et a Magis Hierosolymam nunciatum est, natum esse Regem Judaeorum, Messiam, quem Sacerdotes et Scribae jamdudum a Prophetis norant Bethlehemi oriturum, atque ab eorundem paene innumerabilibus oraculis et scire ipsi, et populum docuisse debuissent, eum fore Deum; nonne tota statim Judaea illuc adoratum confluere, ac convolare debuisset? Nonne se suaque omnia praesenti offerre Deo, illique continenter assistere, atque omni ope curare nequid illi, nequid parentibus deesset eorum quae alendo, quae fovendo, quae ornando custodiendoque corpori essent? Nonne statim ac licuisset, illum in Templum ducere, ibi eum habere plus quam regio more, deprecari, rogare, percontari caelestia, perquirere salutis vias, animorum corporumque subsidia, solatia, medicinam petere; cetera denique omnia facere quae ab hominibus erga Deum facienda, quis est qui aut non sentiat, aut nesciat? Haec ergo Judaei fecissent, si credidissent: quae si fecissent, Messias apud eos *crevisset*, atque fuisset eo loco, eaque dignitate, quam ipsius Divinitas postulabat. Sed horum nihil ab Hebraeis factum est. Quamobrem? quia his quae de nato Messia narrabantur, monstrata divinitus quo ipso tempore venit, non crediderunt. Itaque *crescere* Messias apud illos debuit quo modo statim Propheta describit.

2 *Ergo ascendet sicut virgultum coram illo, et sicut radix de arida terra..*

Ergo Messias, ille natus Bethlehemi puer, Deo intuente quid Judaei facturi sint, crescet inter eos ut inutile quoddam virgultum, ut sponte germinans radix crescunt in arido quodam, et deserto sterilique solo. Nam ut nihil viride, aut vegetum circum illa erit, ut nemo illa inviset, nemo circumfodiet, nemo alet, nemo rigabit, aut aliquo modo colet, ipsaque languentia, et siccitate mortua propemodum erunt; sic a Judaeis orba omnia circum natum Messiam erunt.

*Nec forma ipsi* erit, *nec decus, ut eum intueamur, nec species, ut eum desideremus*.

Nihil circum ipsum formosi, nihil magni, nihil decori, nihil grandis, nihil magnifici, nihil quod oculos hominum ad se convertat ac trahat a nobis Hebraeis afferetur; ut his saltem rebus commota multitudo natum invisere, ac intueri desideremus.

Regis, Sacerdotum, virorumque principum in primis erat, si credidissent, natum Hominem-Deum quo par est colere honore; allatisque ad eum dignitatis et majestatis insignibus testari apud vulgus illius Divinitatem. Id si fecissent, sine dubio universa multitudo inflammata desiderio illius videndi non cucurrisset, sed volasset. Illi nihil, aut omnia contra fecerunt; haec nihil curavit.

Quae vocula apud Hebraeos significat *et*, eadem significat etiam *ut*, *maxime ante futura* (1).

3 *Despectus, destitutusque viris* erit!

Inde effectum est, ut natus Messias summo omnium Judaeorum contemtu exceptus sit, planeque viris omnibus fuerit destitutus; prorsus ut illud virgultum, de quo supra dictum est, in arido, et deserto, et sterili natum solo, juxta quod nulli flores, nullae herbae, nulla ne vilissima quidem germina conspici possunt. Nec vero sperandum est, decursu aeta-

(1) Montald. Lex. pag. 244., et Critici passim in Synopsi.

tis, aliquam a nobis illius curam rationemve habendam esse. Quanquam enim, et ubique semper, et ab ineunte adolescentia palam in Templo sermones admirabilis sapientiae plenissimos cum doctis viris nostratibus sit habiturus, ita ut illum audituri obstupescere maxime debeant (1); quae res, ut ab adolescentulo duodecim annos nato (2), summum et doctorum et rudium erga illum amorem, summumque studium, et ardens desiderium eo familiariter utendi, nec unquam ab ipso discedendi conciliare deberet; tamen, quod satis mirari nemo unquam poterit, despectus semper a Judaeis, et destitutus viris erit.

*Vir dolorum, et aegritudine noscendus, fereque abscondens vultum a nobis: despectus maxime* erit! *idcirco illum nihili faciemus.*

Sic igitur Messias apud Judaeos usque ad virilitatem crevit, ut hactenus cognitum est. Sed quum non solum passionis, verum toto suae vitae tempore sese peccatis et praevaricationibus onerasset omnium hominum qui fuerant, qui erant, quique futuri erant, eaque de causa et ipse sese, et Deus illum respiceret tanquam unum tot tantorumque peccatorum reum, intellectu facilius est quam dictu, quis quantusque dolor, quae quantaque animi aegritudo illius esse deberet tam foedam Deoque invisam gerentis ex hac parte personam; praesertim quum summus esset illius erga Deum amor, cujus magnitudine perculsus tantum onus assumserat, ut satisfactionem quam Deo reddere non poterant homines, ipse pro hominibus redderet totius vitae suae dispendio. Hinc autem aliam illius contemnendi occasionem Judaei arripuerunt. Tantus enim ani-



(1) *Post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia, et responsis ejus.* Luc. II. 46. 47.

(2) Luc. ibidem 42.

mi semperque praesens dolor, tantaque aegritudo, fieri nullo modo poterat (nisi ipse impedivisset; quod noluit) quin etiam in ipsius corpus ita redundarent, ut omnes solo intuitu cognoscerent, illum esse miserrimum omnium hominum, etsi quae esset illius miseriarum causa minime cognoscerent. Miseri autem homines (adeo mortales improbi sumus!) plerisque omnibus invisi, odiosi, molesti; praesertim vero delicatulis atque ditioribus, quibus nihil carum nisi eorum simile, nihil jucundum nisi hilarum, nihil suave nisi amoenum, nisi ridens, nisi jocosum; cetera odio contemtuque dignissima. Ita praeclarioribus Judaeis ab aegritudine animi, quam Messias vultu etiam prae se ferebat, occasionem illius aspernandi arripientibus, per contemtum, et odium *Vir dolorum*, *Vir aegritudine noscendus* cuicunque illum non nosset, appellatus est. Odium porro, et contemtum eorum augebat etiam ipsa Messiae sanctissima Deoque tota dicata solitudo, fugientis hominum prava consortia, *et paene vultum ab iis abscondentis suum*, neque ulli earum rerum sese immiscentis, quibus ceteri opes, amicitias, potentum gratiam, honores, dignitates aucupari consueverunt. Ergo ab omnibus qui aliquo loco, aut numero haberentur hisce de causis ante suam praedicationem despectum, reliqua multitudo, quae illum, nisi haec impedimento fuissent, recepisset, nihili fecit. Tantum incredulitas afferre malorum potuit!

*Despectus maxime*: Hebraei quum careant nominibus superlativi gradus, nominum repetitione saepenumero utuntur. Adverbium ergo *maxime* addendum fuit, ut orationis pondus intelligeretur.

II.

4 *Vere aegritudines nostras ipse assumet, ac doloribus nostris sese onerabit!*

Occasionem igitur contemnendi nec recipiendi Messiae a

doloribus etiam et aegritudine animi, quam vultu prae se tulisset, arrepturi erant Judaei, ut supra cognitum est. Sed reliquae occasiones hactenus a Propheta commemoratae nihil erant habiturae quod ab ipso Messia proficisceretur, ab eoque tantummodo permittebantur. Una haec erat dolorum et aegritudinis, cujus fundamentum in ipso futurum erat. Idcirco Propheta praedicit, Messiam vere aegerrimo moestissimoque animo fore. Quamobrem? quia quas aegritudines animi, quos dolores habere singuli homines debuissemus ob inimicitiam Dei, in quam peccatis incurrimus (quo nullum majus esse potest malum) eas ille pro nobis assumsisset, iisque sese onerasset, ut nos ne cogitantes quidem conciliaret Deo, illiusque amicos faceret. Quo beneficio quid potest esse praeclarius?

*Nos vero eum existimabimus tactum, percussum Dei, atque vexatum!*

Nos vero Hebraei, etsi Prophetae, egoque Isaias in primis, ante tot secula quam Messias venturus sit, praedixerimus, et docuerimus quae causa futura esset doloris moestitiaeque Messiae; tamen perinde quasi nihil hac de re dixissemus, existimabimus eum ignoti cujusdam, et omnium maximi criminis sui causa tactum a Deo, percussum, direque vexatum tot tantisque angoribus animi fuisse.

Animadvertenda est phrasis *percussum Dei*, quae nostra *percussum a Deo* multo est significantior. Percussus enim Dei significat hominem quem Deus tantum vexat quantum vexare omnipotentia sua potest.

5 *Imo vero vulneratus* erit *ob praevaricationes nostras, attritus ob iniquitates nostras!*

Imo vero, idque semper atque perspicue a nobis Prophetis dicendum est, si quo modo fieri poterit, Hebraei ut intelligere velint, imo vero, inquam, non ob suum aliquod crimen, quod nunquam esse poterit, quum nullum omnino cri-

men cadere in Deum possit; sed solum ob nostras omnium hominum praevaricationes et iniquitates, tactus erit, percussus, vexatus, vulneratus, attritus.

*Castigatio pacis nostrae super ipso erit, ac per plagam illius afferetur nobis medicina.*

Intelligite, Hebraei: totum illud poenarum, angorum, vexationum pondus, quod hominibus nobis ad deprecandam ineundamque cum Deo pacem necessarium esset, ut justa condignaque satisfactio illi redderetur, quod tantum est, ut non unus, non duo, pluresve, sed ne omnes quidem homines qui creari a Deo possent, etiamsi una niterentur, ferre minima quadam ex parte possent; totum ergo illud pondus super uno illo erit! Hinc illi angores, hinc illae aegritudines, hinc tangetur, hinc percutietur, hinc vexabitur, hinc vulnerabitur, hinc atteretur, hinc tota erit ipsius plaga: atque haec ipsa plaga erit quae omnibus hominibus afferet medicinam.

6 *Omnes nos tamquam oves erravimus, unusquisque in viam propriam divertimus.*

Omnes homines tamquam oves ab incauto duce Adamo de via in praeceps peccando abducti principio fuimus, ejusque peccato coinquinati: deinde unusquisque nostrum, statim atque per aetatem licuit, per Adami devia novas sibi perversasque vias peccando quaesivit. Ita ut Deus in omnes animadvertat promeriti sumus.

*Dominus autem incurrere in illum faciet iniquitatem omnium nostrum.*

Poenam scilicet iniquitatum omnium nostrum.

7 *Exigetur, et ipse exorabilis erit, nec aperiet os suum.*

Exigetur ab eo poena iniquitatum nostrarum, tanquam debitum ipsius, quoniam assumendo aegritudines nostras, seseque onerando doloribus nostris eam in se recepit. Exigetur quidem a Deo, et ipse promtissimo persolvet animo, nec ape-

riet os suum. Sed nos miserrimi Hebraei crudeles erimus illius exigendae ministri.

*Exigetur* propria est verbi significatio (1); quod quidem praeterito est tempore apud Hebraeos, sed ob causas quas diximus initio, futuri sententia. *Exigendi* significatione interpretantur omnes Hebraei (ut a Synopsi Criticorum videre est) qui Prophetam de exigenda per Gentes a Judaeis exsulibus pecunia disserere ineptissime putant. Locus est in quo interpretando plurimum variatur. Sed, ni fallor, inde orta est difficultas, quod futuri significationem non adhibuerunt. Hac enim adhibita, perspicua sunt cuncta, omnisque diffugit difficultas. De varietate Vulgatae videre poteris etiam Montaldum (2).

*Tanquam agnus ad mactationem ducetur, et sicut ovis coram tondentibus illam obmutescet, nec aperiet os suum.*

Sed quaenam erit haec iniquitatum omnium poena, quae ab eo exigetur, et quam ille ne verbulo quidem in contrarium prolato, promtissimoque animo, nobis Hebraeis ministris est subiturus? Gravissima scilicet omnium, mortis! Et tamen tanquam agnus ducetur ad mortem, silentioque perferet injurias, contumelias, ludibria, verbera, punctiones, terebrationes manuum pedumque, non secus ac silet quae tondetur ovis, omninoque non aperiet os suum.

Hunc exitum, quantum attinet ad Messiam, habitura est nostra Hebraeorum inde ab illius ortu coepta incredulitas; et quem utpote Deum recipere amantissime, sanctissimeque colere debuissemus, eum non curabimus, contemnemus, irridebimus, insequemur, necabimus! Quantum autem ad nos ipsos attinet, quemnam exitum habitura est? quandonam suscepta ipsius fide illum recepturi sumus? Id Propheta hujus vaticinii tertia parte praedicit.

(1) Montald. Lex. pag. 708.

(2) Montald. Lex. 991.

## III.

9 *Post angustiam, et post judicium recipietur!*

Hebraeorum litera *Mem* praefixa vocibus multas habet significationes, atque interdum idem illius est usus qui apud Latinos praepositionis *a*, quum dicunt exempli causa *a coena*, *a prandio*, quod est *post coenam*, *post prandium*. Ejus apud Hebraeos usus illius literae, satis apud eruditos pervagati, etiam a Montaldo laudantur exempla (1). Ita etiam hoc loco *ab angustia*, *et a judicio* sunt *post angustiam*, *et post judicium*; et verbum praeteriti temporis futuro intelligendum est ob caussam quam initio commemoravimus.

Hujus igitur loci sententia efficitur: *Post angustiam*, *et post judicium Messias recipietur a Judaeis*: quae duae res sunt, quae illorum conversionem proxime praecedent. *Angustia* est tempus maximarum per universum orbem calamitatum, perturbationis omnium rerum, incredibilisque impietatis atque nequitiae, non desiturum nisi condemnatione interituque Antichristi: *Judicium* est ipsum Domini nostri Jesu Christi judicium condemnatioque illius belluae, quam palam magnificentissimo adventu suo in eum, et homines, propemodum omnes, pronunciaturus est, qui illius nefarias impietates sequuti sint, adjuverint, foverint. Haec indicasse hoc loco sufficiat. Explicabuntur enim late e suis vaticiniis in Chronologia Prophetica, si quidem ille labor, qui totum postulat hominem, aliis occupationibus necessario impeditus absolvi aliquando poterit. Ex ea constabit angustiae tempora coeptura esse anno ab ortu Messiae 3806, Antichristi vero judicium anno 4298 futurum. Hoc toto tam diuturno tempore Hebraeorum gens Messiae fidem, paucis quibusdam hominibus identidem exceptis, inimicissimo

(1) Montald. Lex. pag. 617.

semper animo respuet; quo exacto, incredibile est quanto illam ardore amplexatura, et quoquo terrarum paene ab Antichristo exstinctam propagatura sit. Hoc ergo volunt Isaiae illa verba, *Post angustiam, et post judicium recipietur!* complorantis simul calamitatem Populi sui, qui tam diu immortalibus divinae redemtionis beneficiis orbare sese pervicacissime velit.

*At generationem illius quis eloquetur, quando excisus fuerit de terra viventium per praevaricationem Populi mei* ( *quae plaga ipsis* erit, 9 *afferetque Improbos sepulchrum ipsius, et Divitem in caedibus ejusdem* ) *quamvis injuriam non fecisset, nec dolus in illius ore* fuisset?

Messias igitur qui a Judaeis recipi promtissime debuisset statim atque Hierosolymam nunciatus a Magis illius ortus fuit, ab iis recipietur tantummodo post annos duodetrecentos et quater mille ab ejusdem ortu. Quid igitur? nulline interea populi, nullaene gentes, nullane regna Messiae fidem accipient? Imo vero, Propheta respondet, generationem illius quis eloqui poterit, quando excisus fuerit de terra viventium per praevaricationem Populi mei? Quod ipsum vaticinium Aethan Ezrahita multo ante cecinerat his verbis: *Ubinam misericordias tuas priores, Domine, jurasti Davidi de Fide tua?* Sic enim interrogat quum ante dixisset, eam irae Dei fore in Hebraeos diuturnitatem, ut ipse ne commemorare quidem auderet. Tum quasi incertus quid faceret, ut responderet quaestioni, quoniam responderi non poterat nisi commemorando summum Judaeorum opprobrium, qui Messiam occisuri, et allatas ab eo Dei misericordias repudiaturi erant, ostendendoque apud totos multos Populos collocandas esse misericordias Dei priores de Fide sua, quando Judaei, crudeles inimici effecti, probro Messiae extremitates affecissent, eas clavis configendo cruci, sic pergit: *Commemoremne, Domine, opprobrium Servorum tuorum? Afferamne ego in sinum meum totos multos Popu-*

*los, quando probro affecerint Inimici tui, Domine, quando probro affecerint extremitates tui Messiae?* (1).

Hi ergo toti multi Populi qui Messiae fidem acceperunt accipientque postquam excisus a Judaeis fuit de terra viventium, et quorum aetas generatioque inde a tempore incipit, quo *misit Deus Filium suum . . . . . . ut adoptionem filiorum reciperemus* (2), quam illis morte sua comparavit, quandoquidem *quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus . . . . . . hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est* (3); hi sunt de quibus Isaias vaticinatus hoc loco est, atque istis verbis, *At generationem illius quis eloquetur?* Significans tot myriadum myriadibus hominum esse conflandam inde usque ad omnium interitum, ut iniri illius numerus ab hominibus nequeat. Sine dubio autem aetas seu generatio filiorum Dei orditur a Messia, qui auctor illius est, et princeps, ac *primogenitus in multis fratribus*; et una semper est, perpetuoque manet. Nec enim dici de ipsa potest quod de hominibus hac aut illa aetate viventibus dicitur, *Generatio praeterit, et generatio advenit* (4). Praetereunt, adveniuntque aetates ac generationes hominum: ipsa illa aetas generatioque filiorum Dei nec praeteritura unquam, nec adventura est; sed semel coepta in morte Messiae aeternum, ut ipse, statum tempusque est habitura. Filii enim Dei etiam post mortem erimus, baptismo tales effecti: alii quidem in Parentem pii, et idcirco ab eo benedicti, et in ipsius regno collocati; alii vero ingrati atque rebelles, et hac de causa maledicti, ab ejus regno depulsi, et in aeternum ignem juste conjecti. Una igitur quum sit perpetuoque mansura aetas seu generatio filiorum Dei,

(1) Psalm. LXXXIX. 50. quem vide in Apolog. Cap. IX.
(2) Gal. IV. 4.
(3) Rom. VI. 3. et 6.
(4) Eccle. I. 4.

Propheta etiam de una vaticinari debuit, et appellare *generationem illius*: *illius* autem, quia Messias eam orsus est, illiusque est et princeps, et auctor, et parens.

*Generationem illius* אֶת דּוֹרוֹ *eth dorò*. *Dor*, aetas, *generatio*, *homines una aetate et generatione viventes*, inquit Montaldus (1): et eruditi animadverterunt, *hanc vocem nunquam sumi pro activa illa aut passiva generatione producentis et producti*; *et generationes ubique in genealogiis* tholedòth, *non doròth dici* (2). In Psalmo Secundo, in iis verbis, *Ego hodie genui te*, quibus ex constanti perpetuaque Catholicorum sententia Filii generatio docetur, est verbum יָלַד, *jàlad*, ex quo derivat nomen *tholedòth*, *generationes*.

Veteres omnes qui editiones graecam et latinam tantummodo sunt sequuti, hunc locum de generatione Messiae divina, aut humana explicarunt; et Calmetus multiplices praeterea sensus persequutus est, quibus dici Messiae generatio potest, *nihilque*, ut ipse ait, *in iis est nisi prodigii plenum*, *et ineffabile* (3). In illis est is etiam, quem hactenus explicavimus, et quem potissimum hebraeae voces videntur postulare. Ceterum *unusquisque in suo sensu abundet*.

*Quando excisus fuerit de terra viventium per praevaricationem Populi mei* (quae *plaga ipsis* erit, 9 *afferetque Improbos sepulchrum ipsius*, *et Divitem in caedibus ejusdem*) *quamvis injuriam non fecisset*, *nec dolus in illius ore fuisset*.

Excidendum Messiam de terra viventium, hoc est occidendum, per praevaricationem Populi Hebraei, et ab illius morte coepturam innumerabilem ipsius generationem filiorum Dei,



(1) Lex. pag. 197.

(2) Synops. Crit. ad hunc loc.

(3) Calm. ad hunc loc.

quae, juxta Aethanem Ezrahitam, apud totos multos Populos futura erat qui Messiae fidem suscepturi erant, postquam Hebraei antea servi, deinde inimici Dei, probro divini Messiae extremitates affecissent; Isaias hoc loco tam aperte praedicit, ut nihil esse manifestius possit. Excidendum praeterea fuisse ab Hebraeis, quamvis nullam prorsus ipsis injuriam fecisset, nec ullus in ipsius ore dolus fuisset, hinc aeque manifestum est.

Ego vero peto, quis homo unquam fuerit, cujus a morte ab Judaeis illata coeperit apud totos multos Populos hujus similis generatio, nisi Jesus Christus? Aliquem Judaei proferant si possunt, aut prolaturos sperent, et desiderent: sperabunt enim et desiderabunt Messiae mortem inferre: egregia profecto spes! praeclara cupiditas! Aliquem Increduli proferant: contenti uno ab utrisque sumus; proferant modo. Nos enim proferimus Jesum. Hunc a Judaeis fuisse occisum, ne ipsi quidem Judaei, ne ipsi quidem Increduli negant. Quid? illudne negabunt, totos multos Populos ab illius morte in ipsum credere coepisse, quum toti multi Populi nunc etiam, nunc inde ab eo tempore in ipsum credant, et testes sint hanc fidem a morte illius initium suum habuisse? Quis ergo, nisi pecudis animum habeat, non hominis, negare aut poterit, aut audebit, Jesum esse Messiam, de quo Prophetae tot et tam praeclara praedixerunt?

Et quum hic Jesus, quem esse Messiam necesse est, occidendus a Judaeis esset, quamvis nullam prorsus ipsis injuriam fecisset, nullusque dolus in illius ore fuisset; non ergo per dolum se Deum esse dixit, Deique Filium, et cum Patre, et Spiritu Sancto unum verum Deum, et omnium Dominum; praesertim quum et ipse factis ineluctabilibus comprobaverit, et Prophetae innumerabilibus Vaticiniis praedixissent, Messiam hominem quidem fore, sed simul fore Deum, illum

ipsum Jacobi Deum, illum ipsum Dominum, cujus nomen quatuor scriptum literis, ineffabile dicunt Hebraei esse; quorum vaticiniorum parva pars a nobis est alibi explicata.

Quae cum ita sint, etiamne Hebraei, et eorum socii Increduli dubitabunt, utrum Jesus ille Messias sit, de quo tot tantaque Prophetae praedixerunt, an planus quidam, et deceptor, mendaciique homo plenissimus; qui aliorum credulitate et stoliditate abuteretur? Illud saltem nobis dicant, quo sive Dei, sive naturae consilio, aut, siqui hoc etiam volunt, quo casu factum sit, ut et Prophetae tot seculis ante docuerint venturum hominem qui simul Deus esset, eumque se Deum esse dicturum; et Hebraeos non credituros, sed illum occisuros; et post mortem ipsius totos multos Populos illius amplexuros doctrinam; venerit autem Jesus, se Deum esse dixerit, Hebraei non crediderint, illum occiderint, toti multi Populi fidem ipsius acceperint et teneant; et tamen ille ipse Jesus non modo non sit Deus, sed planus, sed deceptor, sed mendax, sed homo numeris omnibus impurissimus? Sic enim sapientiores, acutioresque Prophetis Hebraei Increduli que blasphemant! Haeccine moliatur Deus? haeccine natura hominibus propinet, quae belluis non propinaret? haeccine casus faciat, cui multo facilius esset omnia convertere in Chaos, quam temere struere rem tantam, et tam longe repetitam, et concordi, suique semper simili, et sibi undequaque consentiente conspiratione trium temporum et ejus quod antecessit Jesum inde ab orbe condito, et ejus quod praesens ipsius fuit, et ejus quod ad hanc usque memoriam est consequutum? Casus potius sit, homines quosdam esse tam caecos qui haec casu fieri posse arbitrentur: qui quoniam casum afferunt in medium, ut nobis Fidem eripiant, illud ante patiantur, ut nos utentes oblato ab ipsis casu nullam iis fidem habeamus. Nam reliqui Increduli, sociique illorum Hebraei, profligatam sese habere causam fateantur oportet, si

tueri volent, ut debebunt, aut naturam, aut Deum machinationem tam turpem, tam perversam, tam iniquam generi hominum sua providentia praeparavisse.

Sed jam ad reliqua hujus loci Isaiae verba veniendum est, quibus praecipuae tres calamitates Judaeorum praedicuntur. Sunt autem hae descriptae hac parenthesi = per praevaricationem Populi mei (quae *plaga ipsis* erit, *afferetque Improbos sepulchrum ipsius, et Divitem in caedibus ejusdem*) quamvis, et cetera. Ea verba parenthesin esse, facile sibi persuadebunt qui attente hebraea legerint. Perspicuitas enim sententiae a propriis nata significationibus vocum, quae hactenus frustra hoc loco quaesita erat, rem prorsus evincet. Aliarum interpretationum obscuritas inde orta est, quod verbum substantivum, cujus frequentissima est apud Hebraeos ellipsis, non suppleverint, nec sententiam continuarint hoc modo, *per praevaricationem Populi mei* (*plagam ipsis futuram, allaturamque Improbos sepulchrum ipsius, et Divitem in caedibus ejusdem*) *quamvis*, etc. quae ut clariora essent, diximus, *quae plaga ipsis erit, afferetque*. Quotquot autem pronomina occurrunt post illud *Populi mei*, referuntur non ad Messiam, sed ad Populum Hebraeum, qui proxime ante parenthesin nominatus est. Haec omnia probe attenteque animadvertas velim. Declarant enim locum qui propemodum inextricabilis habitus est, ab eoque abigunt omnes difficultates, quae mirum in modum Interpretes Enarratoresque torserunt.

Trium autem calamitatum prima et omnium maxima *Plaga* est quam gens Hebraea sibi ipsa intulit per praevaricationem qua Messiam occidit. Occidit enim quia illi credere noluit, respuendoque ipsius fidem salutis vias amisit, quibus ante praevaricationem gaudebat. Saevissima plaga, quam misera gens non sentit in hac vita, et cui pertinacissime indormit, non nisi post mortem excitanda, quum prorsus immedicabilis erit!

Putarunt miseri occidendo Messiam, omnem illius doctrinam, et fidem cum ipso interituram. Quae res tota in contrarium cecidit, ut debebat; quemadmodum Aethan Ezrahita praedixerat loco qui supra laudatus est. Nam cum Messia omnis quidem vera, quam antea habebant, illorum fides interiit; sed ab ipsa illius morte apud totos multos Populos vera fides incepit. Ita Haebreorum praevaricatio *plaga ipsis* fuit, Gentibus salus: qua de re Apostolus in epistola ad Romanos copiose disseruit.

Altera calamitas est excisio extinctioque cujusvis formae apud Hebraeos reipublicae. Haec illis verbis praedicta est, *Per praevaricationem Populi mei, quae . . . . . . afferet Improbos sepulchrum ipsius*. Qui hoc loco nominantur *Improbi*, veteres sunt Romani, quorum imperium sepulchrum fuit Hebraeorum imperii. A Romanis enim omnis politicus Hebraeorum status, non ita multo post interfectum Messiam, funditus excisus, et in Romanorum ditione, pulsis e patrio solo quoquoversus Judaeis, consepultus fuit. Fuerunt ergo Romani sepulchrum Judaeorum, hoc est politici eorumdem status, reique publicae. Nec mirandum est, veteres Romanos a Propheta *Improbos* appellatos esse. Nam Prophetae improbos sive impios appellant eos qui falsas colunt religiones, quod veteres Romani fecere; et quum de rebus loquuntur futuris post Messiam, hoc nomine appellant Christianae religionis hostes; quales et quidem potentissimi et crudelissimi primis Ecclesiae seculis Romani fuerunt. Hujus appellationis luculentissimum exemplum est in Psalmo apud Hebraeos XI., qui alibi a nobis declaratus est.

Tertia denique calamitas est clades Hebraeorum, quam repetitis caedibus Antichristus edet. Nam Judaeos patriis sedibus aliquot ante Antichristum seculis (quae tempora sunt *angustiae*) restituendos esse, permittendamque ipsis suam rempublicam, atque eosdem fore per illud tempus Christianorum hostes (qui tunc quamplurimi futuri sunt) longe omnium fero-

cissimos et crudelissimos, Prophetae diserte praedixerunt. Sed hic locus historiae propheticae plerisque adhuc incognitus est. Nec enim ab Enarratoribus satis est tractatus diligenter. Paucis autem annis ante excidium Antichristi bellum Judaeis cum Romanis tunc universi orbis dominis oriturum est atrox et ferum, imperatore Antichristo; qui Hierosolymam obsidebit, et capiet, sed non evertet. De hoc bello Zacharias his verbis vaticinatus est: *Ecce dies venit Domini, et dividetur spolium tuum in medio tui. Congregabo enim omnes Gentes Hierosolymam ad bellum* (1), *et urbs capietur, et domus diripientur, et foeminae violabuntur: et exibit media pars civitatis in fugа; sed reliquus Populus non excidetur de urbe* (2). De illa ipsa futura Hierosolyma, ejusque obsidione, et obsidionis exitu haec inter cetera Ezechiel: *Tertia pars tui peste morientur, et fame consumentur in medio tui, et tertia pars gladio circum te cadent, et tertiam partem in omnem ventum dispergam, et gladium post eos evaginabo*. Et paulo ante de ipsa Urbe illorum temporum: *Sic dixit Dominus Deus: Haec Hierosolyma erit: in medio Gentium eam posuero, et circum illam Terras. Et adversabitur Judiciis meis et Juribus meis impietate majore quam Gentium, et quam Terrarum erit quae circum illam erunt, quando* ( Gentes et Terrae ) *Judicia mea contemnent, et juxta Jura mea non incedent* (3). *Quamobrem sic dixit Dominus Deus: Quandoquidem vester strepitus major erit prae Gentibus, quae circum vos erunt, juxta Jura mea non incesseritis, et Judicia mea non feceritis; et secundum ju-*

(1) Potentiam Romanam omnibus terrarum orbis gentibus iterum conflandam angustiae temporibus.

(2) Zach. XIV. 1. 2. sed vide de Apolog. Cap. XXII.

(3) Neglecta scilicet ac abjecta Christiana religione, quam Gentes et Terrae colebant.

*dicia Gentium quae circum vos erunt non feceritis* (1) : *idcirco sic dixit Dominus Deus : Ecce ego adversus te etiam ego : et faciam in medio tui judicia in oculis Gentium. Faciam autem in te quod nunquam feci, et cui simile nunquam amplius faciam, propter omnes abominationes tuas. Quamobrem patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos* (2).

Has igitur clades et caedes habituri sunt ab Antichristo, et Hierosolymis Judaei, quarum prima et antiquissima causa fuerit ea qua Messiam occidit Populi praevaricatio, quae *afferet Divitem in caedibus ejus*, ingentes scilicet caedes ex eo Populo editurum. Nam hic *Dives* ipse Antichristus est, qui et aliis de causis ita cognominatur a Prophetis, quae non sunt hujus loci, et illa praecipue, qua unus omnium Principum ditissimus futurus est qui ullo unquam tempore regnaverint, regnaturive sint. Nam ille unus universi terrarum orbis dominus et imperator futurus est : quae res ante illum, aut post eum nemini obveniet.

Atque hae tres sunt calamitates quas Isaias hoc loco praedixit, et quas ut ab Hebraeis averteret Deus nihil non fecit. Idcirco lex Mosis data ipsis fuit, ut vices paedagogi ad Messiam faceret; quam si servassent in iis quae Moses de Messia praeceperat, nae illi statim ab illius ortu Christiani fuissent, perpetuoque in Palaestina et Hierosolymis maximi, tranquilli, beati, Deoque carissimi! (3). Contemtus legis primum, deinde incredulitas, nefariam illam praevaricationem pepererunt, quae immedicabilem hanc Plagam, cui miserrime indormiunt, attu-

m

(1) Idest, religioni meae adversati eritis impietate majore quam reliquae Gentes et Terrae id esse faciendum judicaverint.

(2) Ezech. V. 5. et seqq. Et vide Apolog. Cap. VIII. 4.

(3) Vide de Apolog. Cap. XXIII.

lit; Romanos eversum rempublicam adduxit; Antichristum peste, fame, caedibus inenarrabilibus quamplurimos crudelissime mactaturum incendet.

## IV.

10 *Dominus ergo voluit eum aegritudine atterere: Si posuerit*, inquit, *satisfactionem anima illius, videbit semen prorogaturum dies, et voluntas Domini in manu illius prosperos successus habebit*.

Ne putarent Hebraei, quod reipsa putarunt, Jesum Messiam sic attritum a Deo aegritudine, passione, morte fuisse, quasi aliquod ipsius scelus ulcisceretur, Propheta egregie declarat, illum atteri quidem a Deo voluisse, at liberum illi fuisse, velletne necne pro hominibus satisfactionem rependere. Dei voluntas declarata est his verbis, *Dominus voluit eum aegritudine atterere*: Messiae libertas his quae sequuntur, *si posuerit satisfactionem anima ipsius*. Si Messias inquit Deus, satisfactionem mihi pro hominibus rependere voluerit, quamvis eam quolibet vel minimo ipsius actu rependere posset (quivis enim illius actus perfectae condignaeque satisfactioni reddendae sufficeret) mea tamen voluntas est, ut eam aegritudine passione ac morte sua rependat. Id si fecerit, videbit semen prorogaturum dies usque ad interitum omnium hominum, Ecclesiae filios illius fidei cultores ac passionum imitatores; et voluntas Domini, *ut omnes homines salvi fiant, et ad agnitionem veritatis veniant*, in manu illius prosperos successus habebit. Eorum enim quamplurimi salvi fient, quum omnes sine ipsius satisfactione fuissent perituri. Hanc Patris voluntatem tanta alacritate ac propensione amplexus est, ut quum nasci materna in domo potuisset, ubi aliqua nascenti commoda fuissent, tamen ut statim ab ortu suo passionem inciperet, et

extra domum, et longe a domo, et in stabulo nasci voluit, et in praesepi reclinari! (1).

*Si posuerit satisfactionem anima illius*, ipse scilicet. Sic enim saepissime loquuntur Hebraei, *anima mea*, *tua*, *illius* pro *ego*, *tu*, *ille*. Exempla notissima sunt. Hoc loco autem *anima* est nominativus, idque demonstrat verbum *posuerit* foeminei apud Hebraeos generis. Sed quantum ad rem ipsam; eadem est Vulgati sententia, ut Theologi facile intelligent, etsi Vulgato nominativus sit ipse Messias. *Satisfactionem* hebraice אָשָׁם delictum, reatus, inquit Montaldus ...... *Item est* mulcta, piamentum, satisfactio ..... *Hinc etiam genus Sacrificii*, *cujus ratio est*, *inquit Robertson*, *ut detur ad satisfaciendum pro reatu*, *et ad impetrandam remissionem*, *Levit.* 5. *vv.* 7. 16. *Et ad Levit.* 15. *v.* 16. *R. Salom. admonet* אָשָׁם *notare* כֹּפֶר λύτρον redemtionis *seu* solutionis pretium, *quod quis dat ei*, *in quem peccavit* (2). Idcirco dicitur *si posuerit*, quo modo qui debet, pecuniam apud eum ponit cui debet.

11 *Post laborem animae suae videbit*, *saturabitur*: *Scientia sui justos faciet Justus servus meus multos*, *et iniquitatibus eorum sese oneraverit*.

Post passionem et mortem suam videbit illud semen prorogaturum dies, itemque prosperos voluntatis Domini successus in his qui salvi fient; et saturabitur: erunt enim quamplurimi.

Hic quoque littera *Mem* significat *a*, scilicet *post*: *a labore animae suae*, hoc est *post laborem*.

Houbigantius hunc locum, ut alios fere innumerabiles, mendosum esse somniavit, et in hanc sententiam emendandum: *Postquam laboribus defunctus fuit*, *videbit lumen*, *scien-*

m 2

(1) Luc. II. 7. (2) Montald. Lex. pag. 70.

*tiaque complebitur*. O plaeclarum interpretem, cui Christus Deus ante passionem et mortem caecus et ignarus est! Quanquam illa *videbit lumen* ipse de resurrectione explicat, nullo prolato hujus dictionis apud Scriptores Sacros exemplo. Deinde qua scientia Christus post resurrectionem suam completus sit, nescientibus adhuc omnibus dicere debuisset. Sed hominem, quem sacrorum Librorum lanium verius quam interpretem dixeris, in miras hallucinationes traxit intemperans ac propemodum furens inveniendi in sacris Libris menda libido; nemoque interpretum est cui minus fidendum sit. Ejus enim interpretatio sacros Hebraeos Libros exhibet non quales divino munere habemus, sed quales ipse corrumpit; et dum falsa ubique somniat menda, ibidem veros vendit errores suos.

*Scientia sui justos faciet. Justus servus meus multos, et iniquitatibus eorum sese oneraverit.*

Justos faciet Jesus Christus multos, omnes illos scilicet quibus scientiam et cognitionem sui tribuerit. Quae Jesu Christi scientia cognitioque in nobis est qua *cognoscimus illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius, configurati morti ejus* (1); qua qui sunt imbuti divinitus, ii *existimant omnia detrimentum esse propter eminentem hanc scientiam Jesu Christi, et omnia detrimentum faciunt, et arbitrantur ut stercora, ut Christum lucrifaciant* (2). Hac *scientia sui* tributa multis, Messias, inquit Propheta, eos justos faciet, et poenam peccatis eorum debitam ipse passione ac morte sua sustulerit.

*Justus* unum est e nominibus quibus Prophetae Messiam appellant; nec adjectivum hoc loco est, ut somniavit Houbigantius: imo vero adjectivi locum tenet quod sequitur *Servus meus*. Sic in Psalmo undecimo *Justus* substantive positus est

(1) Philipp. III. 10. (2) Ibidem.

de Jesu Christo: *Quùm* Recti corde *funditus diruti fuerint, Justus quid faciet?* (1). Sed hunc Isaiae locum corruptor ille falsa sua emendatione et interpretatione ita pessumdedit: *Justus meus misericordiam praestabit iis, qui servi sunt Dominorum, portabitque eorum iniquitates*. Si qui ergo non sunt servi Dominorum, iis misericordiam non praestabit? E quanam officina haec attulit monstra corruptor?

12 *Pro Trunco partem illi dabo in multis, et cum Fortibus partietur praedam, propterea quod effuderit in mortem animam suam, et cùm praevaricatoribus annumeratus fuerit, ipseque peccatum multorum assumserit, ac pro praevaricatoribus intercesserit.*

Longo itinere perventum tandem est ad suavissimam Crucem, ipsum scilicet illud nomen *Chen* cum particula inseparabili litera *lamed* conjunctum, לָכֵן, *lachèn*. Ejus literae praefixae nominibus valde multiplex est significatio, atque in ceteris significat etiam *pro*, ut apud Montaldum videre est (2). Graece diceremus ἀντὶ τοῦ στελέχους, *pro Trunco*. Sententia vero consilium Dei patefacit remunerari Messiam volentis dando illi quamplurimos qui consequantur salutem, propterea quod ipse in Trunco effuderit in mortem animam suam, et cetera. Nam nisi Pater ipsi salvandos daret, nos ne cogitaremus quidem ad illum accedere, aut potius ab accedendo plane abhorreremus. Cujus rei lacrymabilia exempla non raro ab Incredulis vidimus hoc maxime tempore, quorum nonnullos extremum ipsum spiritum agentes revocare ad illum a viris piissimis et doctissimis frustra curatum est. Ipse de se Messias dixit, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit illum* (3). Quid igitur? Eosne Incredulos non trahebat? Et ma-

(1) Quem vide in Apol. Cap. XIX. 5.
(2) Montald. Lex. pag. 583.
(3) Joann. VI. 44.

xime quidem: nam idcirco eos revocatum miserat. Sed si illi quum traherentur ab accedendo abhorruerunt, omninoque accedere noluerunt, quid putas facturos esse qui non trahantur? Ex quo intelligitur quam necessarium sit, ut Filio dentur a Patre hi qui salvantur. Horum igitur quamplurimos Pater illi dare constituit propterea quod in Trunco mortuus sit; idque est quod docet Isaias hoc loco.

*Et cum Fortibus partietur praedam*, cum Romanis scilicet, quorum imperium conflatum gentibus paene omnibus, quas illi praedando sibi adjunxerunt, Messias fide et religione sua invadet, partieturque cum ipsis vel invitis hanc gentium praedam, multas earum sub suum imperium vocando, et Romam ipsam, in qua Sedem fidei religionisque suae constituet. De qua re vide praeclarissimum Michaeae vaticinium a nobis declaratum (1). *Fortes* vocat Romanos ipsum urbis respiciens nomen, quod graecum est, Dorice ῥώμα, et *fortitudinem* significat.

*Propterea quod*, et cetera. Propterea quod Messias in Trunco effuderit in mortem animam suam; et in Trunco cum praevaricatoribus duobus latronibus annumeratus fuerit; et in Trunco ipse, qui nullam unquam injuriam fecerat, et cujus in ore nullus dolus fuerat, ideoque nec istam, nec ullam poenam meritus erat, poenam peccatis hominum debitam assumserit, subierit, sustinuerit, solverit; et in Trunco pro ipsis praevaricatoribus Judaeis et Gentibus qui eum confixerunt, Patrem oraverit ut iis ignosceret, quia quid fecerent nescirent; pro hoc ipso Trunco, quem tam amanter amplexus est, et quo est usus ad tot et tam mirabiles virtutes suas, ut eum remunerer, dabo illi partem in multis Gentibus, et cum Romanis ipsis praedam partietur.

(1) De Apolog. Cath. Rel. Cap. XIV.

Illa verba *propterea quod* חחת אשר qui attente considera- verint, et cum tota orationis serie contulerint, facile cogno- scent לכן *lachèn* nomen esse, non adverbium *ideo*, quod ante illud ipsum *propterea quod* superfluum esset.

Vaticinium ad Deum Dominumque nostrum Jesum Chri- stum pertinere, et ipse et Apostoli docuerunt. *Dico enim vo- bis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est* (1). Et alibi: *Cum eo cru- cifigunt duos latrones, unum a dextris, et alium a sinistris ejus. Et impleta est Scriptura quae dicit: Et cum iniquis deputatus est* (2). Quae verba, sunt postremi hujus Isaiae ver- sus, recitata ex Hebraeo. Nam apud Septuaginta sunt, *Et in iniquis deputatus est*. Quod autem Christus, et Apostoli docue- runt, Catholici omnes inde ab illorum aetate semper tenui- mus, neque dissenserunt Heterodoxi, uno excepto Grotio, qui pro Messia Jeremiam conatus est inducere, tanta infelicitate et perversione sententiarum, ut nec sibi ipse consenserit, nec cuiquam suorum placuerit, et ab illis etiam reprehensus sit. Hebraeorum quidam pro Messia Mosem, teste in hunc locum Kimchio, alii populum ipsum Israeliticum immittere voluerunt. Sed Moses a Rabbinis recentioribus desertus est, quibus po- pulus placet. Ast hi facilius persuadere poterunt, Homerum de bello Judaico, non de Trojano scripsisse: adeo pugnantia ex omni parte sunt quae afferunt; ut a viris doctissimis osten- sum est. Nunc *Truncum* etiam habebunt Judaei contra quem armentur, nisi volent totum illum quem somniant beatum populum futurum Israeliticum, eundemque in sua perfidia tunc maxime constantem, crucifigendum esse; quam beatitudinem nemo illis invidebit.

(1) Luc. XXII. 37.

(2) Marc. XV. 27. 28.

Ceterum quam vere *Truncus* habeat in vaticinio locum, negare nemo poterit, qui quidem viderit Jesu Christi ortum, incrementum, contemtum, solitudinem, aegritudines, dolores, passionem, mortem, mortis socios, morientis precationes, cetera sic a Propheta fuisse tot seculis ante descripta, ut nihil esse luculentius possit. Ab hac ipsa descriptione genus mortis *Truncum* esse debuisse, ut fuit, quis est qui non intelligat? Et quum hoc ipso in loco, ubi haec tam clare monstrantur, sit ipse *Chen*, qui est *Truncus*; quisquamne tam caecus esse volet, qui neget hoc loco et *Truncum*, et *Trunco* ipsum mortis genus expresse fuisse monstratum?

---

# DE CRUCE VATICINIUM III.

## Habaccuci Caput I.

## In quo Crux quinquies nominata est.

### ARGUMENTUM.

1 Vaticinium est de primis Christianae religionis persecutoribus; in quibus quum principem locum habituri essent Romani, Propheta multa praenunciat de initiis incrementoque Populi Romani, de imperii prorogatione, de viribus, de libertate, de majestate, de celerrimis in oriente primum, deinde in aliis orbis partibus victoriis, de conversione reipublicae in unius dominatum, et denique de odio et insectatione Christianae religionis. In hoc vaticinio *Truncus* quinquies nominatus est; quod satis esse debet ut intelligatur, minime apte ab illis explicatum esse qui putarunt, Prophetam de invasionibus Chaldaeorum in Hebraeos loquutum esse.

2 Vaticinium dialogus est quo Deus, et Habaccucus colloquuntur. Dialogum Propheta orditur, apud Deum expostulans, quod quum saepe pro tranquillitate Justorum futuri temporis, hoc est Christianorum, deprecatus esset, non exaudiretur; imo Deus illi semper ostenderet futuras vastationes, violentias, lites, contentiones, quas ab improbis perversisque hominibus Justi illi habituri essent.

3 Expostulationi respondet Deus docendo, aerumnas Christianorum, quas Propheta commemoraverat, ab odio profectu-

ras improborum in Crucem; quod quidem odium impediturum sit, ne Evangelium eos habeat successus, qui a tot tantisque bonis quae allaturum erat sperari debuissent, et ne ipsius promulgatio plenam de improbis victoriam referat. Ab improbis enim Christianos malis quibusque artibus periculisque circumobsidendos esse; nec id privatim tantum, sed etiam auctoritate publica, latis ob odium Crucis perversis contra Christianam religionem legibus. Hic quum Deus leges ob odium Crucis publice ferendas commemorasset, Gentem quoque ipsam monstrat, quae illas promulgatura erat. Quo loco Populum Romanum describit, Chaldaeorum, quorum regnum tunc a Nabopolasare condebatur, origine fere synchronum; deque illo ea dicit quae paulo ante retulimus. Claudit autem hoc Deus responsum primo magnitudine Populi Romani ob partas ubique gentium victorias; deinde ejusdem Populi crimine ob odium Crucis post tam auctam potentiam; et denique ipsa conversione totius reipublicae tantaeque potentiae in unius Principis dominatum, qui Deus haberi vellet, et coleretur. Ubi nemo non videt Imperatores Romanorum esse descriptos, quorum fere quisque ante quam Christiani fuerunt divinos sibi arrogavit honores, et a quibus primae perversae contra Christianos ob odium Crucis leges, de quibus vaticinium, latae sunt; quarum occasione Populus Romanus, subjectaeque ceterae Gentes sceleribus persecutionum sese coinquinarunt.

4 His auditis, cognitoque Romanum Principem *deum* appellatum iri, Propheta suam justorumque fidem ac spem in verum Deum erigit iis de causis, quibus sese nunquam delendos excidendosve esse firmissime confidant, quantumvis improbi saeviant.

5 Postremo dialogum absolvit Deus Prophetam docens, minime fore ut Romani ad sequendam justitiam mysterio Crucis commoveantur; imo fore ut odio illius jugiter occidere Gentes non parcant.

# HABACCUCI CAPUT I.

1 Onus quod vidit Habaccucus Propheta.

## *Habaccucus.*

2 Quousque, Domine, vociferabor, et non audies; clamabo
ad te, violentia *est*, et non salvabis? 3 Curnam mihi iniqui-
tatem ostendis, ac perversitatem conspiciendam exhibes; et va-
statio ac violentia in conspectu meo *est*, futuraque lis, et sese
elatura contentio?

## *Deus.*

4 Propter Truncum debilitabitur Lex, neque exibit ad vi-
ctoriam Judicium, quia improbus circumobsidebit justum! Con-
tra Truncum exibit judicium perversum!
5 Aspicite in Gentes, ac intuemini, et admiramini, admi-
ramini! Opus enim operor in diebus vestris: non consistetis
immoti quum narrabitur. 6 Nam ecce ego suscito cum Chal-
daeis Gentem amaram ac celerem, pervasuram in latitudines
terrae ad possidenda domicilia non sua. 7 Terribilis, et for-
midanda est! ab ipsa jus ejus et dignitas ejus exibit. 8 Le-
viores autem pardis erunt equi ejus, et velociores lupis vesper-
tinis, diffundentque sese equites ejus: nam equites ejus de
longinquo venient; volabunt instar aquilae properantis ad co-
medendum. 9 Universa ad violentiam concurret; haustus vul-
tuum illorum *erit* orientem versus, et congregabit arenae instar
captivitatem. 10 Eademque regibus illudet, ac dominantes
*erunt* ei risui. Haec quamcunque munitionem ridebit, et con-
geret pulverem, et capiet eam. 11 Tunc mutabit ventum,
ac pertransibit, atque delinquet: Hoc robur ejus deo ipsius
*erit*.

HABACCUCUS.

12 Nonne tu a principio Dominus *es*, Deus meus, Sanctus meus? non moriemur. Dominus *quum sis*, eamne contra Judicium constitueris? ac Fortis *quum sis*, eamne ad arguendum condideris? 13 Purus *es* oculis ut malum non intuearis, nec respicere ad perversitatem potes. Curnam perfide agentes aspicias, tacitumque te contineas super improbo devorante illum qui sit ipso justior, 14 constituasque homines tanquam pisces maris, tanquam reptile cujus non sit qui dominetur? 15 Totumne hamo sustollet, illudque colliget in Rete suum, illudque in Sagenam suam congregabit? Contra Truncum laetabitur, et exsultabit? 16 Contra Truncum sacrificabit Reti suo, adolebitque Sagenae suae, quod per ea pinguis *sit* pars ejus, et cibus ipsius adiposus?

DEUS.

17 Num propter Truncum Rete suum evacuabit? Imo jugiter occidere Gentes non parcet!

DECLARATIONES.

1 *Onus quod vidit Habaccucus Propheta.*

Onus appellant Prophetae vaticinium quo aerumnae, calamitates, poenae praenunciantur; quod vel ipsa earum rerum anticipata cognitio plurimum doloris afferat, et propterea molesta et onerosa sit. Hic hujus vaticinii est titulus.

2 *Quousque, Domine, vociferabor, et non audies; clamabo ad te, violentia est, et non salvabis?*

Prophetae cum jugiter ostenderentur violentae persecutiones quas ab improbis passuri erant Christiani, non cessabat deprecari Deum, ut eas permittere nollet. Sed sese non exaudiri, ex eo intelligebat, quod semper eadem persecutorum vio-

lentia, iniquitas, perversitas, eademque lis et contentio Christianos inter et improbos de vera fide et religione illi divinitus ostenderentur. Quamobrem ea libertate, qua Sancti viri alloquuntur Deum, expostulat, ex abrupto suam orationem his verbis exordiens.

*Clamabo ad te, Violentia est, et non salvabis?* Quousque clamabo ad te dicens, Haec quae mihi ostendis improbos facturos esse adversus justos, maxima violentia est illorum in istos, quos tuum est tueri atque salvare, nec tamen salvabis?

Consueta est hoc loco ellipsis verbi substantivi. Quamobrem nec erat necesse interpretari ἀδικούμενος *vim patiens*, ut Septuaginta fecerunt, verbum adhibentes ubi nomen est; nec nomen erat accusativo casu accipiendum, ut Grotius, et Arias Montanus acceperunt qui *rapinam*, Tigurina versio, Junius, Tremellius, et Drusius qui *violentiam*, nec erat addendum *ob* aut *propter*, ut Pagninus, Vatablus, Munsterus, Piscator, Calvinus, *qui ob violentiam*, et Houbigantius qui *propter oppressionem* interpretati sunt. Abhorrent enim hi modi ab Hebraeae linguae consuetudine; quum contra illa ellipsis sit usitatissima, et sententiam habeat mire perspicuam, et reliquo vaticinio consentientem.

3 *Curnam mihi iniquitatem ostendis, ac perversitatem conspiciendam exhibes; et vastatio ac violentia in conspectu meo est, futuraque lis, et sese elatura contentio?*

Haec satis declarata sunt iis quae ad versum secundum dicta sunt.

*Futuraque lis, et sese elatura contentio*. Hic locus plurimum exhibuit interpretibus negotii; qui quum complura tentaverint interpretationum genera, ut videre est in Synopsi Criticorum, eaque perobscura et violenta, hoc quod est a nobis adhibitum reliquerunt. Causa ejus adhibendi fuit id quod alibi

animadversum et ostensum est, Hebraeos uti futuro suo etiam ad eas significationes quas nos participiis futuri temporis exprimimus (1). Juxta hanc regulam יְחִי vertendum est hoc loco *futuraque*, et יִשָּׂא *sese elatura*; jamque omnia clarissima sunt, et sua sponte fluunt.

Ab hac Prophetae expostulatione permanifesta est summa ipsius erga Deum et proximos caritas. Ex ea namque liquet eum saepenumero deprecatum esse futuras improborum insectationes fidei religionisque Christianae, ipsasque eorundem in Christianos persecutiones (idque multo clarius infra patebit) et expostulare, quia non exaudiretur. Haec autem proficisci non possunt nisi a flagrantissimo desiderio, ut eas Deus permittere nollet; quod desiderium indubitatum est perfectissimae caritatis indicium. Quae quum ita sint, nollem cuiquam excidisset, quod Calmetus ait Hieronymum de hoc Prophetae loco scripsisse, *temerariam esse vocem Prophetae, et quodammodo blasphemantis* (2). Quod si Hieronymus dixit, Calmetus Semi et Japheti partes, quam Chami egisset maluissem. Sed Calmetus ipse magnopere videtur esse castigandus, qui ad hunc locum haec quae sequuntur conscribere non erubuit: *Fatendum tamen est, in Scriptoribus Sacris quosdam acris naturae impetus legi, qui debito erga Deum obsequio deesse videntur, nostrisque ingeniis multo mitioribus et modestioribus minime conveniunt*. Qua sententia nescio an quidquam in Deum sacrorum Librorum auctorem contumeliosius, et ad corrumpendos mores, excusandosque corruptos perniciosius excogitari possit. Jam ergo Apostolus delere et abrogare poterit quod docuit, *quaecumque scripta sunt, ad nostram institutionem scripta esse*. Quid nobis opus est his scriptis, qui et erga Deum obsequentiores, et multo mitiores ac modestiores sumus Prophetis, Apo-

(1) De Apolog. X. 5.

(2) Calmet. Comment. ad hunc loc.

stolis, Deo? Calmetus si locum diligentius considerasset, profecto haec monstra non protulisset.

4 *Propter Truncum debilitabitur Lex, neque exibit ad victoriam Judicium, quia improbus circumobsidebit justum! Contra Truncum exibit judicium perversum!*

Expostulanti Prophetae respondet Deus. Propter Truncum, illiusque mysterium, *Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam* (1), ea quae *de Sion exibit Lex, et verbum Domini de Jerusalem* (2), illud ipsum meum Dei judicium, illud ipsum Evangelium, quod Filius meus mittens Apostolos suos *in mundum universum praedicari jubebit omni creaturae* (3), debilitabitur; neque ita persuaderi poterit, ut *in mundo universo* vincat *omnem creaturam*. Improbi enim tum Judaei, qui totam hanc rem scandalum esse, tum Gentiles, qui esse stultitiam arbitrabuntur, ut a se suisque scandalum arceant atque stultitiam, omni ope circumobsidebunt quemlibet *justum* qui *ex fide vivet* ipsius mysterii (4). Nec vero haec Lis sese intra privatos domesticosque parietes continebit; sed altius *sese efferet ista contentio*, et magistratus, legumlatores, reges invadet, a quibus *contra Truncum exibit judicium perversum*, perversae, iniquissimae, saevissimaeque leges, capitali poena proposita in eos qui Trunci fidem amplexi fuerint, nec eam jussi deserere voluerint. Hinc illa in justos Christianos *violentia*; hinc hominum, et praesertim domesticorum, in eos iniquitas et perversitas (5); hinc sententiis judicum, magistratuum, regum illata Christianis vis (6); hinc *vastatae* ac per-

(1) I. Cor. I. 24.

(2) Is. II. 3.

(3) Marc. XVI. 15.

(4) Rom. I. 17.

(5) *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum; et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus Socrum suam: et inimici hominis, domestici ejus.* Matth. X. 34. 35.

(6) *Tradent enim vos in conciliis, et in Synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides, et ad reges ducemini propter*

ditae ipsorum domus atque familiae, turmatim ubique justis vexatis, afflictis, occisis; quarum rerum causa jampridem et saepe amantissime expostulas.

Nunc de interpretatione videndum est. Nam de sententiis dubitari non potest quin rectissimae sint, et illae ipsae, quas *multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime loquutus est nobis in Filio* nostri amantissimo, mihique super omnia carissimo Jesu Christo Domino nostro (1). Quod ergo *ad Truncum* attinet, nihil est quod hic dicendum praeterea sit. Satis enim est in prolegomenis dictum de hujus vocis natura et significatione; ubi etiam doctissimorum virorum auctoritate cognitum est, hoc nomen construi cum particulis tam inseparabilibus, quam separatis. Hic igitur et bis occurrit, et nomen, non adverbium est, et utrobique cum particula separabili עַל *hal* constructum est עַל כֵּן *hal chen*; quae particula et varia significat, et *propter*, ac *contra* sive *adversus*, ut testis est cum doctissimis quibusque viris Montaldus (2). Quando autem *Chen* adverbium, non nomen est, tunc cum hac ipsa particula constructum significat *propterea*, *idcirco*, *ideo*, *quapropter*, et alia, ut idem auctor est testis (3); atque ita Interpretes omnes in his locis hactenus transtulerunt.

*Debilitabitur* futuro tempore etiam apud Hebraeos תָּפוּג *thaphug*. Significationis testes sunt eruditi apud Montaldum (4). De verbis *ad victoriam* eundem vide (5).

*me* (propter Truncum) *in testimonium illis, et Gentibus*. Matth. X. 17.

*Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient: et eritis odio omnibus propter nomen meum* (propter Truncum): *qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Ibidem 21. 22.

(1) Heb. I. 1.

(2) In Lex. pag. 966.

(3) Ibidem pag. 538.

(4) Ibidem pag. 1059.

(5) Ibidem pag. 283.

*Circumobsidebit*, apud Prophetam participium est praesentis temporis cum ellipsi verbi sustantivi, *circumobsidens erit*, futuro tempore, ut superiora. Verbum autem significat *cinxit*, *circumsidet*, *coronat* (1). Haec dubitare ne pusillos quidem, aut ineptos, aut imbecilles sinent, quin interpretatio a propriis verborum significationibus severissime ducta sit, ac illud ipsum dicat quod Propheta: quae demonstratio, quum de Sacrosancta Cruce nunc primum ageretur, non erat negligenda.

5 *Aspicite in Gentes, ac intuemini, et admiramini, admiramini! Opus enim operor in diebus vestris: non consistetis immoti, quum narrabitur.*

Nec vero tibi, tuique aequalibus, Habaccuce, difficile fuerit cognoscere, quaenam Gens sit, quae prima iniquas has leges ob Crucis odium latura est contra Christianos. Aspicite in Gentes, ac intuemini, et vehementissime admiramini! Opus enim eam condendi, conflandi, augendi, amplificandi operor jam his ipsis diebus, hoc ipso tempore quo vivitis. Quum Gens conflata initio *pastorum convenarumque plebe transfuga ex suis populis* (2) *penuria mulierum hominis aetatem duratura* (3), per me autem adeo amplificanda, ut quo ipso tempore Messias orietur, nullum ante ipsam in terris majus imperium quam illius fuerit: quum ergo haec ipsa Gens inimicissima fore Trunci, laturaque contra ipsum iniquissimas leges narrabitur a Prophetis; sine dubio prae admirationis magnitudine non poteritis immoti consistere, sed exclamationibus, ipsaque agitatione corporum, et manuum pedumque complosione admirationem vestram prodere cogemini.

*Non consistetis immoti*. De hac significatione vide Montaldum (4).

o

(1) Ibidem pag. 580.
(2) Liv. Lib. II. Cap. I.
(3) Ibidem Lib. I. Cap. IV.
(4) In Lex. pag. 46.

*Nam ecce ego suscito cum Chaldaeis Gentem amaram ac celerem, pervasuram in latitudines terrae ad possidenda domicilia non sua.*

. . . . Ecce ego hoc ipso vestro tempore, quo novum oritur imperium Chaldaeorum, Romanam gentem erigo, augeo, amplifico, gentem reliquis populis ab ea vincendis amarissimam, latissimasque orbis partes celerrime invasuram et possessuram.

Chaldaeorum regnum a Nabopolasare babylonio conditum est anno ante Aeram Christianam 626, quo tempore quartus a Romulo Ancus Martius Romae regnabat. Ut res Romana hujus regis aetate adhuc parva esset, et continenter usque ad Messiae ortum in immensum creverit, notius est quam ut oporteat dici. Idcirco Deus sese illam suscitare, hoc est condere, augere, amplificare dicit; quod fecit. Nam ut alibi ait, *Per me reges regnant* (1). Igitur Anco Martio regnante Nabopolasar, quem Assyriorum rex Saracus cui antea Chaldaei parebant, exercitui praefecerat, a rege defecit, et copias Niniven ducens, arma in eum convertit. Rex territus regiam incendit, se concremavit. Quis ei successerit, ignotum: Sed Assyriorum diviso imperio, Chaldaeos Nabopolasar obtinuit, reliquos populos is qui Saraco successit (2). Nabopolasar filium habuit Nebuchadnesarem, qui regno successit, captaque Hierosolyma, Judaeos Babylonem captivos abduxit.

*Cum Chaldaeis* את הכשדים *eth acchasdim*. Propter varium voculae *eth* usum, quae alias nota est accusativi casus, alias significat *cum* (3), hic locus verti dupliciter potest, *cum Chaldaeis*, et *Chaldaeos*. Prima ratio Synchronismum indicat orientum duarum gentium Romanae, atque Chaldaeae, quarum illa initium quidem habuerat ab Urbe condita, centum viginti se-

(1) Prov. VIII. 15.

(2) Vide Usser. ad ann. M. 3378.

(3) Mont. in Lex. pag. 77.

ptem annis ante conditum a Nabopolasare Chaldaeorum regnum; sed adhuc adeo parva erat, ut orientis potius speciem, quam constitutae gentis haberet, non secus atque tunc tempori Chaldaeorum regnum. Quae res multo luculentior erit, si haec utriusque initia cum magnitudine imperii conferentur, ad quam utraque evecta est. Incunabula enim potius utriusque imperii, non imperia dicenda erunt Romanorum Chaldaeorumque res; quo tempore Ancus Martius Romae, Nabopolasar Babylone regnarunt. Itaque orientes eodem fere tempore ambae gentes hic considerantur. Sed Hebraeis nulla erat tunc de Romanis cogitatio: Chaldaeorum regnum et vicinia, et defectione Nabopolasaris, excidioque Saraci, et imminutione Assyriorum, ita ut fit in rebus novis, animos hominum commovebat. Quamobrem Deus et Prophetam, et reliquos ad intuendam potius excitat Romanam gentem eodem tempore orientem atque Chaldaei, a qua, non a Chaldaeis, capitale illud odium in Crucem erat suscipiendum, saevissimaeque illae Justorum caedes erant perpetrandae, quas praemonstrabat.

Altera ratione superiora illa verba converti, *Chaldaeos* possunt. Sed tunc animadvertere oportet, Prophetam non de Chaldaeis babyloniis, sed de Romanis ipsis loqui. Nam, ut alibi observatum est (1), Prophetae quum de rebus vaticinantur post ortum Messiae futuris, Assyriorum Chaldaeorumque nominibus Romanos appellant, ut Apostoli etiam Petrus et Joannes Romam Babylonis nomine (2). Hic autem Habaccucus et de Cruce, et de potentissimis latissimeque dominantibus Crucis hostibus vaticinatur, qui Messiae temporibus fuere Romani; quum Chaldaeorum regnum quingentis annis amplius ante a Cyro fuisset extinctum, nec illud unquam recuperarint.



(1) De Apol. Cap. XIV. 10. in Adnot. et deinceps ubicunque Babylon nominatur.

(2) I. Petr. V. 13., Apoc. XIV. 8.,

7 *Terribilis, et formidanda est.*

His notis, et plerisque aliis quae sequuntur, etiam Daniel quartam suam descripsit Bestiam, qua Romanorum imperium monstratum esse consentiunt omnes.

*Ab ipsa jus ejus, et dignitas ejus exibit.*

Populus Romanus jura sibi auctoritate sua constituet, non unius hominis arbitratu; idemque Leges de dignitate ac majestate sua feret atque tuebitur.

*Jus ejus* מִשְׁפָּטוֹ *judicium ejus*: quae vox significat etiam ipsum *Jus* (1); et vulgo notissima sunt Sacrarum Litterarum testimonia in quibus leges *judicia* nominantur.

*Et dignitas ejus* שְׂאֵתוֹ *est latine excellentia, eminentia, majestas*, inquit Montaldus (2), qui citat hunc locum, vertitque *et excellentia ejus*, ac addit, *sed Vulgatus aliam ejusdem verbi significationem sequutus vertit*, et onus ejus.

8 *Leviores autem pardis erunt equi ejus, et velociores lupis verspertinis, diffundentque sese equites ejus: nam equites ejus de longinquo venient; volabunt instar aquilae properantis ad comedendum.*

Virtus, celeritas, ardor Romanorum militum quemnam hominem latent? Eos igitur hic quivis agnoscet.

*Lupi vespertini*, qui scilicet metu die prodire cohibiti, vespere ingenti fame rabidi ad quaerendam praedam velocissime currunt.

*De longinquo venient*, de Italia, et Roma, quae valde longinqua habebatur Hebraeis; ut constat a primo Machabaeorum libro, ubi de Legatis Romam missis, *Et abierunt*, inquit, *Romam viam multam valde* (3).

9 *Universa ad violentiam concurret: haustus vultuum eo-*

(1) Mont. pag. 4738.

(2) Pag. 804.

(3) I. Mach. VIII. 19.

*rum erit orientem versus, et congregabit arenae instar captivitatem.*

Universa ad vim hostibus bello inferendam concurret. Quae verba modum ostendunt, quo leges quibus bellum indicebatur ferebantur a Romanis; *Comitiis* scilicet, *centuriatis* (1). *Comitia* vero erant *conventus universi Populi ad ferendum de aliqua re suffragium* (2). Conveniens igitur universa Gens ad legem de indicendo bello ferendam, *universa ad violentiam concurrebat*.

*Haustus vultuum eorum erit orientem versus*. Gentes scilicet, quas Romani absorbere potentia sua, belloque illarum opes exhaurire maxime cupient, prae ceteris erunt orientales ipsis populi Graeciae, et Asiae. Hi tunc temporis et cultissimi erant, et ditissimi omnium; in primisque Graeci liberalium artium monumentis insignes, quorum pleraque victis erepta Romam avecta fuerunt. Hanc et opum, et pulcherrimarum rerum sitim Romani *congregando arenae instar captivitatem* extinxerunt.

10 *Eademque regibus illudet, ac dominantes erunt ei risui. Haec quamcunque munitionem ridebit, et congeret pulverem, et capiet eam.*

Regibus victis, et Romam triumpho deductis quomodo uterentur Romani, satis cognitum est. Facilitatem ac celeritatem capiendi munitissima loca monstrat phrasis *congeret pulverem*, hoc est *comportabit aggerem*.

11 *Tunc mutabit ventum, ac pertransibit, atque delinquet. Hoc robur ejus deo ipsius* erit.

Tunc, post victos scilicet orientis populos ac reges, Romana gens *mutabit ventum*, hoc est ad eas orbis partes se con-

(1) Nieupoort Rit. Rom. Sec. I. Cap. VII. §. IV.

(2) Ibidem Cap. V. §. I.

vertet, unde occidentales et septemtrionales exoriuntur venti, ad debellandos Gallos, Germanos, Britannos; quos populos celeritate victoriae veluti pertransibit. Notum est illud C. Julii Caesaris, *Veni, vidi, vici*. Denique tot aucta victoriis, et ad tantam evecta imperii magnitudinem atque potentiam sub illud ipsum tempus quo Messias est oriturus, Gens Romana delinquet, persecutione contra Truncum incensa. Ut hactenus sudatum frustra sit in hoc loco alioqui planissimo interpretando, vide in Synopsi Criticorum.

*Hoc robur ejus deo ipsius* erit. Hanc tantam Populi Romani potentiam obtinebit denique ipsius populi *deus*, princeps scilicet et Imperator, republica per C. Caesarem, cui successit Augustus, in unius dominatum conversa. Notat autem Deus Romanorum principum impietatem, qui sibi Dei nomen arrogarunt, et aras, sacerdotes, templa constitui sibi passi sunt, atque adeo jusserunt. Hic quoque locus plurimum negotii dedit interpretibus. Desinit autem his verbis primum Dei ad Prophetam responsum.

12 *Nonne tu a principio Dominus es, Deus meus, Sanctus meus? non moriemur*.

Fidem ac spem suam his verbis Propheta respondens Deo declarat. Tu ab aeterno Dominus es, Deus meus, Sanctus meus qui pro salute hominum in Trunco es moriturus. Itaque saeviat licet Romanus, sive princeps, sive deus appellari velit, in te, in truncum, in justos, certe qui in te credimus, crediturique sumus, non excidemur. Quis enim falsus deus vero potest esse Deo potentior?

*Dominus* quum sis, *eamne contra Judicium constitueris? ac Fortis* quum sis, *eamne ad arguendum condideris?*

Fierine potest, ut quum Dominus sis, Evangeliique auctor et doctor, Romanam gentem ideo constitueris, atque ad tantam potentiam extuleris, ut contra Evangelium tuum pu-

gnando illud justis eripiat, radicitusque tollat, omninoque ex animis et cordibus illorum deleat? Et quum tu omnium sis fortissimus et potentissimus, quis esse tam demens poterit, ut arbitretur, Romanos a te ad tantum imperium esse perducendos, ut Christianos non modo reprehendant, arguant, puniant; verum etiam robore suo penitus obruant; plusque valeat Romanorum perdendi nominis Christiani potentia, quam tua servandi?

Textus est cum interrogatione legendus, subauditurque verbum substantivum, Κύριος ὢν, ut graece optime diceretur; quo participio quum Latini careamus, necesse est dicere *quum sis*.

Animadvertendum est praeterea, pronomina, quae jam inde a versu decimo apud Septuaginta et Vulgatum masculi sunt generis ita ut apud Hebraeos, quia hujus generis est apud illos *gens*, semper referri *ad gentem illam*, quae versu sexto nominata est; atque hac de causa foemineo sensu a Latinis, neutro a Graecis accipienda esse; aut ab illis *populum*, ab his λαὸν subaudiendum.

13 *Purus es oculis ut malum non intuearis, nec respicere*
*ad perversitatem potes. Curnam perfide agentes aspicias, ta-*
*citumque te contineas super improbo devorante illum qui sit*
*ipso justior,* 14 *constituasque homines tanquam pisces maris,*
*tanquam reptile cujus non sit qui dominetur?*

Quum tu purissimus sis, et maxime a malis alienus, ut nec ipse moliri quidquam mali, nec favere molientibus possis, quae te causa impellere potest, ut homines perfide in te agentes placido aspicias non irato lumine, teque tacitum contineas super improbis justos opprimentibus et perdentibus? Quid te movere potest ut hominum genus eo habeas loco quo pisces, et totum in aquis viventium animantum pecus, quod majorum piscium insidiis, aviditati, et voracitati expositum, opem ferente nemine, praedae omnium patet?

15 *Totumne hamo sustollet, illudque colliget in Rete suum, illudque in Sagenam suam congregabit?*

Sed esto: praevaleant justis improbi, tuque ita fieri sinas, habeasque justas causas cur ita facias, quas nos ignoremus, nec videre possimus. Omnia enim in sapientia fecisti. Num ideo Populus Romanus totum mortalium genus in suam potestatem redigat, et instar piscium hamo, suis scilicet armis capiat, et in Rete suum colligat, suaeque reipublicae adjungat, in eamque tanquam in immensam quandam Sagenam congreget? Quid causae sit, cur justos saltem ab hac voracitate Populi Romani non liberes?

*Contra Truncum laetabitur, et exultabit?*

Quid? Populus Romanus, quo ipso tempore inimicissimus erit sacrosancti Trunci tui, et insectatione ac caedibus moestissimos faciet justos qui ex fide vivent tanti mysterii; Populus Romanus tam perfide in te, tam dire in tuos agens, laetissimus erit victoriis suis, et magnitudine imperii sui gloriabitur, superbiet, gaudioque exsiliet?

16 *Contra Truncum sacrificabit Reti suo, adolebitque Sagenae suae, quod per ea pinguis* sit *pars ejus, et cibus ipsius adiposus?*

Rete, et Sagena quae tot gentes in unum colligit imperium, Roma est. *Ipsa etiam urbs Roma pro dea habita fuit, cui Alabandenses Cariae populus primi templum exstruxerunt* (1). Sed haec ipsa Sagena innumerabilem deorum colluviem continebat, quibus acceptam fortunam suam Romani referebant, excitatisque templis immolabant victimas, adolebantque thura. Quamobrem Propheta ut omnes paucis complecteretur, continentem deos Sagenam pro diis ipsis posuit; quod etiam in aliis rebus, et scriptoribus non est insolens.

(1) Nicup. Rit. Rom. Sect. IV. Cap. I. §. 35.

Pergit ergo Propheta in hanc sententiam: Verum ista quoque quae hactenus dixi, Populus Romanus faciat. Illud vero quam indignum atque intolerandum est, postquam illum tanto auxeris imperio, tantisque opibus, postquam te ipse victimam in Trunco feceris, praeceperisque ut quod in Trunco fecisti, illud ipsum Sacrificium Justi perpetuo in tui commemorationem faciant, quo nec majus ullum, nec ad agendas gratias dignius esse potest; Romanos contra hoc ipsum Sacrificium, contra Sacerdotes et justos tuos, contra totum ipsum Trunci mysterium gravissime ac crudelissime insurgere? Te ne, Domine, totius fortunae illorum auctorem, facinus tam indignum atque intolerandum ferre silentio deceat? Te ne pati ut hostes tui et Trunci victimas immolent, adoleantque thura diis suis, gratias illis agentes quas agere deberent tibi, et ingratissime ac iniquissime reputantes, se tot tantasque divitias, opes, facultates ab illis accepisse?

Atque hic Habaccuci desinit responsum, qui quamvis certissime crederet quod verbis *non moriemur* declaravit, futuros Christianos ab improbis non esse excidendos; nihilominus propter ingentem suam caritatem nihil intentatum reliquit, quo Deum permoveat ad avertendas etiam omnes persecutiones quas a Romanis passuri erant Christiani. Ardens hoc illius desiderium ardentem hanc peperit orationem quae declarata est, cujus vim assequi utinam potuissemus! Eloquentiam enim parem Prophetis afferre perdifficile, aut potius desperatum est.

Hisce postremis versibus duobus nomen, non adverbium *Chen* bis esse, jam omnes intellexisse arbitror. Est autem cum particula separabili עַל *hal*, ut supra versu quarto. Quamobrem nihil opus est hic ea repetere quae ibi sunt dicta.

17 *Num propter Truncum Rete suum evacuabit? Imo jugiter occidere Gentes non parcet!*

Brevissimum, sed gravissimum Dei responsum ad Prophe-

p

tam, quo dialogus clauditur. Miraris haec Romanos contra Truncum esse facturos, quasi non multo magis mirandum sit, eosdem quidem intellecturos, sese veri juris germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenere, umbra et imaginibus uti (1); nec tamen tantum animi habituros ut sequi justitiam velint, existimaturos potius, eam si sequantur, stultos putandos esse (2). Eamne mentem censes a Romanis propter Truncum esse deserendam, eosque propter eundem suum cuique restituturos quod vi et armis occupaverunt, urbemque ipsam omnibus rebus spoliaturos, atque ad casas et egestatem redituros? Quod si propter justitiam, quae omnibus hominibus cognita semper fuit, et cujus vim et imperium sentiunt etiam inviti, facere nullo modo volent; censesne propter Truncum esse facturos, *mysterium quod absconditum fuit a seculis et generationibus* (3), et quod insaniae atque stultitiae loco a Romanis habendum est? (4). Imo propter ipsum Truncum jugiter occidere Gentes Roma non parcet. Eas enim si antea dumtaxat in acie arma armis opponens caedebat, post Truncum non in acie solum, sed ubicunque terrarum et do-

(1) *Majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse noluerunt. Quod civile, non idem continuo gentium: quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris, germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur*. Cic. de Off. III. Cap. XVII. Ubi miror in omnibus editis legi *voluerunt*, quum ex Sermonis consequentia et mente Scriptoris legendum esse *noluerunt*, luculentissime pateat. De hoc alibi.

(2) *Justitia, si alienis utilitatibus consulat, suas negligat, stultitia est dicenda. Quod si omnes populi penes quos sit imperium, ipsique Romani, qui orbem totum possedere, justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere quod vi et armis occupaverunt, ad casas et egestatem revertentur. Quod si fecerint, justos dicemus quidem, sed tamen stultos judicare necesse est, qui ut aliis prosint, sibi nocere contendant*. Cic. apud Lact. Epit. Cap. I.

(3) Coloss. I. 26.

(4) *Nos autem praedicamus Christum Crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. I. Cor. I. 23.

morum virum, foeminam, adolescentem, virginem, puerum, puellam invenerit, qui se Christianos esse fateantur, occidet!

Quo quidem divino responso Prophetam pro sua caritate valde turbatum esse oportet; sed non ita fortasse ut torsit hic locus interpretes, quod in Synopsi Criticorum est facile cernere. Nota enim interrogationis quae hic ab ipso Propheta expressa est, הַעַל־כֵּן *ahàl Chen*, *num propter Truncum*, quaeque a Septuaginta Interpretibus atque Vulgato est praetermissa, converti apte atque ad totam orationem accomodate nullo modo potest, nisi *Chen* in hoc toto vaticinio quinquies occurrens, quinquies sit nomen, et *Truncum*, hoc est augustam Dei Dominique nostri Jesu Christi Crucem significet.

Ceterum qui causas cur Romani tam atrociter saevierint in Christianos, copiose et accuratissime gravissimeque tractatas perspicere desiderent, ii optimum versent Librum, *Ricerche Storico-Critiche intorno alla tolleranza Religiosa degli antichi Romani del P. M. Giuseppe Airenti de' Predicatori Pubblico Bibliotecario*: *Genova dalla Stamperia di G. Bonaudo* 1814. Illum ego a doctissimo Auctore, meique amicissimo, nunc Casanatensi Bibliothecae Praefecto, dono datum gratissime excepi, avide et perlibenter legi; suspexique, quod rarum est, conjunctam cum summa judicii severitate admirabilem eruditionem.

---

# DE CRUCE VATICINIUM IV.

## Isaiae Caput L.

## In quo Crux bis nominata est.

### ARGUMENTUM.

1 Etsi negant Judaei, a Deo se repudiatos esse, ajuntque illum erga ipsos ita se gessisse ut maritus qui domo uxorem depulerit, quod eidem iratus sit, libellum autem repudii minime dederit, quia illam aliquando sit domum reducturus, eodemque modo Deus ipsos revocaturus sit (1): tamen non dubito quosdam eorum fore, qui longa illa expectatione Messiae defatigati, et diuturnitatis pertaesi miserrimi status, quo a tot seculis libertate amissa, et patria terra depulsi, palantes, extorres, incerti, peregrini, invisi apud omnes populos ubique gentium serviunt; memoresque avitae dignitatis et gloriae, magnarumque ac admirabilium rerum quas Deus olim ipsorum causa fecit, quorum jamdudum oblitus esse videatur; desperatione denique abrepti, ad cetera crimina hoc etiam addent, quo se injuste et improbe a Deo repudiatos fuisse conquerentur.

2 Horum nefariam improbitatem Isaias sive praevidens, sive praeoccupans, hoc vaticinio mirum in modum omnique attentione dignum evertit. Nam Propheta nomine suo non plura quam tria verba profert initio: de reliquo personam inducit

(1) Kimch. Comm. in Is. Cap. L. v. 1.

querulos istos alloquentem, eisque iniquitates ac praevaricationes commemorantem et exprobrantem, quarum gratia Judaei et repudiati post adventum Messiae fuerunt, et in repudii calamitatibus ultro persistunt, quum promta et expedita via sit iisdem se liberandi. Quamnam ergo personam inducit? Nempe ipsum Jesum Christum, quem tribus illis verbis quae diximus, declarat, testatur, pronunciat esse verum Deum, et Dominum, illum ipsum quem tetragrammato nomine unius veri Dei proprio יהוה sacri Scriptores appellant.

3 Ac Jesum Christum esse personam a Propheta inductam, qui attente legerint, totamque orationis seriem atque contextum consideraverint, rem esse adeo manifestam sentient, ut sol sit, nec ne, dubitari facilius possit. Quamobrem qui Jesum Deum esse negant, alterutrum statuant necesse est, aut impios ipsos, aut impium esse Prophetam. Nam et Deum dicere qui non sit Deus, et non dicere qui sit, juxta impium est. Vaticinium in partes suas septem analysi est distributum, ut illius oeconomia sit evidentior. Earum quid unaquaeque contineat, declarationibus explicabitur: parte autem quarta Sacrosanctam Crucem suam Dominus noster Jesus Christus his nominat.

## ISAIAE CAPUT L.

1 Sic dicit Dominus:

### I.

Ubi *est* iste liber repudii Matris vestrae, quo illam dimiserim? aut quis *est* e creditoribus meis, cui vos vendiderim? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in praevaricationibus vestris Mater vestra dimissa est!

### II.

2 Cur veni, et nemo *adest*, vocavi, et nemo respondet?

An *quadam* imminutione potestas mea imminuta est post re-
demtionem? aut nullane in me virtus *est* liberandi? Ecce in-
crepatione mea mare siccaturus sum, fluvios desertos factu-
rus: putrescet Piscis eorum aquarum inopia, sitique morietur.
3 Caelos atrore induturus sum, et saccum facturus operimen-
tum eorum.

## III.

4 Adonai, Dominus dedit pro me linguam Edoctorum, ad
scientiam tempestive loquendi cum lasso sermonem: excitavit
mane, mane excitavit pro me aurem ad audiendum, instar
eorum qui edocentur.

## IV.

5 Adonai, Dominus aperuit mihi aurem: ego vero non re-
pugnavi, non me retrorsum averti. 6 Tergum meum permisi
percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non
abscondi ab ignominiis, et sputo: 7 ac Adonai, Dominus
mihi auxilio erit. Contra Truncum non erubui, contra Trun-
cum posui faciem meam tanquam silicem! et scio quod non
pudefiam.

## V.

8 Prope est qui me justum esse pronunciat: quis mecum
concertaturus est? Stemus una: quis erit praeses judicii mei?
ad me accedat. 9 Ecce! Adonai, Dominus mihi auxilio erit:
quis iste *est*, qui me improbum est pronunciaturus?

## VI.

Ecce! omnes isti adinstar vestimenti vetustate consumun-
tur! eos tinea vorat! 10 Quis *erat* in vobis qui Dominum ti-
meret, qui vocem Servi ejus audiret quando incessit obscurus,

ac nullum splendorem habebat; qui speraret in nomine Domini, Deoque suo inniteretur? 11 Ecce vos omnes incendebatis ignem, accincti *estis* scintillis!

VII.

Ite in focum ignis vestri, et in scintillas quas incendistis. A manu mea est hoc vobis: ad Dolorem diu-cubabitis.

## DECLARATIONES.

1 *Sic dicit Dominus*: כֹּה אָמַר יְהוָה Prophetica est divinaque auctoritas, hunc cujus oratio hactenus descripta est, esse ipsum Deum; speroque omnes ab oratione ipsa Jesum Christum agnoscere potuisse, ac declarationibus confirmatum iri.

I.

*Ubi* est *iste liber repudii Matris vestrae, quo illam dimiserim? aut quis* est *e creditoribus meis, cui vos vendiderim? Ecce in iniquitatibus vestris vendit estis, et in praevaricationibus vestris Mater vestra dimissa est!*

Hac prima orationis parte Deus et Dominus noster Jesus Christus affirmat, Judaeorum gentem à se quidem repudio esse dimissam, et venditam, hoc est non haberi, ut antea, sanctum ipsius populum, et, erepta libertate, inter omnes gentes ipsosque Christianos creditores suos fuisse dissipatam, alienique juris effectam; sed non injuste, aut improbe, verum ob durissimam in iniquitatibus et praevaricationibus pertinaciam atque perfidiam.

Sed ad percipiendam hujus loci sententiam, tria sunt quae animadvertere oportet. Primum, non loqui Dominum de quolibet repudio, aut quavis venditione (hac quidem eo sensu quem diximus), sed de repudio injuste et improbe dato, de-

que venditione item injuste et improbe facta. Plena enim hujus sententiae cognitio a versibus octavo et nono repetenda est, atque ab illis verbis, *Prope est qui me justum esse pronunciat: quis mecum concertaturus est?* et, *Quis iste est qui me improbum est pronunciaturus?* nempe contendendo ut actor, dicendove sententiam ut judex, Judaeos a me injuste et improbe repudiatos ac venditos esse. Hi versus parte quinta descripti sunt.

Alterum quod animadvertere oportet, est, Dominum de repudio Judaeis dato loqui juxta legem qua repudia olim Hebraeis permittebantur. Lex erat: *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua* (1). Qua lege oportebat, ut repudiata uxor libellum repudii apud se haberet, e quo de voluntate constaret viri qui eam dimiserat: nec si foemina sese repudiatam esse diceret, repudii autem libellum ostendere non posset, fides habenda erat. Ex eo libro apparebat, utrum juste ac probe, an injuste et improbe uxor dimissa esset.

Tertio denique loco animandvertendum est, Judaeos in manibus suis habere libros, quibus omnis erga ipsos Dei voluntas explicata est; ipsos scilicet sacros Prophetarum libros. His libris Deus expresse pollicitus est, se nihil facturum esse, nisi ante Prophetis secretum suum revelaverit: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas* (2). Ab his ergo libris cognoscendum est, utrum Judaei repudiati sint, nec ne; et si repudiati sint, utrum juste probeque, an injuste et improbe. Qui ergo Judaei desperatione, ut diximus, abrepti queruntur, gentem suam

(1) Deuter. XXIV, 1.

(2) Amos III, 7.

injuste et improbe a Deo fuisse repudiatam, ii debent habere in manibus injusti hujus improbique repudii librum, illumque ostendere, hoc est proferre a libris Prophetarum testimonium, quo constet de hac injusta et improba in ipsos Dei voluntate. Sed certissimum est, nec esse, nec esse posse ullum hujusmodi testimonium. Quamobrem Dominus noster Jesus Christus Judaeos istos initio statim expugnans, *Ubi est*, inquit, *liber iste repudii gentis vestrae, quo constet, injuste et improbe a me fuisse dimissam?*

*Ubi est* prima et propria hebraeae voculae אי significatio (1), quam Vulgatus *quis*, Septuaginta *qualis*, Pagninus, Chaldaeus, Syrus *quisnam*, Houbigantius, Munsterus, Junius, Tremellius, Piscator, Tigurina *ubi* interpretantur.

*Aut quis est e creditoribus meis, cui vos vendiderim?*

Quod vehementissime Judaeos post eversam Hierosolymam eorumque rempublicam angit et cruciat, est Christianis populis, unis omnium maxime invisis, esse subjectos. Quamobrem desperati illi cum Deo conquerentes sese injuria fuisse repudiatos, hanc apud Christianos servitutem in primis reprehendent. Ex omnibus autem hominibus soli Christiani, quoadusque gratia sanctificante sunt praediti, ac in ea decedunt, sunt Dei creditores. Soli enim jus habent ad aeternam vitam, solique audituri sunt, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi* (2); nec Deus hoc regnum Sanguinis Filii sui pretio ipsis quaesitum ac debitum negare sine injustitia posset. Pergens itaque Dominus noster Jesus Christus eadem ratione interrogare Judaeos, Quis, inquit, est e populis Christianis, solis meis creditoribus, cujus potestati injuste vos improbeque tradiderim? Quum nihil fecerim, nisi quod Prophetis ante revelavi, vestrum est, si jure accusare me



(1) Montald. pag. 27.

(2) Matth. XXV. 34.

vultis, e Prophetis testimonia proferre, quibus constet, injuste et improbe in hanc servitutem apud Christianos a me fuisse conjectos?

*Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in praevaricationibus vestris Mater vestra dimissa est!*

Quae verba expresse affirmant, Judaeorum gentem justo proboque repudio esse dimissam, ac venditam. Nam ut uxor quae continuis in virum et nunquam desinentibus injuriis, peccatis, iniquitatibus, praevaricationibus gravissime insurgeret, et capitali odio inflammata esset (quod certe majus quiddam est quam aliqua foeditas) juste probeque repudiabatur; ita Judaeorum gens *in iniquitatibus et praevaricationibus suis* deprehensa, *et in iis sua se vetustate consumens* (1), juste probeque repudiata est.

Sed non id solum Dominus noster Jesus Christus hoc loco asserit. Nam quum superioribus verbis Judaeos provocaverit ad proferendos e Prophetis repudii libellos, quibus constaret id quod querebantur, sese injuste ac improbe fuisse dimissos, provocaverit autem per interrogationem, quae vim habet negandi; negavit ergo ullos extare apud Prophetas hujusmodi libellos. Hic autem quum affirmet, Judaeorum gentem in suis iniquitatibus et praevaricationibus venditam esse repudioque dimissam; consequens ex ante dictis est, ut affirmet, esse apud Prophetas repudii libellos, e quibus constet, his ipsis de causis id illis accidisse.

Et vero praeter hunc ipsum Isaiae locum, qui nunc est in manibus, innumerabiles sunt in vaticiniis Prophetarum libelli Judaeorum repudii, quos infiniti esset operis huc omnes afferre; et quos quum habeant in manibus ipsi quoque Judaei, e quibus ad nos promanarunt, mirari non satis licet, quomodo

(1) Infra versu 9.

miseri sibi blandiantur, ajantque sese non esse repudiatos? Unum, et item alterum inspicere, legentes, opinor, non pigebit.

Quid? ullone unquam tempore luculentius fuit, quam post eversam a Romanis Hierosolymam, pulsosque Hadriani lege e patria terra Judaeos illud Dei ad Jeremiam dictum? *Non est anima mea ad populum istum: ejice illos a facie mea, et egrediantur. Quod si dixerint ad te: Quo egrediemur? dices ad eos; Haec dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem; et qui ad gladium, ad gladium; et qui ad famem, ad famem; et qui ad captivitatem, ad captivitatem ........ Divitias tuas, et thesauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis. Et adducam inimicos tuos de terra, quam nescis; quia ignis succensus est in furore meo: super vos ardebit* (1). Audiuntne *peccata sua* Judaei, ut hic *iniquitates et praevaricationes suas* ab Isaia? Putantne se *invenire gratiam ante oculos* Viri sui Dei, quum ipse Vir Deus *non esse animam suam* ad populum istum asseveret? An nondum sentiunt, se esse ejectos, egredique coactos? Nihilne apud ipsos valent mors, gladius, fames, captivitas? Nihilne direptae gratis divitiae, expilatique thesauri in omnibus ipsorum terminis? Nihil hostes ab ignotis olim ipsis terris adducti? Nihil hic continenter ardens super eos ferme a viginti seculis ignis furoris Dei viri sui? Audent certe negare, se esse repudiatos, quasi haec tot, tanta, tam diuturna nihil sint; aut, ut summum, leves quaedam sint castigationes viri, qui uxori quidem succenseat, sed eam non repudiet: qui, si repudiare volet, quid, quaeso, facere amplius poterit?

Alter locus quem polliciti sumus, e quo constat, Judaeorum gentem repudiatam esse, hoc libentius duabus de causis



(1) Jer. XV. 1. 2. 13. 14.

huc afferretur, tum quia non admodum est cognitus, et *Sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare, et confiteri honorificum* (1); tum quia non modo Judaeae gentis diuturnum hoc repudium eo late et copiose descriptum est in omnibus suis partibus, verum etiam hoc ipsis eventurum fuisse praedictum est quo tempore toti multi Populi primas acciperent misericordias Domini de Fide sua Davidi juratas, et postquam Judaei, effecti e servis inimici Dei, summo ipsorum opprobrio Messiam crucifixissent. Vaticinium Aethanis est, atque in Psalmis extat, et alibi a nobis est explicatum (2). Sic igitur Deum Aethan alloquitur.

*Sed tu deseres, ac reprobabis, irascere Populo Uncti tui* (3), *detestabere Foedus servi tui* (4), *profanabis humi Consecrationem ejus* (5), *omnia ejus moenia perrumpes, munitio nes illius consternatas efficies, eum quotquot per viam transierit depraedabuntur, vicinis suis erit opprobrio, dexteram hostium illius extolles, omnes ejus inimicos laetissimos facies. Praeterea gladii ejus aciem retundes, nec ut in bello consistat sines, nitorem ejus extingues, illiusque solium in terram dejicies. Dies demetes adolescentiae illius, ignominiam super eum obduces!*

*Quousque, Domine, firmissime celabere, velut ignis furor tuus ardebit? Egone quidquam temporis commemorem, super quo frustra creasti omnes filios Adami?* (6) *Ecquisnam robore*

(1) Tob. XII. 7.

(2) De Apol. Cathol. Rel. Cap. IX.

(3) Populo Davidis regis jussu tuo inuncti; qui populus Hebraeus sine dubio est. Aethan autem aequalis fuit temporum Davidis.

(4) Ejusdem populi Hebraei, quorum peculiare Foedus lex Mosis fuit, excepta parte moralium praeceptorum, quae sunt *Foedus sempiternum* omnium populorum. Vid. Is. Cap. XXIV.

(5) Sacerdotium ipsius populi, homines scilicet separatos a reliquis, et ad Dei cultum segregatos, Levitici generis.

(6) Scilicet, egone quidquam temporis commemorem, quo Judaei gravissimum hoc furoris tui pondus sustinere debebunt, quum tempus tam diuturnum sit, ut ad illud aequandum frustra sit vita cujuscumque filiorum Adami, illius etiam qui diutissime omnium vixit Mathusalae?

*fretus vivet, ac mortem non videbit, animam suam a potestate sepulchri liberabit?*

*Ubinam misericordias tuas priores, Domine, jurasti Davidi de Fide tua? Commemoremne, Domine, opprobrium servorum tuorum?* (1). *Afferamne ego in sinum meum totos multos Populos, quando probro affecerint Inimici tui, Domine, quando probro affecerint extremitates tui Messiae?* (2).

Perpendant et meditentur singula Judaei quae hoc terribili vaticinio praedicebantur, conferantque cum historia rerum, quas ab ortu Christi ad hanc usque memoriam et ipsi egerunt, et ab aliis perpessi sunt. Et quum ab omnibus orbis partibus audiant *totos multos Populos* gratias agentes Deo, quod *primas ipsius misericordias de Fide sua Davidi juratas* non Judaei, verum ipsi acceperint, quae misericordiae commemorari a Propheta non potuerunt, nisi una *commemoraretur opprobrium Judaeorum*, *quando probro affecissent extremitates Messiae*, illum scilicet crucifixissent; illud tandem statuant, utrum dicendum sit, vaticinium dudum esse completum; an alius adhuc expectandus sit Messias, isque verus, ab ipsis crucifigendus, aliud exspectandum verum ipsorum opprobrium, aliique toti multi Populi vere sancti, justi, sapientes, Deoque cari, qui, Judaeis tunc, non modo, desertis, repudiatis, rejectis, reprobatis, iratum Deum habentibus, detestabili apud ipsum foedere, profanoque sacerdotio gloriantibus, depulsis a perruptis moenibus, direptis, despectis, victis, transfugis, obscuris, regno imperioque spoliatis, ab adolescentia demessis, ignominia ubique gentium obductis, atque in hoc statu tam diu mansuris, ut Mathusalae ipsius vita frustra sit ad tempus aequandum;

(1) Judaeorum.

(2) Quando Judaei e servis tuis inimici effecti ignominiosae cruci clavis confixerint manus et pedes Jesu Messiae Filii tui a te ad illos missi?

primas Dei misericordias de Fide sua Davidi juratas sint accepturi. Quae quum a communi omnium sensu tantum abhorreant, ut ne pecudes quidem ipsae, si loqui possint, dicturae sint; fateantur tandem Judaei, se esse repudiatos, atque hoc illis justissime accidisse, postquam occiso Deo Dominoque Jesu Messia, illius fidem miserrime respuerunt. Quae summa certe iniquitas est, summaque praevaricatio, et omni odio repudioque dignissima.

Sed Kimchius justam habere se causam putat negandi Judaeos repudiatos esse, quia Deus aliquando illos sit revocaturus; quod facere viro qui uxorem repudiasset nullo modo licebat. *Quumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam in uxorem* (1).

Ac Judaeos aliquando non solum in ipsorum regnum, quod Kimchius existimat, sed etiam ad Deum Dominumque Jesum revocandos esse, et augustum ipsius Truncum ita celebraturos, ut primo vaticinio fecisse Davidem vidimus; verissimum quidem est. Sed Kimchii ratio praeterquam quod et huic ipsi loco Isaiae, quo expresse Judaei repudiati esse dicuntur, et aliis propemodum innumerabilibus Prophetarum testimoniis plane contraria est, hoc etiam maxime peccat, quod humana transferens ad Deum, repudia Dei metitur repudiis hominum; quum longe alia sit horum atque illorum ratio. Ut ecce: repudiata uxor nubere alii viro poterat: num etiam repudiata natio alium sibi deum poterit eligere? Non poterit certe. Tamen siquis repudiatam esse neget, quia id ipsi non liceat; ridiculus, ne dicam stultus, habebitur. Magnum ergo discrimen est, neque hac sola de causa, inter utrumque repudium. Ab eo autem

(1) Deuter. XXIV. 2.

quod maxime est dissimile, non recte ducitur argumentum, quasi simile sit.

Unus est in utroque repudio similitudini locus, isque in eo positus est, ut quemadmodum vir et foemina inter quos repudium fuerit, maritus et uxor fuerint necesse est, postea vero, etsi ambo sint superstites, maritus uxorque amplius non sint oportet: sic natio quam Deus repudiaverit, antea populus ipsius sanctus esse debuerit, postea talis non esse debeat. Sola enim est sanctitas, quae Deum hominesque conjungit. Quae si ab hominibus abfuerit, cetera quidem vincula manebunt quae illis sunt cum Deo quamplurima; ipsa illa societas conjunctioque animorum inter Deum et homines, quae propter incredibilem suavitatem connubio comparata est, funditus interierit.

Solo igitur eo quod diximus, Dei hominumque repudia similia sunt: cetera omnia ita dissimilia, ut nihil magis. Nam si repudiator uxorem recipere iterum velit, eaque recipi desideret, velit, obsecret; nunquid denuo conjungi poterunt? Minime gentium: lege enim vetitum erat; et ne illud quidem ipsum cupere, velle, obsecrare, aut quovis modo conari licebit. Sed Deus repudiatam gentem denuo recipere paratus semper promtusque est; nihilque vehementius optat, quam ut ipsa redeat, ut recipi desideret, ut velit, ut postulet, ut obsecret. *Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta, et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis! Tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te* (1). Cujus quidem summae benignitatis ea causa est, quod Deus nationes nunquam nisi propter gravissima peccata, et obstinatam in iis voluntatem perfidiamque repudiat: quo modo e veteribus populis Judaei, e recentibus

(1) Jer. III. 1.

Haeretici, Schismaticique sunt repudiati. Sed divina repudia non delent eam voluntatem, qua, *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat* (1). Itaque *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* (2). Quod si universa fecerit natio, repudium omne tolletur, et redeuntem ad Deum Virum suum Vir ipse laetissimus excipiet, amplectetur, alet, fovebit, inenarrabili prosequetur amore. Harum rerum quid habent simile humana repudia, quae quum fiebant, auferebant omnem redeundi ad pristinos conjugales amores tum potestatem, tum voluntatem? Quamobrem si de humano repudio quaereretur, rectissime dixisset Kimchius, non fuisse repudium, ubi de voluntate constaret viri uxorem in domum suam reducendi. Sed quum de repudiis disseritur a Deo factis, ab ea voluntate colligere non fuisse repudium, error est hominis non satis ab humanis divina distinguentis, et humanis divina ipsa metientis. Sit igitur certum, Judaeos, etsi ad Deum Virum olim suum, nunc nostrum, aliquando sint redituri, et veteres sedes suas occupaturi, repudiatos esse.

Ac ne cui videatur propter eam quam diximus Dei voluntatem recipiendi gentem quam repudiaverit, si ad ipsum redeat, non recte dici repudium; audiatur quid Deus ipse dicat de duabus gentibus Israelitica, et Judaea. *Vidit praevaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod moechata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii; et non timuit praevaricatrix Juda soror ejus, sed abiit, et fornicata est etiam ipsa ...... Et dixit Dominus ad me: Justificavit animam suam aversatrix Israel comparatione praevaricatricis Judae. Vade, et clama sermones istos contra aquilonem, et dices: Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus,*

(1) Ezech. XXXII. 11. (2) Ibidem 12.

*et non avertam faciem meam a vobis: quia Sanctus ego sum, et non irascar in perpetuum* (1). Videsne expresse repudium dici, et voluntatem recipiendi repudiatam declarari, et repudia divina non esse, ut humana, natura sua perpetua?

Sed Kimchii errorem nemo fortasse Kimchio ipso melius evertit. Nam is repudiatos fuisse Israelitas confitetur, Judaeos negat; utrosque tamen in regnum reducendos esse tuetur. Quod si per ipsum reditus Israelitarum non impedit, quominus repudiati sint, cur Judaeorum reditus impedit? Diuturnius, inquit, Israelitarum quam Judaeorum exsilium fuerit: idcirco Israelitarum exsilium dici repudium poterit, Judaeorum non item (2). Esto: diuturnius fuerit: non enim id nunc quaerendum est. Quid hoc ad repudii naturam? Nam si foeminae duae repudiatae fuerint, quarum altera biduum aut triduum, altera decennium vixerit postquam dimissa fuit; nunquid haec propter decennium repudiata dicetur; illa propter triduum non repudiata? Quasi repudium egeat temporis, ut dici tale possit, nec sit id quod est, statim atque perfectum fuit. Valeant igitur hae Kimchii hallucinationes, certumque sit, Judaeos *in iniquitatibus suis a Deo venditos esse, in praevaricationibus suis a Deo repudio dimissos*. Nos vero ad reliquam Domini Jesu Christi orationem pergamus.

## II.

2 *Cur veni, et nemo adest, vocavi, et nemo respondet?*

Cur veni, et ex quo veni nemo vestrum mihi adest; vocavi et continenter ad me vos voco, nemoque mihi respondet? Nonne oportet semper adesse Deo suo, illique omni studio parere populum qui ab eo suis iniquitatibus et praevaricationibus non discesserit? Sed ex quo veni, etsi omni tempore ad hanc

r

(1) Jerem. III. 8. 11. 12.

(2) E Kimch. loc. cit.

usque memoriam, omnibusque modis vocare non desierim, tamen nemo vestrum mihi Deo Dominoque vestro adest, nemo respondet. Quidquamne igitur esse manifestius potest, quam Gentem vestram suis iniquitatibus et praevaricationibus a me discessisse, eandemque in illis obstinatissime obdurare? Tum erit qui dicet, injuste ac improbe a me repudio dimissam ac venditam? Ita Dominus noster confirmat quod superiori parte asseveravit, Judaeos in suis iniquitatibus ac praevaricationibus, hoc est justissime fuisse repudiatos ac venditos.

*Cur?* מַדּוּעַ, Quare? . . . . . *Usus ejus est, quum causam alicujus rei scire, et cognoscere cupimus*, inquit Montaldus (1): quod hoc loco fit. Nam Dominus Judaeos dicere jubet, quae causa sit, cur nemo illorum ipsi ex quo venit adsit, vocantique respondeat, utrum scilicet id oriatur a Dei, an ab ipsorum injustitia et improbitate? Septuaginta quoque cum interrogatione interpretantur, τί ὅτι ἦλθον, *quid est quod veni?* itemque reliqui interpretes; a qua Vulgatus abstinuit. Verbum substantivum de more supplendum est, sed compositum *adest*; quod fit non raro. Pagninus supplet praeterito tempore *adfuit*, referens tantum ad tempus, quo Dominus noster in terris apud Judaeos fuit.

*An* quadam *imminutione potestas mea imminuta est post redemtionem? aut nullane in me virtus* est *liberandi?*

Ego post peractam a me hominum redemtionem ille ipse Dominus יהוה sum, qui ante illam fui. Sed ante redemtionem Gens vestra me sequendum esse docebat, me omnipotentem, me liberatorem suum jure appellabat. Cur non eadem post redemtionem facit? An potestas mea post redemtionem imminuta est? aut nullane post redemtionem est in me liberandi virtus?

(1) Pag. 422.

Hoc loco nominatur expresse *redemtio*, cujus de oeconomia, hinc ducta occasione, infra parte quarta disseritur; quod diligenter animadvertendum est, ut totius orationis unitas dispositioque singularis perspici possit; quum utramque pervertere ac pessumdare Judaei satis indigne conentur. Locum in editione Vulgata sic legimus: *Nunquid abbreviata, et parvula facta est manus mea, ut non possit redimere? aut non est in me virtus ad liberandum?* Qui formas ipsas hebraei sermonis exprimere voluerunt, interpretati sunt, *Nunquid abbreviando se abbreviata est manus mea?* (1). Utrobique autem apud Prophetam est verbum קָצֵר, quod *junctum cum nomine* יָד, *manus, indicat abbreviationem, et imminutionem potentiae agendi*, inquit Montaldus (2). Quamobrem non est dubitandum quin sententia sit, *An quadam imminutione potestas mea imminuta est?*

Sequitur apud Prophetam מִפְּדוּת *mippeduth*, *a redemtione*, hoc est *post redemtionem*. Litera enim *Mem* nominibus praefixa interdum *negationem, vel privationem notat*, atque *redditur per ut non, ne* (3); qua significatione Vulgatus, aliique verterunt, *ut non possit redimere*, Pagninus *ut non redimat*: interdum significat *post* (4); quae nobis aptissima omnium visa est significatio, quam ordo contextusque orationis postularet. Munsterus quoque *a redemtione* interpretatus est; itemque hoc ipsum hujus loci cum praefixo nomen Montaldus (5). Sic igitur puris, probatis, cognitis verborum significationibus severissime adhibitis, praeclarissima sententia extat, *An quadam imminutione potestas mea imminuta est post redemtionem?* Quae collata ad ea quae parte quarta dicuntur, quanti sint momenti, Theologi intelligent.



(1) Synops. Crit. hic.
(2) Pag. 1297.
(3) Mont. pag. 616.
(4) Idem pag. 617.
(5) Pag. 1055.

*Ecce increpatione mea mare siccaturus sum, fluvios desertos facturus: putrescet Piscis eorum aquarum inopia, sitique morietur.*

Dominus noster Jesus Christus ostensurus contra Judaeos, potestatem suam post redemtionem non esse imminutam, habereque se virtutem liberandi, quae duo superioribus verbis asseruit, commemorat quasdam maximarum rerum, quas adventu suo ad interimendum Antichristum, convertendosque Judaeos ipsos, liberandosque ab immani illius Belluae tyrannide Christianos Prophetae praedixerunt, eum esse facturum. Longum esset vaticinia quae hisce de rebus extant, hoc loco persequi copiose, quorum nonnulla hoc etiam libro declarabuntur, quaedam alibi explicata sunt. Sed quae necessaria erunt ad hunc locum intelligendum, paucis attingemus.

Principio igitur animadvertendum est, *Mare* a Prophetis dici tumultuantem ubique gentium impiorum hominum multitudinem nullo stabili justoque imperio cohibitam; eademque ratione *flumina* dici singulares populos illa ipsa impietate agitatos, juxta illud Isaiae, *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest* (1).

Idcirco antichristianum totius orbis imperium, a septem sibi succedentibus viris habendum (quorum postremus bis regnaturus, ideoque sextus et octavus princeps, ille ipse erit qui proprie et antonomastice Antichristus est dictus), illud ergo imperium eo tempore oriturum, quo incredibilis impietas ubique terrarum maxime furet ac debacchabitur, descriptum in similitudinem *Bestiae* de *Mari* ascendere dicitur. *Et vidi de Mari Bestiam ascendentem, habentem capita septem* (2).

Sed hoc *Mare* Dominus noster Jesus Christus adventu suo siccaturus est, fluviosque desertos facturus impiis ipsis maxima

(1) Is. LVII. 20.

(2) Apoc. XIII. 1.

ex parte profligatis atque deletis, reliquis ad pietatem adductis. Tunc enim et illud vaticinium implendum est, *Non nocebunt, et non occident in universo Monte Sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes* (1). Quod quidem insaniens ac furens impiorum mare si cum Dei potestate comparetur, vitreum est et maxime fragile; et qua ratione siccandum sit, Davides quoque praedixit his verbis: *Pluet* a Domino *super Improbos laqueis, igni, et sulphure, et ventus procellosissimus pars erit poculi eorum* (2). Quamobrem Joannes illud hac ratione siccatum a venturo Domino contuens; *Vidi*, inquit, *tanquam Mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerant Bestiam* (3), *et Imaginem ejus* (4), *et numerum Nominis ejus, stantes super Mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei* (5), *et canticum Agni, dicentes: Magna, et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justae, et verae sunt viae tuae, Rex seculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes Gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.* (6). Iisdemque de rebus Aethan Ezrahita vaticinans, et Dominum alloquens, *Tu*, inquit, *in Aequoris tumorem dominaris; Tu, quum fluctus attollet suos, eos compesces; Tu confringes, ut Confossum* (7), *superbum* (8): *roboris brachio tui hostes disperdes tuos*. (9)....

(1) Is. XI. 9.

(2) Psalm. XI. De Apol. Cap. XIX.

(3) Antichristum.

(4) Adorandam ipsius Antichristi jussu. Vide Apocalypsim.

(5) Cantatum olim post transitum maris rubri; quae res figurae fuerunt harum quae Antichristi tempore fient.

(6) Apocal. XV. 2. seqq.

(7) Antichristum, letali vulnere sauciandum, sed sanandum a Daemone.

(8) Antichristi Pseudoprophetam, et summum novae illius superstitionis et idololatriae sacerdotem, superbia maxime insignem. De his vide Apocalypsin.

(9) Psalm. LXXXIX. De Apol. Cap. IX.

Haec dixisse sufficiat, ut illa verba intelligantur, *Ecce increpatione mea mare siccaturus sum, fluvios desertos facturus.* Quae sequuntur, *Putrescet Piscis eorum aquarum inopia, sitique morietur*, nullo negotio intelliguntur. Nam quum *mare*, *et flumina*, juxta Prophetas, sint impiorum multitudines; qualem esse oportet eorum marium et fluviorum *Piscem*, nisi *adversarium nostrum Diabolum, qui tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui fortiter in fide resistendum est*; quam fidem impii horum temporum, de quibus loquimur, ex orbe paene depulerint? Nam ipse Dominus Jesus alibi de his ipsis temporibus futuroque adventu suo loquens, *Veruntamen*, inquit, *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* (1). Ex quo intelligitur quam late ac spatiose hoc toto im-

(1) Luc. XVIII. 8.

Varias habet hic locus praesertim a recentioribus explicationes, quas Calmetus ingeniosiores esse quam veriores ait: qua sane laude ne illam quidem indignam esse arbitrarer quam ipse ceteris praetulit. Nos plurium, et antiquissimorum Patrum explicationem sequimur. Sic Auctor Constitutionum Apostolicarum, qui seculo tertio floruit. *Fugite ergo communionem Haereticorum, et ne faciatis pacem cum illis . . . . Hi enim sunt occulti lupi, canes muti non valentes latrare, qui nunc quidem pauci sunt, procedente vero tempore, et Mundi consummatione appropinquante, plures ac molestiores erunt. De quibus Dominus ajebat:* Putas, Filius hominis, veniens, inveniet fidem in terra? *Et* quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Et venient Pseudochristi, et Pseudoprophetae, et dabunt signa in caelo et terra, ita ut, si fieri potest, etiam electi decipiantur: *a quorum fraude eripiet nos Deus per Iesum Christum spem nostram.* Bibl. PP. Tom. III. pag. 257. B.

Eodem seculo S. Pamphilus martyr in Apologia pro Origene. *Multitudinem siquidem peccatorum futuram* (Scriptura) *novit, quo tempore interibit Mundus: quod ex his attente consideratis perspicuum est:* Veruntamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? *et quemadmodum apud Matthaeum ita expressum invenimus:* Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. *Bibl. PP. Tom. IV. pag. 38. D.*

Et D. Hieronymus, *Si consideremus*, inquit, *statum in quo modo sunt Judaei, et comparemus illum antiquae felicitati, videbimus quo pacto contritus sit grex Domini. Fuit quippe aliquando hic grex Domini, et quia indignos se judicaverunt salute, conversus est sermo Domini ad Gentes. Si ergo grex ille contritus est, nos oleaster, qui contra natu-*

piorum mari fluminibusque Diabolus omnesque illius legiones debacchabuntur; non secus atque veri in aequore fluviisque pisces, e quibus ducta est similitudo.

Quomodo ergo *putrescet ille Piscis aquarum inopia, sitique morietur?* Res est manifesta vel ex iis quae diximus. Nam si post caesum a Domino Jesu Antichristum excisosque omnes impios, nulli homines hominibus nocebunt, nulli quemquam occident, quia repleta erit terra Scientia Domini, sicut aquae maris operientes, ut paulo ante de Isaia cognitum est; oportebit ut Diabolus ab eo tempore non circumeat quaerens quem devoret, nec Gentes seducat. Devorabit enim atque seducet, nocebunt, et occident, si circumire poterit. Sed hoc ipsum, praeter veteres Prophetas, quorum uti testimoniis hic nequeo, ne nimis prolixus sim, Joannes in Apocalypsi praedixit. Hic enim Antichristi et impiorum clade copiose luculenteque descripta (1), *Et vidi*, inquit, *Angelum descendentem de caelo*,

*ram inserti sumus in bonam olivam Patriarcharum, nonne plus debemus vereri, ut et iste grex Domini conteratur? Futurum quippe est ut aliquando et iste grex conteratur, juxta illud quod a Salvatore dictum est,* Quum multiplicatae fuerint iniquitates, tunc refrigescet caritas multorum: *de quibus enim hoc dicitur, refrigescet caritas multorum? nonne de his qui nuncupantur Christiani? de quibus hic sermo est:* Veruntamen veniens Filius hominis, putas inveniet fidem super terram? *nonne de nobis?* Hieronym. Hom. IX. in Jerem. circa fin.

Et idem alibi: *Tantaque incredulitas in universo humano genere futura est, ut Salvator noster (qui omnia quae sunt ventura cognoverat) loqueretur,* Putas, veniens Filius hominis inveniet fidem super terram? *Hom. XIV. in Jerem. circa med.*

Ea certe explicatio viris sanctissimis semper placuit, quorum postremus, qui mihi quidem occurrat, Dionysius Carthusianus eadem verba enarrans, *Tanquam dicat*, inquit, *Quamvis Deus sic zeletur pro suis electis, attamen Christus veniens ad judicium, seu ad faciendam electorum vindictam, paucos comparative loquendo inveniet vere fideles, qui fide formata, et fidelitate justitiae sint fideles. Multi enim vocati, pauci vero electi.* Carth. in Ev. Luc. Art. XLI.

Nimirum tempus est illius ἀποστασίας, quam sub adventum Domini ad Antichristum interimendum futuram esse praedixit Apostolus. *II. Thess. II.* 3.

(1) Apocal. XIX.

*habentem clavem Abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit Draconem, Serpentem antiquum* (1), *qui est Diabolus, et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in Abyssum; et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius Gentes donec consummentur mille anni: et post haec oportet illum solvi modico tempore* (2). Is igitur cum reliquis suis praevaricatoribus Angelis comprehensus, ligatus, in Abyssum detrusus, clausus, signatus ut non seducat amplius Gentes, vagari certe spatiarique per populos ut eos seducat, ut antea, non poterit; quod qui ejus ingenium norunt, ii sentient quam vehementer sitiet. Populi autem a Prophetis *aquarum* nomine designantur, *marium*, *fluminum*, ut vidimus, atque ut Joannes ipse declarat: *Aquae, quas vidisti, ubi Meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguae* (3). In eo itaque statu locoque Daemon quum futurus sit, quotus quisque non intelligit, quantopere *putrescet aquarum inopia, sitique morietur?*

Scio loco Joannis, ubi mille anni commemorantur, Papiam atque Cerinthum abusos esse, ab iisque fluxisse Millenariorum errorem; quem quum Apollinaris seculo quarto renovare conaretur, Damasus I. Pontifex Maximus haeresim esse pronunciavit. Qualis esset Cerinthi, qualis Papiae error, qualis denique nostra sit de mille annis sententia, paucis hoc loco explicandum est; nequis putet, nos ab Ecclesiae judicio discedere, cujus fides nostra fides est, cum qua damnamus quidquid ipsa damnavit, et *licet Angelus de caelo evangelizet nobis praeterquam quod evangelizatum ab ipsa est, anathema sit* (4).

Cerinthus igitur *Docebat, regnum Christi per mille annos, post Resurrectionem carnis humanae, terrestre futurum: et*

(1) Eum scilicet qui decepit Hevam.
(2) Apocal. XX. 1. 2. 3.
(3) Apocal. XVII. 15.
(4) Gal. I. 8.

*toto illo tempore carnales voluptates, et omnia libidinum portenta esse in illo regno exercenda; imo et in posterum, mille istis annis evolutis, futuras in illo regno carnis delicias, atque in illis sitam esse beatitudinem ...... Papias vero asseruit, Christum mille annis hic in terra cum Sanctis post Resurrectionem regnaturum simpliciter in deliciis, sed talibus, quae Sanctorum populum, Christique amicos decerent* (1).

Haec Cerinthus, Papias, et Millenari: contra quos Prophetarum testimoniis demonstrari posse censemus. Neque ante, neque post resurrectionem carnis ullum unquam fore terrestre Dei Dominique nostri Jesu Christi regnum, in quo ipse praesens, visibilis, conspicuusque omnibus sit regnaturus. Mille autem annos, quorum illi initium post hominum resurrectionem posuerunt, decem seculis amplius ante ipsam esse coepturos, statimque a caeso Antichristo; a quo ipso tempore incipere epocham conversionis Judaeorum, et omnium Gentium. Quas vero delicias somniabat Papias (nam de Cerinthi impudicitiis et obscoenitatibus ne dicendum quidem est) a beatis Comprehensoribus cum Christo in terris perfruendas esse, puras illas quidem ipsisque dignas; eas ab hominibus Viatoribus, sedente ad dexteram Patris Domino Jesu Christo, esse possidendas; neque in iis, multoque minus in Cerinthi flagitiis, beatitudinem esse positam, ab intuitiva Dei dumtaxat visione orituram. Illas autem Viatorum delicias inde profecturas esse, quod ab eo tempore et una futura sit omnium prorsus hominum Fides atque Religio, haec ipsa scilicet quam profitemur christiana atque catholica; unum Ovile, haec ipsa nimirum una, sancta, catholica, et apostolica ex omnibus prorsus Gentibus conflata Ec-

S

(1) Franciscus Van-Ranstius in Hist. Haeret. et Haeres. seculo IV. Sed videndus est maxime Hieronymus multis illis in locis, in quibus Millenarios tam Judaeos quam Christianos irrisit ac carpsit.

clesia; unus in terris quidem visibilis totius Ecclesiae Pastor, ipse Romanus Pontifex; in caelis autem nobisque, ut nunc, invisibilis, ipse Deus et Dominus noster Jesus Christus; et omnes homines incredibili paene gratiarum copia cumulati justissimi sanctissimique futuri sint: atque idcirco pacem ubique terrarum nullis turbandam seditionibus aut bellis suavissimam ac opulentissimam regnaturam. Hunc optimum et peroptandum divinarum et humanarum rerum statum, quem Prophetae *Nuptias Agni* nominant, mille annos ipsos, neque amplius, duraturum esse; quibus exactis, omnia denuo divina humanaque turbatum atque permistum iri, exceptisque Judaeis tunc temporis omnium populorum sanctissimis, reliquas omnes Gentes ad impietatem et odium religionis Gogico bello redituras; quas turbas brevi omnium hominum interitus, eorundem resurrectio, et universale judicium consequetur.

Haec e Prophetis quos ipsa evangelizavit Ecclesia, demonstrari posse censemus, ut diximus; quorum magnam partem in libris de Chronologia Prophetica persequemur, si Deus dederit ut perficere possimus. Quae quantum contraria sint, abhorreantque a Papiae, Cerinthi, aliorumque Millenariorum erroribus, quantumque cum illa ipsa haeresi adversis pugnent frontibus, neminem fore arbitror tam hebetem qui non intelligat. Sed jam redeamus in viam, a qua nos quorundam hominum imperitorum inscita exilitas deflectere coegit longius.

3 *Caelos atrore induturus sum, et saccum facturus operimentum eorum.*

Quid hoc sit quod Dominus noster se facturum ait, Zacharias docet. Is enim illius adventum ad perdendum Antichristum ejusque commilitones ita describit: *Egredietur autem Dominus atque pugnabit cum Gentibus illis, utpote tempus pugnae suae, praelii die. Ac stabunt pedes ejus die illa supra Montem olivarum, ad prospectum Hierosolymae ab oriente;*

*scindeturque Mons olivarum de media sui parte orientem et mare versus valle magna valde; et recedet media pars Montis septemtrionem versus, mediaque pars ejusdem meridiem versus. Fugietis vero vallem Montis mei, quum tanget vallem montium ad propinquum; et fugietis quemadmodum fugistis e loco terraemotus diebus Oziae regis Judae; ac veniet Dominus Deus meus: omnes Sancti tecum erunt!*

*Erit autem illa die: Non erit lux splendorum, et condensationis. Sed erit dies una (ea agnoscetur Domini!) non dies, neque nox; sed lux ad tempus erit vespertinum* (1).

Hinc ergo intelligitur quomodo Dominus noster *caelos atrore induturus sit*. Illa enim ipsa die qua veniet ad perdendam teterrimam illam Belluam, impiosque illius commilitones, atque cultores, non sol, non luna, non stellae, non fulgura suam ostendent lucem; sed tacitae ubique terrarum et subobscurae tenebrae incertum facient, diesne an nox sit, ut Propheta docet expresse: natura ipsa moerente tantam flagitiosissimorum hominum pestem, et quasi fugiente illorum conspectum, et poscente ut Is properet qui *armabit creaturam ad ultionem inimicorum, ut cum illo pugnet orbis terrarum contra insensatos* (2): qui sub vesperam illius diei splendidissima coruscus luce solem ipsum vincente, comitantibus omnibus Sanctis veniet (3).

Sed antequam veniat, eadem natura illo die, atque eo apparatu quem diximus, moestissime ostendet, se totam in luctu et summo dolore versari. Quae res non ab aliquo sensu qui mutis et inanimis insit rebus proficiscetur, verum ab ipso Deo Dominoque Jesu parabitur. Idcirco ad superiora illa verba *Cae-*

S 2

(1) Zachar. XIV. 3. seqq. Sed vide in Apol. Cap. XXII., ubi obscura illustrantur.

(2) Sap. V. 18. 21.

(3) Vid. Psalm. LXXXIV. De Apol. Cathol. Rel. Cap. XVIII.

*los atrore induturus sum*, haec addit, *et saccum facturus operimentum eorum*. Saccus enim apud veteres quoddam erat vestimenti genus crassius, et durius, quo in luctu et moerore utebantur.

Atque ut tandem hujus partis vaticinii declarationem concludamus, quum Dominus Jesus ostendere Judaeis dignetur, imminutam non esse post redemtionem potestatem suam, sibique virtutem esse liberandi, e plurimis quae facturum esse praedictum est, quaeque summam et divinam ipsius potentiam manifestant, tria potissimum commemoravit: excisionem omnium prorsus hostium inimicorumque suorum quo die ad animadvertendum in Antichristum, liberandosque Christianos suos, et reliquos omnes homines convertendos venturus est: coercitionem omnium Daemonum longe majorem quam impraesentiarum sit, adeo ut per admodum diuturnum tempus nullae ab ipsis Gentes debeant esse seductae, quum etiamnum tot tantaeque sint in quas miserrime dominantur: Solis, lunae, siderum, totiusque atmosphaerae terrestris admirabilem quandam per unum diem obscuritatem, qui dies lucem vespertino sit tempore habiturus. Haec quum facturus sit permultis seculis post peractum ab ipso redemtionis opus, non solum post illud non esse imminutam illius potestatem, aut liberandi virtutem illi non deesse; verum etiam omnia ipsum posse in terra, in inferno, in caelo demonstrant, atque hac potestate uti potissimum ad liberandum.

Quod autem est maxime animadvertendum, illud est, Dominum nostrum Jesum haec dicere tanquam a Prophetis dudum jam praedicta, et ea quae Judaei ab eorundem libris possint discere. Quae res occasionem illi praebet loquendi de Prophetis ipsis tertia quae sequitur orationis parte; declarandique Judaeis, Prophetas propter ipsum a Deo fuisse missos, institutos, edoctos; explicandique quanta id Deus cura quantoque amore praestiterit.

III.

4 *Adonai, Dominus dedit pro me linguam Edoctorum, ad scientiam tempestive loquendi cum lasso sermonem: excitavit mane, mane excitavit pro me aurem ad audiendum, instar eorum qui edocentur.*

Adonai, Dominus dedit pro me linguam, sermonem scilicet, Prophetarum: quo sensu arbitror intelligendam esse Vulgati interpretis sententiam, *Dominus dedit mihi linguam eruditam*. Nam illud *mihi*, לִי dativus est commodi, ut ajunt, idem atque *pro me*. Lingua vero, seu sermo eruditus, a Deo proficiscens, et futura praenuncians, est lingua sermove propheticus. Quamobrem clariorem sententiam habebimus, si hebraica ita ut jacent interpretemur *Linguam Edoctorum* (1), hoc est Prophetarum Θεοδιδάκτων, *a Deo edoctorum*, quales oportet esse illos quorum linguam sermonemve dederit Deus.

*Ad scientiam tempestive loquendi cum lasso sermonem.*

Finis est, non quidem solus, propter quem *Adonai, Dominus pro Domino* Jesu dedit sermonem propheticum, nempe ut esset scientia tempestive illum loquendi cum quolibet lasso Judaeo, et longa illa sua expectatione Messiae defatigato, jamque in desperationem, et in blasphemias proruente, ut in argumento dictum est.

Hic quoque hebraica ut jacent clariora sunt. Nullum enim in eis est primae personae pronomen, quod pro *ad scientiam* interpretari cogat *ut sciam*. Nec tamen aberrat a sententia Vulgatus qui convertit *ut sciam*. Facit enim ipse Dominus quae per servos suos facit.

Sed Judaei doctores haec stricte, ut par est, non interpretantes pessumdant hunc locum, ajuntque ab illis verbis *Ado-*

(1) לְשׁוֹן לִמּוּדִים

*nai*, *Dominus* jam non loqui Dominum, ut ante, sed Isaiam. Et quum nulla historia referat, Isaiam passum esse quae paulo post commemorantur, contenti sunt dicere, probabile esse, illum talia fuisse perpessum (1). Ita quum in iis quae passus est is qui hanc totam orationem habet ad Judaeos, crux sit, et bis nominetur, ut mox videbimus; illud etiam oportebit ut posthac dicere incipiant esse probabile, Isaiam fuisse crucifixum. Quemvis enim in crucem agere parati erunt, modo non fateantur, Dominum suum, quem testibus Prophetis vere confixerunt cruci, a majoribus crucifixum fuisse.

*Excitavit mane, mane excitavit pro me aurem ad audiendum instar eorum qui edocentur.*

Adonai, Dominus excitavit aurem Prophetarum ad ipsum audiendum, more discipulorum, quos optimi parentes summo excitant mane, ut sese parent, atque accedant ad audiendos doctores suos. Quanto autem id studio, quantoque amore Dominus fecerit, declarat repetitio.

Hic quoque illud *pro me* לי dativus est commodi, pro me, propter me, mea causa: scilicet ut quandocumque, et a quibuscunque, et quovis modo impeterer, negarerque verus Deus esse, in Libris Prophetarum ineluctabilis extaret scientia quoslibet hostes meos refellendi et debellandi. *Non enim*, ut ait Athanasius, *propter Judaeos solos Lex fuit, nec propter illos solos Prophetae mittebantur: sed ad Judaeos quidem mittebantur, illosque insectabantur Judaei; totius autem terrarum orbis fuerunt gymnasium sacrum ejus scientiae quae est habenda de Deo, ejusque regiminis quod est circa animam instituendum* (2).

(1) Kimchius hic.

(2) Οὐδὲ γὰρ διὰ Ἰουδαίους μόνους ὁ νόμος ἦν, οὐδὲ δι᾽ αὐτοὺς μόνους οἱ προφῆται ἐπέμποντο· ἀλλὰ πρὸς Ἰουδαίους μὲν ἐπέμποντο, καὶ παρὰ Ἰουδαίων ἐδιώκοντο, πάσης δὲ τῆς οἰκουμένης ἦσαν διδασκαλεῖον ἱερὸν τῆς περὶ Θεοῦ γνώσεως, καὶ τῆς κατὰ τὴν ψυχὴν πολιτείας. *Athanas. De Incarn. Verb. Dei.*

Postremo animadvertere oportet, deinceps ab hoc loco quater haec duo Dei nomina jungi *Adonai*, *Jehovah*: et quum *Jehovah* sit is ipse qui loquitur, ut initio capitis cognitum est; videre licet hinc quoque tres unius Dei personas.

I V.

5 *Adonai, Dominus aperuit mihi aurem: ego vero non repugnavi, non me retrorsum averti.*

Quum Dominus noster Jesus peractam a se redemtionem supra commemorasset illis verbis, *An quadam imminutione potestas mea imminuta est post redemtionem?* hic ad explicandam ipsius redemtionis oeconomiam accedit. Quamobrem Judaeis redemtionis mysterium credere nolentibus declarat, sibi a Deo formam servi fuisse tributam, ut hac forma injurias, contumelias, ignominias, plagas, *crucem* pro redimendis hominibus subiret: sese vero haec omnia non repugnantem, sed volentem fortissime sustinuisse; atque harum rerum a se gestarum testem esse vaticiniis Deum.

Quod ergo attinet ad formam servi a Deo ipsi tributam, id ex illis verbis perspicuum est, *Adonai*, *Dominus aperuit mihi aurem*. Ubi illud *mihi* non est dativus commodi, ut supra. Nam ut in superioribus nullum est pronomen, nullumque verbum primae personae, quod efficiat ut verba *dedit mihi linguam* intelligi debeant de illo cui data sit, non autem de illo propter quem data sit; ita in sequentibus et ipsum primae personae pronomen *ego* expressum est, et omnia verba, suffixaque pronomina usque ad versum septimum septies solam primam significant personam. Ex quo fit, ut in verbis *aperuit mihi aurem*, illud *mihi* esse dativus commodi nullo modo possit, necessarioque demonstret personam ipsam cui aures apertae fuerint, non eam propter quam id factum sit. Quamobrem sermo de Prophetis superiori sectione prorsus absolutus est, neque

haec aurium reseratio ad revelationem propheticarum rerum quae alicui facta fuerit, ullo modo pertinet, ut Rabbini satis malitiose contendunt.

Quorsum igitur haec verba pertinent, *Adonai, Dominus aperuit mihi aurem?* Nempe ad institutum lege Mosis morem, quo Servi sese ultro perpetuae addicebant servituti. *Quod si dixerit Servus, diligo dominum meum .... non egrediar liber, offeret illum dominus diis, et applicabitur ad ostium, et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in seculum* (1). Est igitur sensus, *Adonai, Dominus fecit me Servum sibi*, atque ita sese infra nominat his verbis, *Quis erat in vobis qui Dominum timeret, qui vocem Servi ejus audiret quando incessit obscurus, ac nullum splendorem habebat?* (2).

*Ego vero non repugnavi, non me retrorsum averti.*

Nam Dominus noster Jesus *quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam Servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (3).

6 *Tergum meum permisi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non abscondi ab ignominiis, et sputo:*

Haec ab Evangeliis notissima sunt. *Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit* (4). *Omnes condemnaverunt, eum esse reum mortis. Et coeperunt quidam conspuere eum,*

(1) Exod. XXI. 5. 6.
(2) V. 10.
(3) Philipp. II. 6. 7. 8.
(4) Matth. XXVI. 65. seqq.

*et velare faciem ejus, et colaphis caedere, et dicere ei, Prophetiza: et ministri alapis eum caedebant* (1). *Assumsit autem Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.* (2). *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de Spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Aue rex Judaeorum, et dabant ei alapas* (3).

7 *Ac Adonai, Dominus mihi auxilio erit.*

Mihi Adonai, Dominus contra vos, Judaei, et quosvis alios Incredulos auxilio est eritque vaticiniis Prophetarum editis tot ante ortum meum seculis; quibus vaticiniis testatur, me et Deum esse, et Hominem ipsius Servum; Servique forma haec pro redemtione hominum passum esse. Quid? mihi haec ipsa totidem verbis hac oratione apud vos asserenti, nonne manifestissimo ac praeclarissimo suo vaticinio Deus auxilio est? Quis est enim qui non videat, hanc ipsam orationem ad vos meam vaticinium esse Isaïae prophetae, cui octo fere ante ortum meum seculis a Deo revelatum est?

*Contra Truncum non erubui, contra Truncum posui faciem meam tanquam silicem! et scio quod non pudefiam.*

En locum ubi crux bis nominata est, et ubi *Chen* non adverbium, sed nomen est *Truncum* significans. Sic enim vertendae sunt duae voculae עַל כֵּן *hal Chen*, *contra Truncum*, quarum prima *contra*, *coram*, e regione significat (4). Atque ut pateat quam necessario hanc interpretationem postulet ora-

t

(1) Marc. XIV. 64. 65.
(2) Luc. XVIII. 31. seqq.
(3) Joann. XIX. 1. seqq.
(4) Montald. pag. 966.

tio, repetantur quae Dominus noster hac parte dicere dignatur: *Adonai, Dominus aperuit mihi aurem: ego vero non repugnavi, non me retrorsum averti. Tergum meum permisi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non abscondi ab ignominiis et sputo: ac Adonai, Dominus mihi auxilio erit* (1). *Contra Truncum non erubui, contra Truncum posui faciem meam tanquam silicem!* Idest coram ipsa cruce, atque e regione illius, jam jam clavis ei configendus, et super illa ignominiosissime obiturus, pudore tantae ignominiae deterritus non sum, non repugnavi, non me retrorsum averti; sed incredibili constantia, mansuetudine, patientia posui faciem meam tanquam silicem. Ipsa quoque repetitio vocum *contra Truncum* ostendit majus quiddam commemorari, quam ea sint quae ante commemorantur. Sed post flagella, post alapas, post avulsam barbam, post ignominias, post sputa, quid majus praeter crucem commemorari poterat?

*Et scio quod non pudefiam*. Scio scilicet verissima esse quae dico, fierique non posse ut falsitatis arguar, atque hac de causa suffundi pudore debeam, ut illis accidit qui in manifesto mendacio sint deprehensi.

## V.

8 *Prope est qui me justum esse pronunciat: quis mecum concertaturus est? Stemus una: quis erit praeses judicii mei? ad me accedat.* 9 *Ecce Adonai, Dominus mihi auxilio erit: quis iste est qui me improbum est pronunciaturus?*

Commemoratis superiore parte quae ad redemtionis oeconomiam pertinebant, redit Dominus Jesus ad causam ipsam, aliisque argumentis ostendit, Judaeos injuste aut improbe ab ipso non fuisse dimissos.

(1) Vaticiniis suis, et maxime hoc ipso, testans me verissima dicere.

Quod ergo ait *prope est qui me justum esse pronunciat*, id pertinet ad hoc ipsum vaticinium, quo Deus his ipsis verbis pronunciat, atque hoc loco, illum esse justum. At Deus dum haec de me, Judaei, testatur, tam prope vos est quam est hoc ipsum vaticinium. Domi vestrae, in manibus, in ore ipso vestro est Deus haec de me asseverans atque testificans. Nam dum librum domi retinetis, dum in manus sumitis, dum vaticinium legitis, dum recitatis, dum torquetis, dum impugnatis; Deum me justum esse pronunciantem domi retinetis, Deum in manus sumitis, Deum legitis, Deum recitatis, Deum torquetis, Deum impugnatis. Quis igitur propius vos esse potest Deo me justum pronunciante, ista dum facitis?

Reliqua tam clara sunt, ut nullius egeant explicationis. In iis maxime animadvertenda est consueta Domini nostri mansuetudo atque benignitas, qui stare una cum adversariis suis ante tribunal cujusvis judicis paratus sit hanc causam cognituri, et ab adversariis ipsis eligendi.

*Qui me justum esse pronuncia*, et *quis iste est qui me improbum est pronunciaturus?* Primo loco unica est apud Prophetam vox, eaque participii praesentis temporis מַצְדִּיקִי. Verbum autem הִצְדִּיק, unde illud est participium, significat *justificavit, justum pronunciavit*; affertque non pauca exempla Montaldus (1). Altero loco est futurum verbi הִרְשִׁיעַ, cujus significatio est *improbum fecit, seu pronunciavit* (2).

## VI.

*Ecce! omnes isti adinstar vestimenti vetustate consumuntur! eos tinea vorat!*

Reprehendit hac parte Dominus Judaeorum perfidiam et pertinaciam sese tanta incredulitatis vetustate, atque hujus scele-



(1) Pag. 1151.

(2) Idem pag. 1486.

ris conscientia consumentium, ac pereuntium: commemoratque ut Dei timorem depulissent, ut vocem suam tum quum apud eos in assumtae carnis humilitate obscurus et sine splendore suae majestatis incessit aspernati fuerint, ut omnem in nomine Domini spem omnemque fiduciam abjecissent, ut ab ipsis omnibus incensus fuerit in eum persecutionis ignis, atque ut etiamnum accincti scintillis sint ad incendium in ipsum quoquo modo fieri possit excitandum.

Quasi ergo Dominus noster coram judice sit ab accusatoribus Judaeis electo, ipsique adsint sine dubio victi omnes Judaei, tum universae reliquae Gentes hanc tantam causam auditurae; ipse ad judicem et gentem orationem convertens, Judaeosque manu designans, *Ecce*, inquit, *omnes isti adinstar vestimenti vetustate consumuntur! eos tinea vorat!* Deinde alloquens Judaeos ipsos pergit:

*Quis* erat *in vobis qui Dominum timeret, qui vocem Servi ejus audiret quando incessit obscurus, ac nullum splendorem habebat, qui speraret in nomine Domini, Deoque suo inniteretur?*

Quibus verbis ostendit quam improbi essent Judaei quum Dominus in propria venit, nec eum receperunt; et quae recte facta dudum omisissent, et tunc maxime omitterent. Quae vero et tunc in *Servum Domini* Jesum committerent, ac etiamnum committere parati sint, ista declarant:

*Ecce vos omnes incendebatis ignem, accincti estis scintillis.*

Quandonam omnes incendebant ignem in Jesum Judaei? Quando *consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, et Seniores Populi adversus Jesum, ut eum morti traderent*; quando *principes Sacerdotum, et Seniores persuaserunt Populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent*; quando interrogante Pilato, *Quid igitur faciam de Jesu qui dicitur Christus?* di-

*sunt omnes, crucifigatur*; quando ait illis Praeses, *Quid enim mali fecit? at illi magis clamabant dicentes, crucifigatur*; quando *videns Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram Populo dicens, Innocens ego sum a sanguine Justi hujus, vos videritis: et respondens universus Populus dixit, Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (1). Ecce quantum incendium in Jesum, frustra renitente Pilato, a Judaeis excitatum est. Nec vero ab eo tempore in posterum alius unquam fuit illis in Jesum animus atque tunc fuerit; sed eum, et qui sunt ejus, promti atque parati, si fieri possit, perdere, *accincti* semper *scintillis* sunt, non secus atque ad bellica tormenta milites, expectantque orituram aliquando cum Antichristo, futuro ipsorum Messia, occasionem explodendi sine periculo.

## VII.

*Ite in focum ignis vestri, et in scintillas quas incendistis. A manu mea est hoc vobis: ad Dolorem diu cubabitis.*

Sententia est Domini nostri Jesu Christi Judaeos, quotquot mors in perfidia obstinatos deprehendet, condemnantis ad aeternas Inferni poenas. Incendio enim quod veteres Judaei in Dominum, ejusque discipulos excitarunt, posterique scintillis accincti excitare parati sunt, capitali semper odio flagrantes, quemnam alium sibi post mortem incendunt, suumque faciunt, nisi Inferni ignem? Idcirco Dominus eos mittens ad id quod tanto studio tantoque ardore proprium suumque ipsi sibi fecerunt, *Ite*, inquit, *in focum ignis vestri, et in scintillas quas incendistis*.

Et quum ipse sit Judex vivorum et mortuorum, eique data sit omnis potestas in caelo et in terra, ut in nomine Jesu omne

(1) Ex Matth. XXVII.

genuflectatur caelestium, terrestrium, et infernorum; ab hac potestate sua proficisci declarat, non injustum ullum improbumve Judaeorum repudium, sed hanc aeternae mortis sententiam, sine dubio justissimam; quippe quae oriatur a tot gravissimis ipsorum sceleribus quae ante commemoravit. Id sunt ea verba, *A manu*, seu *potestate mea est hoc vobis*; haec scilicet sententia et condemnatio quam audistis, Judaei.

Sed haec aeternae mortis poena singulos Judaeos, quum moriuntur, manet: Dominus autem aliam etiam poenam in universam ipsorum gentem ob tam duram pertinaciam pronunciat postremis verbis, *Ad dolorem diu-cubabitis*. Respicit enim obstinatissimum illum Judeorum animum in suis hallucinationibus permanendi, quem iidem in Psalmo quarto declarant his verbis, *In pace unanimiter cubabo, et dormiam* (1). Dominus ergo qui Judaeorum gentis aliquando miserebitur, eamque convertet, atque sanabit; tamen investigabili suo judicio diuturnum adhuc tempus cubare illos ita atque dormire sinet. Quo statu sane miserrimo quam diu futuri sunt, profecto *ad dolorem* ignis aeterni, supra commemorati, *cubant et dormiunt*, homines suis criminibus infelicissimi!

Reliquum est ut de versione dicamus. Nostra enim duarum hujus orationis postremarum partium variat ab omnibus quae hactenus paruerunt. Quae varietas quum nobis, ut semper, visa sit hic etiam ab ipso proficisci textu, nec levissima sit; necesse est hoc loco ipsius causas ostendere. Qua quidem in re nec nostra ceteris anteferemus, nec de aliorum laboribus judicium nobis arrogabimus: sed, ut solemus, satis habentes dicere quid sequuti simus, judicium de hoc ipso quod sequuti sumus, privatum doctis, publicum Ecclesiae relinquimus, cujus unius est de vero Scripturarum sensu discernere.

(1) Locum vide in lib. de Apol. Cathol. Relig.

Sic igitur nostra: *Ecce omnes isti adinstar vestimenti vetustate consumuntur! eos tinea vorat! Quis erat in vobis qui Dominum timeret, qui vocem Servi ejus audiret quando incessit obscurus, ac nullum splendorem habebat; qui speraret in nomine Domini, Deoque suo inniteretur? Ecce vos omnes incendebatis ignem, accincti* estis *scintillis! Ite in focum ignis vestri, et in scintillas quas incendistis. A manu mea est hoc vobis: ad Dolorem diu-cubabitis.*

Quae Latinus Interpres (nam de aliis dicere infinitum esset) ita convertit: *Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem Servi sui? qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deo suo. Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.*

Haec si rudes etiam hebraicarum litterarum attente contulerint, ii quoque facile intelligent, ab uno eodemque textu esse translata: sed nostra illa fortasse clariora. Quod igitur dictum est *vetustate-consumuntur*, propria est significatio verbi בָּלָה (1). Hoc verbum apud Prophetam futuro est tempore, ut apud Latinum. Carent enim Hebraei praesenti tempore, cujus loco vel participium, vel futurum adhibent; futurum autem potissimum quum rem quidem praesentem, sed in posterum etiam continuandam exprimere debent; cujusmodi est Judaeorum incredulitas atque perfidia, de qua Dominus dicit hoc loco. Sermo autem latinus ejusmodi res verbis praesentis temporis exprimere propius solet. Nam futura apud Latinos rem quidem fore, sed nondum esse potius ostendunt. Hisce de causis praesenti tempore translatum est: idemque judicium sit de verbo *vorat*, quod apud Prophetam item est *vorabit*.

(1) Montald. pag. 110.

*Qui Dominum timeret*, *qui vocem Servi ejus audiret*, participia sunt apud Prophetam, ut apud Latinum, *timens*, *audiens*. His participiis contineri significationes *qui timet*, *qui timebat*, *qui timeret*, nemo est qui nesciat.

In verbis, *quando incessit obscurus*, apud Prophetam est nomen substantivum loco adjectivi. אֲשֶׁר הָלַךְ חֲשֵׁכִים *quando incessit tenebrae*. Est enim haec dicendi ratio, ut docti norunt, propria sermonis hebraei suntque exempla permulta. Nihil autem apud Prophetam est quod cogat transferre *in tenebris*, quum omnis ab hoc loco absit praepositio.

Sed quod maxime in his ipsis verbis אֲשֶׁר הָלַךְ חֲשֵׁכִים *quando incessit tenebrae*, attendere oportet, est vox illa אֲשֶׁר; quae est *Pronomen relativum utriusque generis et numeri*, *qui*, *quae*, *quod* . . . . . . . . *et saepissime particulas exprimit*, *ut adverbia temporis*, *videlicet*, *cum*, *quando*, *postquam* (1). Hujus itaque loci propria significatio videtur esse ista posterior; quae duo efficit: alterum, ut nova hinc non sit incipienda, sed sit continuanda sententia; alterum, ut duo futura verba יִבְטַח, יִשָּׁעֵן, *sperabit*, *innitetur*, non regantur a pronomine relativo *qui* (quod prorsus hinc aberit) atque idcirco illorum significatio imperativa non sit; sed regantur ab illo ipso pronomine מִי *quis*, quod legitur initio sententiae, significatioque sit participii temporis futuri. Quamobrem si et propriae significationes dicendi generum sermonis hebraei, et genera ipsa reddenda sint, dicendum erit, *Quis in vobis timens Dominum*, *audiens vocem Servi ejus quando incessit tenebrae*, *ac nullus splendor ei*, *speraturus in nomine Domini*, *et innixurus Deo suo?* Quorum sententia latino more, nostratibusque clariore, adamussim, opinor, expressa per nos est.

Futuri autem Hebraeorum habentis significationem partici-

(1) Montald. pag. 74. 75.

pii temporis futuri exempla quamplurima sunt; sed satis est unum e Marco Marino proferre. *Non timebis a timore nocte, a sagitta volabit interdiu, a peste in abscondito perambulabit, ab occisione devastabit meridie* (1). Sic enim sunt in hebraico verba, quae latinam hanc habent significationem, *a sagitta volatura interdiu, a peste in abscondito perambulatura, ab occisione devastatura meridie*; ut cuivis facile patet. Sed apud Isaiam hoc loco futura indicant praeterea rem cum praesentem, tum continuandam; atque idcirco vertenda fuerunt, *qui speraret, qui inniteretur*; proprieque his aequipollent, *qui speraret ac speraturus esset, qui inniteretur et esset innixurus*. Paucissimis enim verborum suorum vocibus Hebraei significationes omnes complectuntur, atque adeo superant, temporum verborum cujusque linguae vel copiosissimae; ut alibi etiam observatum est.

Quod autem spectat ad continuationem sententiae, illud est maxime ac diligentissime animadvertendum, Jesum Christum Dominum his verbis, *Quis erat in vobis*, et reliquis, docere causam ejus rei de qua interrogavit initio, *Cur veni, et nemo adest; vocavi, et nemo respondet?* Nam quod nec tum quum venit, nec postea, Judaei Domino adfuerint, vocantique responderint, quaenam alia est causa, nisi haec ipsa quam docet Dominus, quia scilicet ex eo tempore Judaeorum nemo est qui vere timeat Dominum, qui vocem Servi ejus audiat, qui sapienter speret in nomine Domini, et vera fide suo innitatur Deo?

*Ecce vos omnes incendebatis ignem, accincti estis scintillis!* Participia sunt praesentis imperfectique temporis, quorum primum ad veteres Judaeos pertinet, alterum ad Judaeos expectatione Messiae defatigatos diu post ipsius adventum.

u

(1) Psalm. XCI. ŷ. 6.

*Ite in focum ignis vestri, et in scintillas quas incendistis.* Veteres אור videntur pronunciasse אֹר, *or*, *lux*, *lumen*; quod nunc scriptum est אוּר, *ur*, *ignis*, *focus* (1). Praefixa vero litera *Beth Praeterea significat* ad, in, *cum accusativo*, *notatque vel causam finalem*, *vel motum ad locum* (2).

*Ad Dolorem diu-cubabitis*. Litera quoque *Lamed Praepositiones varias pro construtionis diversitate exprimit*: 1. Ad, *vel* in *cum accusativo* (3). *Nun* vero paragogicum auget significationem, quod augmentum refertur ad tempus. Licet enim Judaei negare nisi summa cum perfidia non possint venisse Messiam, tamen caeca illius expectatione consumi malunt, quam confiteri. Quamobrem etiam diuturna expectatione defatigatis justissima perfidiae poena proponitur haec, qua diu in hoc miserrimo statu, in quo pertinacissime *cubant et dormiunt*, adhuc relinquentur.

Hic ego declarationibus hujus praestantissimi vaticinii finem imponam, quibus funditus eversum esse arbitror quidquid a Judaeis mala fide interpretantibus detortum est; praesertim vero ineptum illud et miserabile artificium, quo Isaiam a versu quarto, non Dominum, loquentem inducunt. *Judaei hoc capitulum*, inquit Hieronymus, *a superioribus separantes, volunt ad Isaiae referre personam, quod se dicat a Domino accepisse sermonem, quomodo lassum errantemque populum sustentet, et revocet ad salutem* (4). Ac Judaeorum quidem perfidiae artificium est pernecessarium. Fateri enim cogerentur quod vehementissime respuunt, Jesum Christum esse ipsum Deum et Dominum, si concederent unam esse atque continuam unius personae orationem. Quod ne fateantur, illam coguntur

(1) Montald. pag. 17.
(2) Idem pag. 81.
(3) Idem pag. 582.
(4) Hieron. Comm. in Isai. Lib. XIV. Cap. L.

scindere, et partem Domino, partem Isaiae tribuere, tanta infelicitate, quanta illius esset qui pro Corona initio quidem Demosthenem, processu vero Ciceronem dixisse contenderet. Quamobrem Hieronymus de hoc Judaeorum artificio disserens, *Hoc illi dixerint*, inquit, *qui omni ratione conantur de Christo evertere prophetias, et ad perversam intelligentiam prava interpretatione torquere* (1).

Sed illud multo admirabilius est, quosdam minime illos quidem Judaeos non defuisse, qui in Judaeorum sententiam concesserunt, Grotium, Calvinum, alios, qui a Polo in Synopsi Criticorum nominantur; a quibus non multum Calmetus abest, qui quasi utramque velit conciliare sententiam, *Narrat*, inquit, *hic Isaias, veluti de se ipso agens, mala et inimicitias quas passus est ab Judaeis Messias*. (2). Illud *veluti de se ipso agens* undenam Calmetus hausit, quum contra Isaias diserte narret statim initio, non se, sed Dominum loqui? Sed frustra quis expectet ab hujus artificii patronis argumenta quibus sententiam suam confirment. Itaque rem nullis rationibus communitam satis esset eodem modo negare quo illi affirmant. Ast negantibus et Patres opitulantur, in primisque Hieronymus, ut vidimus, et ipse orationis contextus; qui diligentissime semper servandus est, ut idem Hieronymus monet. *Nitamur*, inquit, *Ecclesiastae nostri vestimenta non scindere, nec pro voluntate nostra opinationum pannos hinc inde consuere; sed unum disputationis servare textum, et eundem sensum, et ordinem sequi* (3). Orationis enim contextus in hac sola Patrum sententia nostraque unus est, et simplex, et in argumento constans, atque continuus; historiae praeterea, et loquenti Personae, rebusque ab ipsa gestis ac dictis, nec non ejusdem digni-

u 2

(1) Hieron. ibidem.

(2) Calmet. hic.

(3) Hieron. in Eccles. Cap. V.

tati, auctoritati, potestatique in primis aptus atque conveniens, iisque laudibus atque luminibus nitens, quae in orationibus expeti maxime possunt. Horum nihil simile Judaei, eorundemque socii ac patroni habent; sed sese in re per admodum manifesta in ambages ac divinationes conjiciunt.

Quae res autem omnem, ni fallor, dubitationem aufert, Crux est bis nominata in vaticinio, quae admirabili splendore suo argutationes omnes evertit, demonstratque illum loqui solum qui pro redemtione nostra in cruce mori dignatus est.

---

# DE CRUCE
# VATICINIUM V.

## Canticum Canticorum

## In quo Crux semel nominata est.

---

### ARGUMENTUM.

1 Ad proferendum e Cantico Canticorum vaticinium de Cruce, satis esse posset tres primos illius versus interpretari. Sed tamen, Deo juvante, totum interpretabimur, et declarabimus: quod onus, sane permagnum, cur susciperemus, causae fuere quatuor. Nam si tribus contenti fuissemus versibus, quum illi non habeant eam orationis partem ac seriem, quae necessaria est, ut omnes cognoscant et sentiant, recte, apte, atque ad ipsius auctoris Dei mentem atque consilium Truncum a nobis primum ibi collocatum interpretando esse, magna oriri nonnullis poterat suspicio, ne fucum faceremus, et imperitia legentium abuteremur. Quae suspicio locum item habitura erat, si pleramque Cantici partem, non totum attulissemus. Jam enim dubitari poterat, num iis quae omitterentur pars quae allata esset congrueret. Qua quidem dubitatione vis ipsa vaticinii tota infringeretur, planeque concideret. Id ne accideret, totum interpretari oportuit: quae prima causa erat.

2 Alteram ipse afferebat *Truncus*. Nam is, quem Interpretum et Declaratorum nemo hactenus ad Canticum attulit, novae nobis tum interpraetationis tum declarationis auctor suavissimus fuit. Quo quidem auctore magna nobis est orta suspi-

cio, praeclara piorum doctorumque virorum in Canticum studia nondum ad eam lucem pervenisse, quam Deus ut e sacris Literis eliciamus maxime expetit, et quae nobis nunc primum a Trunco visa est proficisci. Nam quod Sanctius apud Polum in Synopsi Criticorum ait, *Ordinem et filum hujus carminis invenire difficile, necdum expeditum, de quo consequendo desperari*, id nobis prorsus evanuisse visum est; totamque istam desperationem ope Trunci depulsam et fugatam fuisse. Truncum enim argumentum ipsum carminis ostendisse; quo cognito, admirabilem rerum et partium omnium ordinem nexumque sponte sua sese oculis obtulisse. Haec igitur ut pii doctique viri judicare possent, nobis curandum fuit; quod assequi nisi nova exhibita interpretatione ac declaratione totius Cantici non licebat.

3 Tertia causa Psalmus fuit qui post Canticum a nobis afferendus est, quo in Psalmo *Truncus* ter nominatur. Ejus tamen argumentum, et dignitas pulchritudoque perspici nullo modo potuissent, nisi Canticum ante declaravissemus.

4 Ad haec accedebat quarta, eaque gravissima omnium, sacrum hoc Cantici carmen juxta literales ipsius sententias usque adeo refertum esse summis Christianae religionis dogmatis atque mysteriis (quod plerique minime putarunt) ut qui illud attente, quemadmodum decet, consideraverint, ii si sincero integroque animo colere Deum velint, religionem ipsam vel statim amplecti, si nondum acceperint, vel ad eam continuo redire, si miserandam temporum inscitiam, ingeniorumque temeritatem sequuti ab ea defecerint, vel denique sese magnopere consolari, suamque fidem roborare debeant, si perseveraverint. His autem finibus nostrae omnes scriptiones coercentur, eaque meta est, quo laborum nostrorum, qualescunque sint, cursum dirigimus. Nam, ut est in vetere proverbio, *Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria*. Et quum multa sint utilita-

tum genera, quae persequi satis honestum est, vix tamen ullum est eo praestantius, quo vel homines ad Deum, atque ad ipsius religionem adducere, vel eosdem confirmare in ea re nitimur. Quarum rerum partem aliquam studiis laboribusque consequi nostris utinam possimus! Dum conamur autem, atque in Cantico plurimum esse adjumenti existimamus, dabunt, opinor, pii doctique viri veniam, si totum afferre nova interpretatione declaratum et illustratum operae pretium duximus.

5 Sed jam de natura et argumento Cantici dicendum est. De natura ipsius nulla est disputatio. Fatentur enim omnes, id quod planum est, carmen esse per dialogos conscriptum atque dramaticum; quae res planior etiam per nos erit, atque distinctior. De argumento varie putatum est. Sed quae impurissimi quidam homines commenti sunt, quibus visum est, sanctissimum carmen profanis obscoenisque voluptatibus undequaque diffluere (quo gravissimo errore Grotius maxime omnium nauseam fecit) ea ne commemoranda quidem esse arbitror. Nam qui nostra legent, et cum hebraicis conferent, ii sine dubio intelligent, genus hoc hominum impurissimum adeo ab literalium sententiarum veritate discessisse, ut in eo genere nihil omnino supra fieri possit. Quamobrem adversus istos nihil opus est quidquam dicere. Satis enim erit habere oculos, ut unusquisque impuram istorum amentiam, et temeritatem sine ulla dubitatione cognoscat. His itaque missis, fuere quidam qui sibi persuaserunt, nihil quidem obscoeni aut flagitiosi in Cantico esse, at eo describi a Salomone suos et amicae cujusdam amores, sive illa Abisag Sulamitis, sive filia Pharaonis fuerit. Alii carmen esse encomiasticum existimarunt, totumque in laudibus Salomonis, et regni politiaeque ipsius versari. Nonnulli statuerunt esse colloquium inter Salomonem, et Judaeorum rempublicam, illum ad regnandum invitantem. Colloquium esse Salomonis cum Sapientia placuit aliis. Abenezras vult Canticum

esse historiam ab Abrahamo usque ad Messiam. E nostris quidam carmen esse propheticum putant, eoque statum Ecclesiae inde a Christo Servatore nostro usque ad Constantini tempora describi. Patres, atque in primis Dionysius, Origenes, Theodoretus, Basilius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus spirituales tantum amores in Cantico vident; et fere communis omnium Enarratorum sententia est, in eo sermonem esse, et connubium inter Christum et Ecclesiam, sive quamlibet piam animam. Sed nonnulli recentiorum distinguentes spiritualem et allegoricum sensum ab eo quem historicum et literalem appellant, illud quidem dant, priore sensu epithalamium concini Christi et Ecclesiae; sed altero sensu describi a Salomone contendunt suos erga Pharaonis filiam amores; quod ita explicant, quasi Salomonis filiaeque Pharaonis conjugium figura conjugii Christi et Ecclesiae fuerit. Hanc sententiam docte et acute Calovius refutavit.

6 Has omnes sententias, una illa excepta Patrum, quam etiam fere omnium Enarratorum communem esse diximus, *Truncus* a Cantico sic repellit, ut ne prope quidem possint ullo modo consistere. Patrum autem, aliorumque Enarratorum sententia verissima quidem est: nam et spirituales tantum amores sunt in Cantico, et in eo Christus atque Ecclesia colloquuntur, et Nuptiae celebrantur, seu parantur potius. Sed spirituales isti amores, Christique et Ecclesiae colloquia non pertinent proprie ad universum tempus, singulasque temporis partes, quo ab exordio sui usque ad interitum hominum Ecclesia statura est. Unam proprie respicit Canticum epocham, ipsa scilicet initia conversionis Populi Hebraei. Carmen enim totum propheticum est de conversione illius populi, exordiisque futurae Ecclesiae Hebraeae, ac paulo post futura ejusdem Ecclesiae dignitate, amplitudine, majestate.

7 His in rebus quum Canticum versetur, idemque Drama

sit numeris omnibus absolutissimum; ut ejus et argumentum, et personas, et scenam, et actionis tempus, et totam denique oeconomiam perspicere possimus; necesse est ut quo statu futura sit Ecclesia catholica quo tempore Christianam religionem suscipere incipient Hebraei paucis ostendamus. Nam ab eo Ecclesiae statu omnia Salomon videtur sumere. Qui quidem status copiosissime a Prophetis tam veteris quam novi Testamenti descriptus est, sed eorum vaticinia istis attexere propemodum infinitum esset, neque hujus sunt instituti, aut temporis.

8 Igitur negotium conversionis Hebraeorum in tempora duo universe tributum est: alterum quo continenter pauci quidam illius gentis homines modo hic modo ibi ad agnoscendum Dei Filium amplectendamque ipsius religionem divina gratia trahuntur; quod tempus ab ortu Messiae usque ad Antichristi cladem excurrit: alterum quo tota Hebraeorum natio Messiae religionem susceptura, neque ullo postea tempore desertura est (1); quod tempus ab Antichristi clade orditur, interituque omnium hominum desinit. Sed Antichristo imminente, eodemque regnante, ac in Christianos atrocissime saeviente, Hebraei non admodum pauci magnitudine commoti admirabilium rerum, quas Deus per viros sanctissimos illius temporis ad confirmandam Christianorum fidem atque constantiam contra praestigias impurissimorum hominum gesturus est, christianam religionem amantissime amplexabuntur: quod ipsum multi etiam homines ex illis gentibus facient, quae numquam antea nomen Christo dederant: Semper enim illud verum est quod praeclare Tertullianus scripsit, martyrum sanguinem semen christianorum esse.



(1) Zachar. XIV. 11. ceteri.

9. Quales autem quantaeque tunc futurae sint Ecclesiae Catholicae calamitates a ferocissimo tyranno ubique terrarum dominante, totamque potentiam suam, cujus nulla unquam similis fuerit, tantum ad tollendam et radicitus excidendam Christianam religionem convertente, paene omnes utriusque Testamenti praedicunt et complorant paginae: pauca vero hic commemorare necesse est. Itaque bellum atrox et internecivum non modo cum gentibus, sed cum singulis etiam hominibus, qui palam tum domi, tum foris abdicatae Christianae religionis, novaeque Antichristi idololatriae susceptae monstrata legibus insignia non deferant (1); ademta cuique non his instructo insignibus quidquam aut vendendi aut emendi facultas (2); et data omnibus potestas impune interimendi quotquot Antichristi imagines non adorabunt (3), rem christianam totos tres annos atque sex menses, quos Antichristus regnaturus est (4), in eum locum adducunt, quo nihil post hominum memoriam miserabilius, nihil aerumnosius, nihil luctuosius fuerit, nec postea erit (5).

10. Sed primum et praecipuum odium in Pontifices et Sacerdotes futurum est. Nihil enim ad tollendam funditus religionem expeditius esse internecione Pontificum, et Sacerdotum. Nam illis extinctis atque deletis, reliquus omnis Christianorum cultus omnino intereat necesse est. Ita quo quisque in Ecclesiastica Hierarchia dignitate atque auctoritate praestantior, hoc ab hostium furore magis ad necem conquisitus. Quod ipsum omnibus etiam Ecclesiis eventurum est, ut quae ceteris insigniores potioresque sunt, eae maxime ad explendam incredibilem perdendae religionis sitim, ipsasque excidendas, furen-

(1) Apocal. XIII. 7.
(2) Ibidem 16. 17.
(3) Ibidem 15.
(4) Ibidem 5. et alibi.
(5) Dan. XII. 1. et alibi.

tem hostium impetum, vim, rabiem experiri debeant. Quamobrem quum Ecclesia Romana omnibus et dignitate praestet et auctoritate, illiusque Pontifex ipsa petra sit, cui totius Ecclesiae catholicae incumbit aedificium; etsi dictu est difficile, multoque molestius, tamen est perfacile cognitu, quo furore, qua rabie, qua immanitate a teterrimis hostibus Christiani nominis concurrendum sit ad delendam, si fieri possit, vel ipsam hujus Ecclesiae memoriam.

11 Sed quo major hostium est impetus, hoc praeclarius atque praesentius Dei patrocinium est: qui cum aliis quamplurimis, tum vero duobus maxime insignibus miraculis Ecclesiam Romanam tunc est tutaturus. Horum alterum est conspicuus Pontificis nuper ad ea tempora electi atque viventis servandi plane mirabilis modus (1); quo miraculo nihil majus aut evidentius ad declarandam hostium Christiani nominis illius aetatis perversitatem, confirmandosque in fide Christianos: alterum vix hujus ob incredibilem temporum difficultatem dissimile, Ecclesiae Romanae (hoc est quamplurium qui a clade supererunt sanctissimorum virorum illius Ecclesiae, atque in primis eorum qui dignitate, auctoritate, magisterioque ceteris antecellent) in locum ab hostibus tutum fuga, receptioque, in quo tres annos sexque menses commoratura est; quot Antichristi, suorumque furor, in reliquam catholicam Ecclesiam saeviet (2). Hic locus a Prophetis Eremus, Solitudo, Desertum appellatus est (3).

12 Fugienti autem Ecclesiae Romanae (4), ac in Deserto



(1) Apocal. XII. 5. Psalm. LXXXIV. 4. 5. 6. Sed vide de Apolog. Capp. XIV. et XIX.

(2) Apocal. XII. per tot.

(3) Ibidem 14.

(4) *Mulier autem in Eremum fugit, ubi habet locum praeparatum a Deo, ut ibi alant eam dies mille ducentos sexaginta* (Apoc. XII. 6.) quot Antichristus regnaturus est. In quem locum (*de Apolog. pag.* 180.) aliumque similem (*pag.* 183) de Ecclesia Romana prout

commoranti complures non modo reliquarum orbis Ecclesiarum sanctissimi viri sese adjungent comites; verum multi etiam ex iis omnibus gentibus quae Christianam religionem antea nunquam acceperant, e martyrum sanguine quodammodo procreati Christiani, et maxime Hebraei ex eorum numero quos paulo ante diximus imminente ac saeviente Antichristo futuros esse christianos. Ab his omnibus postea, Antichristo exciso, terrisque restituto Pontifice qui triennio et semis ante raptus in caelum fuerat, Christianum nomen quoquo terrarum incredibili successu denuo importandum est (1), e quibus atrox illius belluae immanitas illud paene abstulerat; totoque orbe tum veteres Ecclesiae restituendae, tum novae condendae. Haec paucis et cursim ab historia futurorum temporum, quam Prophetae scripserunt, delibanda erant, e quibus qualis Antichristi temporum futurus sit Ecclesiae catholicae status, satis, quantum ad rem praesentem spectat, perspici potest.

13 Hinc jam liquere incipit quae sit Dramatis Scena; quae nimirum est illa ipsa Eremus, illa Solitudo, illud Desertum, quo Antichristi tempore sese recipiet Ecclesia: qui locus etsi nunc omnibus sit incognitus, nec talem quisquam qualis re ipsa futurus est describere possit, tamen illius dispositio hoc toto Dramate praeclare a Salomone monstrata est. Quam quidem rem qui carmen serio meditabuntur, facile intelligent. Itaque Scena locus est intra montes desertus, et circum undique clausus, ad quem aditus praerupta et angusta via patet,

est universalis in adnotationibus diximus. Neque enim tunc necesse erat distinctius loqui; satisque intelligebatur, eam quae in locum a Deo praeparatum fugeret, esse Romanam prout particularis est. Nam ut tota Ecclesia catholica ex omnibus orbis partibus in unam peculiarem Eremum fugeret, ne fieri quidem posset. Ex quo perspicuum erat, vaticinium ad Romanam prout est particularis Ecclesia praecipue pertinere.

(1) Mich. V. 6. et seqq. quem vide in Apolog. Cathol. Relig. Dan. IX. 27.

ita ut a spectatoribus ad ipsorum sinistram conspici possit. Non longe a via exiguus, et a reliquis montibus sejunctus collis (qui postea nobilissimus currus evadere debet) ita paratus ut partem viae occulat, multique in eo considere possint apte dispositi; ac in collis vertice Malus arbor ramis efformans Crucem, circum quam virentes aliae, sed incultae arbores. E regione collis vastum et patens Antrum, in eoque prorumpentes e saxorum rimis arborum radices; et in penitiore ipsius parte rudis ac saxea celebrandis divinis mysteriis, nudaque Ara; supra quam Crux eminens, sed non admodum manifesta, e radicibus proximi parietis sponte conformata, parietique adhaerens. Per montes varia hic atque illic cespitibus intexta tuguria circum rupes et saxa; et super saxis Libri sacri hic clausi, illic aperti. Haec Scena.

14 At Dramatis Personae duplicis sunt generis. Horum alterum illis ipsis viris constat, qui futuri sunt in Eremo, quos e Romanis, ceterisque gentibus, et ipsis Hebraeis divinitus electos supra monstravimus. Ac Romanos quidem (Pontifice interea degente in caelis, ut dictum est) itemque aliarum Ecclesiarum viros, reliquias fore veterum Ecclesiarum, incolumes per Deum ab Antichristi atrocitate servatas, perspicuum est: viros autem qui recens effecti christiani ex illis gentibus erunt penes quas divina religio numquam effloruerat, primordia esse novarum Ecclesiarum apud eas gentes statim post Antichristi caedem condendarum, aeque manifestum est. Itaque primi veteres quique suas repraesentant Ecclesias, alteri novas. Eas omnes Ecclesias Salomon, ut moris est Prophetarum, Mulierum specie exhibet, atque in Scenam inducit. In his foeminis quae principem habet locum nova est christiana Hebraeorum Ecclesia, quam Salomon *Sulamitham*, hoc est *ab omni parte perfectam* nominat. Ejus nominis duplex est causa, quarum altera est praestantissima

caritas, qua Hebraeorum natio, post abdicatos errores, orientis suae futurae Ecclesiae christianae primordiis, et postea semper usque ad interitum hominum conflagratura est; altera quod urbs illius Ecclesiae metropolis Hierosolyma erit: ex quo tempore urbs omnium sanctissima, et celeberrima, futura est. Ita quidquid in terris esse perfecti potest Hierosolyma complectetur. Hisce de causis Salomon *Sulammitham* nominat. Quam apte autem et vere huc omnia confluant quae ad hanc Foeminam pertinentia continentur in Cantico, aliorum malumus esse judicium, quam nostrum. Piget enim quasi nostram eam sententiam dicere, quam marte quisque suo dicturus est.

15 Similique allegoria sanctissimos virorum coetus ad veteres Ecclesias pertinentium, quorum illae opera post Antichristum sunt restituendae, sed eo regnante degentium in Eremo, foeminarum specie Salomon inducit. Nam hi veteres suas repraesentat Ecclesias, quas *Filias Hierosolymae* nominat, hac de causa quod Ecclesia gentium initium ortumque suum ab Hierosolyma duxerit, unde christianum nomen sese in universum terrarum orbem effudit, multisque insistens locis varias Ecclesias condidit unitate conjunctas et consociatas illius fidei, quae Hierosolymis profecta Romae tanquam in arce ac domicilio consedit. Eodemque modo singuli coetus hominum ex illis gentibus, quae antea Christianam religionem nunquam habuere, Foeminarum specie a Salomone inducuntur, et *Virgines* nominantur; propterea quia gentes illae nullo antea tempore Sponsum habuerunt suum, Jesum Christum omnium Deum et Dominum, quem paulo post per illos ipsos viros sunt habiturae. Sunt autem hae personae omnes allegoricae, ut perspicuum est. Filiabus vero Hierosolymae, Virginibusque chori conflantur. Quamobrem eas oportet esse complures, fereque totidem quot veteres Ecclesias tunc

temporis fuisse, et novas fore existimandum est. Quod ita dicimus non quasi numerum ipsum in Scenam induci velimus; qui plane incertus est, sed ut decore ac cum dignitate complures afferantur.

16 Quo loco, quoniam de allegoricis personis dicendum fuit, animadvertendum est, longe aliam esse allegoriarum rationem quas ipsi Scriptores afferunt, ab iis quas eorundem enarratores arbitrio suo inveniunt, ubi nihil allegorici a Scriptoribus allatum est. In his enim alia est persaepe Scriptoris mens, alia illius qui allegoriam ubi non erat invenit, quae causa est cur duci ab eo genere argumenta non possint (1). At eae, quas Scriptores ipsi afferunt, ad literalem pertinent eorum sensum, isque est non quem verba juxta propriam et nativam ipsorum significationem habent, qua significatione ut accipiantur nullo modo volunt, sed ille quem iidem ostendunt, iis verbis ab ipsis tributum esse. Quae res ut planior fiat, exemplis illustranda erit. Est Q. Horatii Flacci de republica ode tota allegorica his incipiens verbis:

*O navis referent in mare te novi*
*Fluctus; o quid agis? fortiter occupa*
*Portum: nonne vides ut*
*Nudum remigio latus,*
*Et malus celeri saucius Africo,*
*Antennaeque gemant, ac sine funibus*
*Vix durare carinae*
*Possint imperiosius.*
*Aequor?* et cetera (2).

(1) *Nulla confusio sequitur in Sacra Scriptura, quum omnes sensus fundentur super unum, scilicet Litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum; non autem ex iis quae secundum Allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in Epistola contra Vincentium Donatistam.* D. Thom. P. P. Q. 1. art. 10. ad 1.

(2) Hor. Carm. Lib. 1. Od. XIV.

Eademque allegoria M. Tullius Cicero Q. Cornificium adhortans: *Quamobrem*, inquit, *mi Quinte*, *conscende nobiscum*, *et quidem ad puppim*. *Una navis est jam bonorum omnium*; *quam quidem nos damus operam*, *ut rectam teneamus*: *utinam prospero cursu*! *Sed quicunque venti erunt*, *ars nostra certe non deerit* (1). Hos siquis velit literali sensu non de republica, sed de vera quadam navi esse loquutos, quisquamne esse poterit qui eorundem menti atque sententiae magis adversetur, majoresque risus expectare debeat? Id ipsum versantibus sacros Scriptores accidat necesse est, si eos hac ratione interpretari velimus; atque hoc turpius quo profanis praestant: qua de re dubitare non erit sapientis viri. Hoc igitur constet, literalem scriptorum sensum qui allegoriis utuntur, eum esse non quem verba demonstrant, sed quem ipsi afferunt. Quem quidem nos sensum declarando Cantico, quod est allegoriis plenissimum, unice sequemur. Quae res praemonenda erat, ne quis putaret, allegorias Cantici arbitrio nostro aut confictas, aut explicatas esse. Atque haec de primo Personarum genere, quas allegoricas Salomon induxit.

17 Altero genere non allegoricae, sed verae sunt Personae. Earum, ut item omnium, princeps est ipse Deus ac Dominus noster Jesus Christus, qui a Salomone hoc toto carmine, itemque alio quod postea videbimus, *Dilectus* nominatus est. Is qua forma, et dignitate in sacram hanc Scenam inducendus fuerit, nemo non intelligit; atque id egregie a Sacro-Vate fuisse factum, videre unusquisque poterit. In veris praeterea Personis sunt *Praestigiatores* a Salomone dicti. Hi tantum sub finem Dramatis veniunt in scenam, impurissimi quidam homines Antichristi tempore futuri, de quibus Dominus noster Je-

(1) Cic. ad Famil. Lib. XII. Ep. XXV.

sus Christus dixit, et premonuit: *Surgent enim Pseudochristi, et Pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam Electi. Ecce praedixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in Deserto est* (Christus) (1), *nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere* (2). Qui nefarii homines ex eo sunt genere, de quibus Joannes inquit: *Et vidi de ore Draconis* (Diaboli), *et de ore Bestiae* (Antichristi), *et de ore Pseudoprophetae* (summi novae Antichristi idololatriae sacerdotis) *Spiritus tres immundos in modum Ranarum. Sunt enim Spiritus Daemoniorum facientes signa* (3); homines scilicet immundis spiritibus sponte sua venditos, et ab iisdem insessos, quocunque terrarum more Apostolorum ad evertendam Christianam religionem, novamque idololatriam instituendam missos, quorum nonnulli etiam in Desertum penetrabunt. His quoque partem Salomon, sed eam brevissimam tribuit. Atque hae Personae quas hactenus commemoravimus, loquuntur omnes. Sunt aliae praeterea *Personae mutae*, quae Dilectum semper comitantur, numero complures, Angeli, et Homines beati; sed eae non nominantur. Eas Vates decora magnificaque specie ducit in scenam, ut cadere sub aspectum possint.

18 Reliquum est ut de Actione dicamus, quae incipit pridie illius diei quo Deus ac Dominus Jesus ad interimendum Antichristum venturus est. Incipit autem statim a tempore, quo a Sanctissimis viris in Deserto commorantibus, et maxima ex parte Episcopis et Sacerdotibus celebrata una erant divina Mysteria, et in ipso Templo, sive Antro. Nemo autem miretur, ipsos Episcopos et Sacerdotes in Scenam non comparere. Nam



(1) Ἐν τῇ ἐρήμῳ in hac ipsa Eremo, ubi Ecclesia erit.

(2) Matth. XXIV. 24. 25. 26.

(3) Apocal. XVI. 13. 14.

Personae allegoricae quae repraesentant Ecclesias, ut dictum est, earum universum Sacerdotium hac de causa potissimum repraesentant. Sed quia Ecclesiae inducuntur personis Mulierum, quibus, quantum attinet ad munus, nihil est cum Sacerdotibus commune; idcirco Drama ita compositum est, ut quae gerenda per Sacerdotes erant, ea censeantur jam peracta esse. Ita fit, ut nullus Sacerdotibus in scena sit necessarius locus.

19 Pauca nunc de ratione quam declarando sequuti sumus, dicenda sunt. Nam praeter animadversiones, quibus aut sententias explicare, aut criticas interpretationis rationes reddere solemus, quas ad calcem Cantici rejecimus, ut ita uno velut obtutu sine interruptione illius oeconomia perspici posset, argumenta scenis, ubi necesse erat, intexuimus. Drama enim divisimus in suas scenas, non in Capita, ut est in Libris. Qua de re neminem volumus esse sollicitum, quum certum sit, capitum et versuum partitiones non a Sacris Auctoribus, sed aliunde allatas esse. At quo facilius qui legent conferre possint (id enim maxime student, utinam cum Hebraico quoque!) usitatam capitum et versuum distinctionem suis etiam numeris retinuimus et indicavimus. Praeter argumenta, quaedam etiam veluti monita Textui interposuimus, quae quid agatur in scena ostendant. Haec diversis edita literis integrum relinquunt Textum. Breves denique adnotationes adjecimus, easque ad intelligenda quae aguntur pernecessarias, quibus quae latius in declarationibus erunt pertractanda, paucis explicarentur.

20 His ea ratione propositis atque ex ipsis Cantici visceribus petitis; facile apparebit totius carminis ratio, constabitque illius actionem paucarum horarum esse, non septem dierum ac noctium, ut Calmetus arbitratus est. Cujus quidem doctissimi Viri in septem dies ac noctes Cantici divisio adeo a lit-

teralibus hujus carminis sententiis aliena est, ut nihil nisi fabulam sapiat; et non e Cantico hausta, sed ad illud praepostere allata esse videatur.

21 Postremo nonnulli fortasse optassent, ut inquireremus, an actum unquam in scena fuerit hoc Drama; quid sit de Graecis existimandum, qui sese dramaticorum operum inventores fuisse praedicarunt; multaque illius generis, quae otiosis curiosisque relinquimus. Itaque precati ante omnia Deum, ut adesse dignetur, ad rem ipsam accedimus.

---

Personae allegoricae quae repraesentant E-
est, earum universum Sacerdotium
repraesentant. Sed quia Eccle-
rum, quibus, quantum
cerdotibus commu
quae gerenda
esse. Ita
locus

## PERSONAE DRAMATIS PERSONAE.

DILECTUS, Jesus Christus Deus ac Dominus.

SULAMMITHA, Mulier orientem futuram Hebraeorum christianam repraesentans Ecclesiam.

FILIAE HIEROSOLYMAE, Mulieres quae peculiares Catholicorum repraesentant Ecclesias, quae usque ad Antichristum steterint.

VIRGINES, Mulieres quae novas repraesentant post Antichristum condendas gentium Ecclesias.

PRAESTIGIATORES, praecones novae Antichristi idololatriae.

### PERSONAE MUTAE.

COMITES DILECTI, Angeli, et Homines beati.

# CANTICUM CANTICORUM.

## *T I T U L U S.*

1 Canticum Canticorum quae *sunt* Salomonis.

## S C E N A P R I M A.

### (Caput Primum)

*Sulammitha, ~~Filiae Hierosolymae~~, Virgines in genua provolutae ante Aram, ubi nuper celebrata perceptaque erant divina Mysteria, flagrantissimo Dei amore perculsae ita ut ab earum habitu corporis internus pateat ardor.*

*Post ductum ingens ab imo pectore suspirium, aeternum Patrem his verbis precatur*

*Sul.* 2 Osculetur me post oscula os ejus! (1).
*Fil.* Sane optimi *sunt* amores tui post Vinum (2)! (*ad Jesum.*
*Virg.* 3 Ob fragrantiam unguentorum tuorum optimi *sunt*!
(*ad Jesum.*
*Sul.* Unguento perfusus es Nominis tui! (*ad Jesum.*
*Fil.* Juxta Truncum Virgines te amant!
(*ad Jesum summa laetitia.*
*Sul.* 4 Trahe me! (*ad Deum Patrem.*
*Virg.* Pone te curramus! (*ad Jesum.*
*Sul.* Adduc me, o Rex, in penetralia illius! (3)
(*ad Deum Patrem.*
*Virg.* Exsultemus, et laetemur in te! (*ad Jesum.*

(1) Jesu Christi.
(2) Post perceptas sacras Vini species.
(3) Jesu Christi.

# DRAMATIS PERSONAE.



DILECTUS, Jesus Christus Deus ac Dominus.

SULAMMITHA, Mulier orientem futuram Hebraeorum christianam repraesentans Ecclesiam.

FILIAE HIEROSOLYMAE, Mulieres quae peculiares Catholicorum repraesentant Ecclesias, quae usque ad Antichristum steterint.

VIRGINES, Mulieres quae novas repraesentant post Antichristum condendas gentium Ecclesias.

PRAESTIGIATORES, praecones novae Antichristi idololatriae.

PERSONAE MUTAE.

COMITES DILECTI, Angeli, et Homines beati.

# CANTICUM CANTICORUM.

## T I T U L U S.

1 Canticum Canticorum quae *sunt* Salomonis.

## S C E N A P R I M A.

(CAPUT PRIMUM)

*Sulammitha, Filiae Hierosolymae, Virgines in genua provolutae ante Aram, ubi nuper celebrata perceptaque erant divina Mysteria, flagrantissimo Dei amore perculsae ita ut ab earum habitu corporis internus pateat ardor.*
*Post ductum ingens ab imo pectore suspirium, aeternum Patrem his verbis precatur*

*Sul.* 2 Osculetur me post oscula os ejus! (1).
*Fil.* Sane optimi *sunt* amores tui post Vinum (2)! (*ad Jesum.*
*Virg.* 3 Ob fragrantiam unguentorum tuorum optimi *sunt*! (*ad Jesum.*
*Sul.* Unguento perfusus es Nominis tui! (*ad Jesum.*
*Fil.* Juxta Truncum Virgines te amant! (*ad Jesum summa laetitia.*
*Sul.* 4 Trahe me! (*ad Deum Patrem.*
*Virg.* Pone te curramus! (*ad Jesum.*
*Sul.* Adduc me, o Rex, in penetralia illius! (3) (*ad Deum Patrem.*
*Virg.* Exsultemus, et laetemur in te! (*ad Jesum.*

(1) Jesu Christi.
(2) Post perceptass acras Vini species.
(3) Jesu Christi.

*Sul.* Commemoremus amores tuos post Vinum! (1) (*ad Jesum.*
*Fil.* Te rectissime amant! (*ad Jesum.*

## SCENA II.

*Praedictae omnes, postea Dilectus.*

*Silentio aliquantisper ab omnibus servato, surgunt ac e Templo sive Antro exeunt, sed ita ut omnium pateat summus in Deum ardor.*

*Filiae Hierosolymae stupentes ingentem Sulammithae caritatem, in eam attentissime conjiciunt oculos. Ad eas modestissime*

*Sul.* 5 Nigra ego *sum* etiam formosa, Filiae Hierosolymae! Ut tentoria Cedarenorum *sum*, ut aulaea Salomonis! 6 Nolite me intueri: nam ego nigerrima *sum* ex quo me Sol invisit! (2). Filii matris meae (3) ira exarserunt in me: posuerunt me custodem Vinearum (4): Vineam meam, quae apud me erat, non custodivi! (5).

(*superiora verba, et praesertim postrema pronunciat maxime dolens; post quae aliquantulum profundi moestique silentii. Supervenit interea cum suo comitatu Dilectus, quem omnes majorem in modum venerabundae excipiunt; atque ad eum permagno affectu accurrens*

*Sul.* 7 Indica mihi, *tu* quem diligit anima mea, ubi pastu-

(1) Post perceptas sacras Vini species, ut supra.

(2) Ex quo Jesus Christus (qui *Sol* dicitur Psalmo 83. v. 12. quem vide in Apol. Cap. XVIII.) *visitavit, et fecit redemtionem plebis suae.*

(3) Judaei tempore Christi, et Apostolorum.

(4) Civitatum, terraeque Judaeae.

(5) Veram Ecclesiam, quae apud me erat.

rus, ubi cubiturus sis in meridie! (1). Nam qua de causa ero ut quae Greges protegit sociorum tuorum? (2):

*Dil.* 8 Nonne nosti? apud te, o formosissima Mulierum. Expone te per vestigia gregis, et pasce Haedos tuos circum Tabernacula Pastorum (3). 9 Equitatui meo in curribus Pharaonis similem te habeo, amica mea. 10 Pulchrae sunt genae tuae in orbibus, *pulchrum est* collum tuum in monilibus. 11 Orbes aureos faciemus tibi cum interpunctionibus argenteis.

*Sul.* 12 Quoadusque Rex *erit* in ambitu suo, nardus mea efflabit odorem illius. 13 Fasciculus mirrhae *est* Dilectus meus mihi! in sinu meo pernoctabit! 14 Botrus cypri *est* Dilectus meus mihi *virentis* in vineis Hen Gedi!

(*quae dum dicit, amantissime Dilectum intuetur.*

*Dil.* (*eam item amantissime intuens.:*) 15 Ecce tu formosa es, amica mea; ecce tu formosa es! Oculi tui vim faciunt!

*Sul.* (*ut supra, et laetitia gestiens:*). 16 Ecce tu formosus *es*, Dilecte mi, atque suavis! Lectus quoque noster virens *est*! 17 Tigna domuum nostrarum cedrina *sunt*, laquearia nostra cypressina!

(*his dictis profunda cogitatione mergitur, omnesque interea silent, ac eam attente intuentur. Tum ipsa conversis in Dilectum oculis eum amantissime conspicatur. Postremo sese circumspiciens quasi eorum poeniteat quae de communi lecto, communibusque domibus dixerat, quippe quae se dignam non putet, pergit:*

(1) Tempore conversionis omnium gentium, quas clarissima luce, et cognitione tui ditabis; post Antichristum.

(2) Sciebat pasturum, et cubiturum etiam Hierosolymae; sed tanto honore sese indignam habet.

(3) Vide declarationes.

*Sul.* Commemoremus amores tuos post Vinum! (1) (*ad Jesum.*
*Fil.* Te rectissime amant! (*ad Jesum.*

## SCENA II.

*Praedictae omnes, postea Dilectus.*

*Silentio aliquantisper ab omnibus servato, surgunt ac e Templo sive Antro exeunt, sed ita ut omnium pateat summus in Deum ardor.*

*Filiae Hierosolymae stupentes ingentem Sulammithae caritatem, in eam attentissime conjiciunt oculos. Ad eas modestissime*

*Sul.* 5 Nigra ego *sum* etiam formosa, Filiae Hierosolymae! Ut tentoria Cedarenorum *sum*, ut aulaea Salomonis! 6 Nolite me intueri: nam ego nigerrima *sum* ex quo me Sol invisit! (2). Filii matris meae (3) ira exarserunt in me: posuerunt me custodem Vinearum (4): Vineam meam, quae apud me erat, non custodivi! (5).

(*superiora verba, et praesertim postrema pronunciat maxime dolens; post quae aliquantulum profundi moestique silentii. Supervenit interea cum suo comitatu Dilectus, quem omnes majorem in modum venerabundae excipiunt; atque ad eum permagno affectu accurrens*

*Sul.* 7 Indica mihi, *tu* quem diligit anima mea, ubi pastu-

(1) Post perceptas sacras Vini species, ut supra.

(2) Ex quo Jesus Christus (qui *Sol* dicitur Psalmo 83. v. 12. quem vide in Apol. Cap. XVIII.) *visitavit, et fecit redemtionem plebis suae.*

(3) Judaei tempore Christi, et Apostolorum.

(4) Civitatum, terraeque Judaeae.

(5) Veram Ecclesiam, quae apud me erat.

rus, ubi cubiturus sis in meridie! (1). Nam qua de causa ero ut quae Greges protegit sociorum tuorum? (2):

*Dil.* 8 Nonne nosti? apud te, o formosissima Mulierum. Expone te per vestigia gregis, et pasce Haedos tuos circum Tabernacula Pastorum (3). 9 Equitatui meo in curribus Pharaonis similem te habeo, amica mea. 10 Pulchrae sunt genae tuae in orbibus, *pulchrum est* collum tuum in monilibus. 11 Orbes aureos faciemus tibi cum interpunctionibus argenteis.

*Sul.* 12 Quoadusque Rex *erit* in ambitu suo, nardus mea efflabit odorem illius. 13 Fasciculus mirrhae *est* Dilectus meus mihi! in sinu meo pernoctabit! 14 Botrus cypri *est* Dilectus meus mihi *virentis* in vineis Hen Gedi!

(*quae dum dicit, amantissime Dilectum intuetur.*

*Dil.* (*eam item amantissime intuens*: ) 15 Ecce tu formosa es, amica mea; ecce tu formosa es! Oculi tui vim faciunt!

*Sul.* (*ut supra, et laetitia gestiens*: ) 16 Ecce tu formosus *es*, Dilecte mi, atque suavis! Lectus quoque noster virens *est*! 17 Tigna domuum nostrarum cedrina *sunt*, laquearia nostra cypressina!

(*his dictis profunda cogitatione mergitur, omnesque interea silent, ac eam attente intuentur. Tum ipsa conversis in Dilectum oculis eum amantissime conspicatur. Postremo sese circumspiciens quasi eorum poeniteat quae de communi lecto, communibusque domibus dixerat, quippe quae se dignam non putet, pergit:*

(1) Tempore conversionis omnium gentium, quas clarissima luce, et cognitione tui ditabis; post Antichristum.

(2) Sciebat pasturum, et cubiturum etiam Hierosolymae; sed tanto honore sese indignam habet.

(3) Vide declarationes.

*Sul.* (CAP. II.) 1 Ego rosa Saronis! Lilium convallium! (1)

*Dil.* 2 Ut lilium inter spinas, sic Amica mea *est* inter Filias (2).

*Sul.* (*modeste et amantissime, ac manu ostendens Crucem ab arbore malo efformatam,*) 3 Ut malus inter silvestres arbores, sic *est* Dilectus meus inter filios!

(*silentium omnium. Ipsa profundius meditatur, pauloque post,*

In umbra illius *esse* percupio (3).

(*accedit ad Crucem, Dilecto comitante, jam propinquâ extasi; et Malo Crucique assidens ait*

Jam assideo, et fructus illius palato meo perdulcis est!

(*quibus dictis tota in extasim rapitur, brevique interjecto silentio,*

4 Adduxit me ad Domum Vini! (4). Jam Vexillum illius super me *est*! (5).

(*augetur extasis, ac ita labascit, ut sedens vix stare erecta possit. Tum exclamat,*

*Proh* Amor!

(*conversa ad Filias, et Virgines, ac maxime ardens,*

5 Appropinquate me cum lagenis! (6).

(*magis etiam labascit, ac ad easdem,*

Sternite me in pomis! (7) nam aegra amore sum (8).

(*Dilectus eam amplexatur dextera, laevam paratam*

(1) Hoc est, praestantissima et princeps Ecclesia in regione Judaea!

(2) Inter alias Ecclesias.

(3) In umbra mali scilicet, propter Crucem.

(4) Ad Crucem e qua profluxit Sanguis, quem Dilectus sub specie Vini propinat.

(5) Ipsa Crux super me est.

(6) Quibus excipiam Sacrosanctum Sanguinem e Cruce profluentem.

(7) In pomis e malo decidentibus, hoc est in ipso Sanguine.

(8) Ita ut ipsa me movere non possim.

*ante illius pectus tenet, casuram sustentaturus. Id ipsa sentiens,*

6 Laeva illius sub capite meo *est*! et dextera ipsius amplexatur me!

(*his dictis, amore tota colliquescit ac deficit. Filiae et Virgines eam decenter subtus Crucem sternunt, ipsaque imposterum semper dormienti est similis usque ad Scenam ultimam. Dilectus ad laevam ipsius manet, ac circum Filiae, et Virgines, quae tanti amoris magnitudine commotae obstrepunt quiddam. Ad quas*

*Dil.* 7 Adjuro vos, Filiae Hierosolymae, per capreas aut cervas Agri, num excitabitis, numve suscitabitis Dilectam? Quamdiu velit (1).

(*Filiae sese obtemperaturas ostendunt.*

(*Sulammitha dormienti similis, ac per extasim loquens, narrat quanto studio quantoque amore Dilectus eam vocaverit, et conversionis gratia locupletarit. Dilectum precatur, ut, quoadusque in Christianos saeviet Antichristi immanitas, iisdem fugientibus, seseque abdentibus in praeruptis montium cavernis praesto sit, opemque ferat.*

*Sul.* 8 Vox *erat* Dilecti mei! Ecce ipse veniebat insiliens su-
per montes, exsiliens super colles! 9 Similis erat Dilectus
meus capreae hinnulove cervarum! Ecce ipse stabat pone parietem nostrum, prospectabat e fenestris, promicabat e clathris!

10 Alloquebatur Dilectus meus, ac mihi dicebat = Surge ad
me, amica mea, formosa mea, et ad te veni! (2) 11 Nam
ecce! hyems praeteriit, pluvia cessavit, sibique abiit.

z

(1) Quam diu velit, eam sic esse sinite, Aposiopesis est.

(2) Ad terram tuam Judaeam, quam mox incoles Christiana.

12 Flores conspiciuntur humi (1), tempus putationis accessit, et vox turturis auditur in terra nostra (2). 13 Ficus excludit grossulos suos, et vites uvae primae efflant odorem. Surge ad te, amica mea, et ad te veni! 14 Columba mea, in rupturis *es* petrae, in latibulo *es* praecipitii! Fac ut videam conspectum tuum! fac ut audiam vocem tuam! Nam vox tua dulcis *est*, et conspectus tuus est amoenus. 15 Capite nobis Vulpes, Vulpes parvas, quae vastant Vineas; Vineas quoque nostras uvae primae = (3).
16 Dilectus meus apud me *fuit*, et ego apud illum!

(*tum conversis in Dilectum amantissime oculis*

O qui pascis il Liliis 17 quoadusque afflet dies, et diffugiant umbrae, circumi, similem te facito, Dilecte mi, capreae hinnulove cervarum super montes dissectos!

(*Filiae, et Virgines magno loquentis affectu commotae nonnihil obstrepunt.*

(*Sulammitha narrat primum sese initio conversionis suae apud contribules suos quaesivisse, num viri essent ex Hebraeis effecti Christiani, sed non invenisse. Deinde quaesivisse, num per Urbem, ejusque vicos, et plateas palam Christiani essent viri, nec invenisse. Tertio sibi occurrisse Antichristi milites, et ab iis quoque sciscitatam esse, num viros Christianos vidissent; sed illico ab illis fugisse, ac tandem quos Christianos quaerebat, quibuscum est Dilectus ejus, reperisse, hos ipsos qui una sunt in Deserto. Summum suum erga Dilectum et Ecclesiam studium hac tota narratione patefacit.*

(1) Primi novi in Judaea Christiani.

(2) Judaea.

(3) Capite Daemones. (Vulpes appellatos Vaticinio primo, ut vidimus) qui hoc Antichristi tempore vastant Ecclesias; Ecclesias quoque nostras Hebraeas, quae nunc primum florere incipiunt ex iis qui convertuntur Hebraeis. Verba sunt Dilecti ad Caelites, quae Sulammitha refert.

*Sul.* (CAP. III.) 1 Per Cubile meum per noctes quaesivi quem
diligit anima mea: quaesivi illum, sed non inveni! 2 Eja,
*inquam*, surgam, et circumvagabor per Urbem, per vicos, et per plateas; quaeram quem diligit anima mea: quaesivi illum, sed non inveni. 3 Invenerunt me Vigiles
circumeuntes Urbem, Num, *inquam*, eum quem diligit anima mea vidistis? 4 Fere momentum *fuit* ex quo deflexeram ab eis quoadusque inveni quem diligit anima mea. Teneo illum, nec dimittam, donec eum adduxero in domum Matris meae, et in cubiculum ejus quae me concepit! (1).

(*Filiae, et Virgines affectus magnitudine, ut supra, commotae majus quiddam obstrepunt.*

*Dil.* 5 Adjuro vos, Filiae Hierosolymae per capreas aut cervas Agri, num excitabitis, numve suscitabitis Dilectam? Quamdiu velit.

(*Sulammithae per visionem ostenditur proxima Ecclesiae Hebraeae Sanctitas, et regia dignitas; revelaturque quid de illa scripserit Salomon hoc ipso in Cantico, ad quod invisendum invitat Filias Hierosolymae.*

(*Animadverte pronomina, quae majusculis incipiunt literis, ad Dilectum referri.*

*Sul.* 6 Quaenam ista *est* quae sese erigit e Deserto instar elationum fumi, suffumigata myrrha, et thure *conflato* e
quovis pulvere negotiatoris? 7 En sceptrum Illius, quod Salomonis *fuit* (2). Sexaginta fortes circum eam *sunt* e fortibus Israelis (3). 8 Omnes instructi gladio *sunt*, docti bellum: unicuique suus *est* ensis lateri suo, ob metum



(1) In Judeam.

(2) En in manu hujus Mulieris regium Dilecti sceptrum, illud ipsum quod Salomonis fuit.

(3) Ecclesiasticae dignitates primariae.

in noctibus. 9 Currum fecit Illi rex Salomon de lignis
Libani (1). 10 Columnas ejus fecit argenteas, stragulum
ejus aureum, sellam ejus purpuratam, medium ejus constratum Dilecta prae Filiabus Hierosolymae.

11 Exite, et inspicite, Filiae Sionis, in rege Salomone Coronam qua coronat Illum mater Ejus (2), in die nuptiarum Ipsius, atque in die gaudii cordis Illius!

*Dil.* (CAP. IV.) 1 Ecce tu formosa *es*, Amica mea, ecce tu formosa *es*! Oculi tui vim faciunt inter cirros tuos. Crines tui *sunt* ut grex caprarum, quae mane aquatum veniunt a monte Galaado. 2 Dentes tui *sunt* ut grex detonsarum quae ascendunt de lavacro, quae omnes gemelliparae *sint*, nec orba in eis *sit*. 3 Ut filum coccineum *sunt* labia tua, et eloquium tuum amoenum est. Ut cortex mali punici *est* gena tua inter cirros tuos. 4 Ut turris Davidis *est* collum tuum, aedificata pro armamentario: mille clypei pendent in ea, cuncti umbones fortium. 5 Binae mammae tuae ut duo hinnuli *sunt* gemelli capreae, quae pascunt in liliis, 6 quoadusque afflet dies, et diffugiant umbrae.

(*his dictis maximo in illam intuens affectu et desiderio pergit*,

Accedam ad me ad montem myrrhae, ac ad collem thuris (3).
7 Tu tota pulchra *eris*, Amica mea, nec macula *erit* in te.
8 Veni de Libano, Sponsa, veni de Libano, veni! (4),

(1) Est ille ipse Currus de quo infra Cap. VI. v. 11.

(2) Inspicite in Cantico Canticorum Salomonis coronam qua Dilectum Hebraea natio suum esse Regem agnoscit, eumque coronat quum tempus edvenit Nuptiarum et gaudii cordis ejusdem Dilecti; quod tempus ab initio incipit conversionis Hebraeorum.

(3) Accedam tandem quo tamdiu cupio, ad patriam meam Judaeam, quae mox christiana mons erit myrrhae, collis thuris!

(4) De Templo, juxta illud,
*Aperi, Libane, portas tuas*.
De Templo autem vetere, hoc est de ritibus Mosaicae legis in Templo Ezechielico jamdudum ad hancEpocham restitutis.

Aspice a vertice Amanae, a vertice Seniri, et Hermonis, a domiciliis Leaenarum, a montibus Pardorum. 9 Rapuisti animum meum, Soror mea Sponsa, rapuisti animum meum *vel* uno ex oculis tuis, *vel* uno torque e monilibus tuis! 10 Quam pulchri sunt amores tui, Soror mea Sponsa, quam suaves sunt amores tui post Vinum! (1) ac odor unguentorum tuorum ex omnibus *est* aromatis. 11 Favus distillans *sunt* labia tua, Sponsa! mel et lac sub lingua tua *sunt*, et fragrantia vestimentorum tuorum *est* ut fragrantia Libani! 12 Hortus *es* clausus, Soror mea Sponsa, acervus praeclusus, fons obsignatus! 13 Missilia tua *sunt* pomarium malorum punicorum cum fructu quarumcunque pretiosarum frugum! Cypri *sunt* cum nardis, 14 nardus *sunt* et crocus, calamus et cinnamomum cum quovis thureo ligno: myrrha et santali cum praecipuis quibusque aromatis! 15 Fons *es* hortorum, puteus aquae vivae, ac e Libano stillantis!

*Sul.* 16 Excitare, Borea, et veni Auster; perfla Hortum meum, stillent aromata ejus! Veniet Dilectus meus in Hortum suum (2), et esurus est fructum pretiosarum frugum suarum.

*Dil.* (CAP. V.) 1 Venio in Hortum meum, Soror mea Sponsa, decerpam myrrham meam cum aromate meo, edam favum meum cum melle meo, bibam Vinum meum cum lacte meo!

(*laetissimus superiora pronunciat ac abit, et inter eundum dicit,*

Edite, Socii, bibite atque inebriamini, Dilecti. (3).

(1) Ut supra Cap. I.

(2) In Judeam, quae mox Hortus Dilecti futura est.

(3) Hebraeos alloquitur in Judaea, et per orbem diffusos, permultis gratiam conversionis tribuens.

## SCENA III.

*Personae praeter Dilectum eaedem.*

*Sulammitha semper in extasi et dormienti similis narrat, sese initio post conversionem suam non satis fuisse sollicitam de conversione reliquae Gentis suae, quanquam ut in eam incumberet, amantissime a Dilecto excitaretur. Cur autem satis sollicita non esset, fuisse causam, quod ob summam temporum difficultatem existimaret, fictione aliqua opus esse ad eam rem curandam, a qua fictione magnopere abhorret. Aucta ipsius caritate, hunc errorem ab ea per Dilectum fuisse depulsum, seseque prodiisse palam de Dilecto suo loquentem, sed neminem invenisse qui eum confiteretur: deprehensam vero ab Antichristi militibus, indigne ab iis habitam fuisse. Tum formam describit Dilecti sui, et quo nuper abierit narrat.*

*Sul.* 2 Ego dormio, sed cor meum vigilat! Vox Dilecti mei pulsantis *erat* = Aperi mihi, Soror mea, Amica mea! Nam caput meum plenum est rore, cirri mei nocturnis *pleni sunt* humiditatibus. =
3 Exui, *respondi*, tunicam meam, quonam modo induam illam? Lavi pedes meos, quonam modo eos inquinabo?
4 Dilectus meus manum suam immisit e foramine, et viscera mea commota sunt super eum! 5 Surrexi ego ad aperiendum Dilecto meo, et manus meae stillaverunt myrrha, et digiti mei *stillaverunt* myrrha ingruente per manubria pessuli! 6 Aperui ego Dilecto meo, sed Dilectus meus sese subduxerat, abierat! Anima mea exivit dum ipsum loque-

batur (1): quaesivi illum, sed non inveni: vocavi eum sed non respondit mihi! 7 Deprehenderunt me Vigiles circumeuntes Urbem: me percusserunt, me vulneraverunt! abstulerunt peplum meum a me custodes moenium! 8 Adjuro vos, Filiae Hierosolymae, si invenietis Dilectum meum, quid ei nunciabitis? Me aegram esse amore.

*Fil. Hier.* (*submissa voce.*) 9 Qualis *est* Dilectus tuus prae *quolibet* dilecto, o formosissima mulierum? Qualis *est* Dilectus tuus prae *quolibet* dilecto, de quo sic nos adjurasti?

*Sul.* 10 Dilectus meus candidus *est* et rubicundus, erectus Vexillum prae myriade (2). 11 Caput ejus aurum *est* purissimum solidum. Comae illius *sunt* acervi, nigrae ut corvus. 12 Oculi ejus ut columbae sunt juxta rivos aquae, lavantes sese in lacte, insidentes usque ad satietatem. 13 Genae illius ut areolae *sunt* aromatis, turriculae pigmentariorum. Illius labia *sunt* lilia; fluida stillant myrrha. 14 Manus ejus annuli *sunt* aurei, repleti Tharsis. Corpus ejus nitor *est* eboris tecti sapphiris. 15 Crura illius *sunt* columnae marmoreae constitutae super bases aureas. Forma illius *est* ut Libanus, selecta ut cedri. 16 Palatum ejus suavissimum *est*; et ipse totus *est* maxime desiderabilis. Is *est* Dilectus meus, atque is *est* Amicus meus, Filiae Hierosolymae.

*Fil. Hier.* (*submissa voce, ut supra.*) (CAP. VI.) 1 Quo abiit Dilectus tuus, o formosissima mulierum? Quo divertit Dilectus tuus; et eum quaeremus tecum?

(1) Hoc est, ego exivi, prodivi, in publicum de ipso loquens, illum nominans.

(2) Idest, erectus in cruce, atque ita effectus cum sua cruce Vexillum, ad quod sese quamplurimi recipiunt, qui abnegant semetipsos, tollunt crucem suam, et eum sequuntur; ipse omnibus qui crucem ferunt multo insignior atque praestantior.

*Sul.* 2 Dilectus meus descendit in Hortum suum, in areolas
aromatis, ad pascendum in Hortis, ad colligenda lilia.
3 Ego apud Dilectum meum *sum*, et Dilectus meus apud
me *est*!

## SCENA IV.

*Sulammitha, Dilectus, ceterae.*

*Pronunciante Sulammitha postrema verba, supervenit Dilectus, cujus praesentiam sentiens exclamat,*

*Sul.* O qui pascis in liliis!

(*his dictis, ita augetur illius extasis, ut amore paene deficere videatur.*

(*Fil. et Virg. venientem Dilectum summis excipiunt honoribus silentio.*

*Dil.* (*ad Sulammitham accedens, et amantissime intuens,*
4 Pulchra es, Amica mea, ut Thirsa, speciosa ut Hierosolyma, formidabilis ut acies vexillis instructae!

(*Sul. oculos in Dilectum amantissime intendit.*

*Dil.* 5 Deflecte oculos tuos a me: ipsi enim me fortiter ur-
gent. Crines tui *sunt* ut grex caprarum quae mane aqua-
tum veniunt a monte Galaado. 6 Dentes tui *sunt* ut grex
ovium quae ascendunt de lavacro, quae omnes gemillipa-
rae *sint*, nec orba in eis *sit*. 7 Ut cortex mali punici *sunt*
genae tuae inter cirros tuos.
8 Sexaginta erunt Reginae, ac octoginta Matronae, et Vir-
ginum non *erit* numerus (1). 9 Prima erit Columba mea,

(1) De Ecclesiis post Antichristum universo terrarum orbe constitutis est vaticinium, quarum minores Virgines, his majores Matronae, et quae istis dignitate antecellunt Reginae appellantur.

Immaculata mea (1): prima erit apud Matrem illius, Ele-
cta erit apud Genitricem ipsius (2). Videbunt eam Fi-
liae (3), et beatam praedicabunt: videbunt eam Reginae,
atque Matronae (4), ac eam collaudabunt. 10 Quae est
ista, *dicent*, quae sese ut aurora exserit, pulchra ut luna,
electa ut sol, formidabilis ut acies vexillis instructae?

*Sul.* 11 In Hortum nucis descendam (5), ut inspiciam recen-
tes Torrentis fructus (6); ut videam num Vinea fructum
afferat (7), num mala punica floreant.

*(Haec dum dicit, ipsa quae hactenus sub arbore Malo dormienti similis jacuerat, surgit, sese erigit, ac in sublimi ejusdem collis stat loco; sed semper in extasi. Tum pergit, quasi tamen incerta sit quid agat,*

12 Nescio: anima mea me currus ponit voluntarii Populi
mei (8).

*(Haec dicente, Collis repente vertitur in nobilissimum Currum. In eo Thronus est, in quo bini considere possint, nobilissima constratus purpura, et ab humo facile scansilis. Eodem tempore Sulammitha pretiosissimis induta vestibus paret, erectaque stat in dextro Troni loco, et in extasi adhuc perseverans.*

*a a*

(1) Ecclesia Hebraea, quae conjuncta cum reliquis omnibus Gentibus in unum Ovile collectis, unique Summo Pastori parentibus, maxime Hierosolymae florebit.

(2) Matrem, et genitricem Sulammithae semper in Cantico dici gentem hebraeam, supra monitum est.

(3) Filiae Hierosolymae, hoc est veteres Ecclesiae jam restitutae.

(4) Videbunt eam Reginae atque Matronae, de quibus supra dictum est, et eam summis extollent laudibus, illis ipsis quae versu sequente narrantur.

(5) In Judaeam nondum Christianam.

(6) Torrentis gratiarum, quas Dilectus paulo ante in Judaeam effuderat, quum dixit, *Edite, Socii, bibite atque inebriamini, Dilecti*. Cap. V. Scen. II. fine.

(7) Ipsa Judaea.

(8) Idest, ignotam in animo meo vim sentio, quae me vehicula esse vult, per quae ad Dilectum meum afferantur illi e Populo meo Hebraeo, qui promta vo-

(*His citissime actis, Currus magna cum dignitate abducitur, quasi Sulammitha jam iter capessat ac abeat. Filiae ac Virgines obstupefactae admirantesque tantam pulchritudinem ac magnificentiam, abeuntem Sulammitham revocant.*

*Fil.*, *et Virg.* (CAP. VII.) 1 Redi, redi, o Sulammitha: redi, redi, ut te intueamur!

(*Currus in Scenam reducitur, atque in medio sistitur; e quo*

*Sul.* Quid videbitis in Sulammitha? tanquam chorum duorum castrorum . . . . . (1).

*Fil.*, *et Virg.* 2 Quam pulchrae sunt cum calceis plantae tuae, voluntarii Filia! (2). Ambitus laterum tuorum *sunt* ut monilia, opus manuum praestantis artificis! 3 Umbilicus tuus crater *est* rotundus non cariturus mixto! Venter tuus acervus *est* triticeus liliis septus! 4 Binae mammae tuae *sunt* duo hinnuli capreae gemelli! 5 Collum tuum ut turris eburnea! Oculi tui ut piscinae in Hesebone ad portam Bath-rabbim! Nasus tuus ut turris Libani respiciens contra Damascum! 6 Caput tuum super te instar Carmeli *est*; et vitta capitis tui ut purpura: rex *est* alte-cinctus in cursibus! 7 Quam pulchra, et quam jucunda es, Dilecta, in deliciis! 8 Statura ista tua similis est palmae; et mammae tuae botris! 9 Dixi: conscendam in palmam, capiam ramos ejus. At sint, precor, mammae tuae ut botri vitis, et odor halitus tui ut *odor* pomorum; 10 palati autem tui

luntate assentiuntur gratiis a Dilecto meo nuper in illum effusis.

(1) Nihil videbitis nisi duo castra pugnantium, hinc pro Dilecto, in quibus ero ego, illinc contra Dilectum. Nam in Judaeam statui, ut populares meos, quotquot adhuc hostes Dilecti erunt, expugnem.

(2) Idest, Filia quae gratiis a Dilecto tibi large tributis, promtissima paruisti voluntate.

ut *odor* Vini Bonitatis (1), quod it ad Dilectum meum recta, leniter irrepens labia dormientium! (2).

*Sul.* 11 Ego apud Dilectum meum *sum*, et erga me illius desiderium *est*!

## SCENA V.

*Personae eaedem, atque Dilectus.*

*Dum superiora verba Sulammitha pronunciat, Dilectus venit, ad quem*

*Sul.* 12 Veni, Dilecte mi, egrediamur in agrum, pernoctemus in pagis, 13 diluculo surgamus ad vineas, invisamus an pullulaverit vitis, an uvam primam excluserit, an mala punica floreant! Ibi dabo tibi amores meos! (3). 14 *Invisamus* an mandragorae odorem emittant, et an ad fores nostras *sint* pretiosissimi quique fructus! Novos atque veteres, Dilecte mi, abscondam tibi!

(*Dilectus editis summi amoris significationibus currum conscendit.*

(*Sulammitha appropinquantem Dilectum sentiens amore colliquescit, ac sedet. Dilectus illi assidet ad laevam. Tum ad illum*



(1) Vini ab immensa bonitate Dilecti nostri de Sacrosancto Corpore suo expressi.

(2) Quod Vinum, ipse scilicet Sacrosanctus Sanguis, in extasim rapit, atque ad Dilectum fert recta illos qui summa illud caritate bibunt; quorum in labia veluti dormientium leniter irrepit, efficitque ut etiam in eo statu loquantur: quemadmodum, Dilecta, nunc tibi accidit.

(3) Ibi ita me geram, ut cognoscere debeas, te vere a me amari.

*Sul.* (CAP. VIII.) 1 Utinam mihi tanquam frater fuisses, mammas Matris meae sugens! (1). *Utinam* te foris invenissem, te osculata essem! (2). Me quoque non contemsissent (3). 2 Te adduxissem, te introduxissem in domum Matris meae (4); me docuisses! Propinassem tibi de Vino conditurae (5), de succo mali punici mei! (6).

(*ad haec verba multo magis colliquescens fere decidit.*

(*Dilectus eam dextera complectens amantissime fulcit, laeva cavet, ac tuetur, ne procidat. Quod ipsa sentiens*

*Sul.* Laeva illius sub capite meo *est*, et dextera illius amplexatur me!

(*Filiae, et Virgines tantum amorem admirantes, ac prae laetitia gestientes, gravius obstrepunt.*

*Dil.* 4 Adjuro vos, Filiae Hierosolymae, quare excitabitis, aut quare suscitabitis Dilectam? Quam diu velit.

(1) Utinam ego te, quando de Matre, hoc est gente mea Judaea nasci dignatus es, tanquam fratrem, ut eras, jam inde ab ortu tuo coluissem, teque divitiis gentis meae aluissem; non autem ut hostem, et crudelissima dignum morte habuissem, quam tibi, me miseram! intuli!

(2) Utinam saltem post tantum scelus meum te foris, apud alias Gentes quae te cognoverunt, invenissem, teque summo illo quo par erat obsequio coluissem! Apud veteres oscula summi olim erant obsequii signa.

(3) Notum est quanto contemtu habeantur ubique terrarum Judaei jam inde a caede Messiae.

(4) Gentis Judaeae.

(5) De Vino, quod consecratione tua conditum, fit Sanguis tuus.

(6) De Sanguine quoque meo, quem in testimonium pro te libenter, ut reliquae gentes, effudissem.

## SCENA VI. ET ULTIMA.

*Personae eaedem, et Praestigiatores.*

*Praestigiatores e praerupta via prodeuntes, conspicatique currum, et in eo Dilectum, et Sulammitham; gradum sistunt eo loci ubi ab Actoribus non conspiciantur. Ibi inter se colloquentes submissa voce interrogant,*

*Praestig.* 5 Quaenam isthaec *est*, quae sese erigit e Deserto, reclinata super Dilecto suo?

(*Sulammitha quae Dilectum audierat adjurantem Filias Hierosolymae, ne ipsam excitarent, occasionem ab ejus verbis capit commemorandi summo cum dolore mala, quibus gens Hebraea Dilectum sub cruce affecit.*

*Sul.* Sub arbore Malo excitavi ego te! Ibi perdidit te mater tua! ibi perdidit genitricem tuam! (1).

(*tum conversis in Dilectum amantissime oculis,*

6 Pone me instar sigilli super cor tuum, instar sigilli super brachium tuum! (2).

(*Filiae Hierosolymae tantam caritatem admirantes secum ipsae,*

*Fil.* Sane fortis est ut mors amor, durus ut sepulchrum zelus! (3). Scintillae illius (4) scintillae *sunt* ignis! *Est* flamma Dei!

*Dil.* 7 Aquae multae non poterunt extinguere hunc amorem, nec flumina illum inundabunt. (5).

(1) Ibi gens Hebraea mortem et tibi, et sibi attulit. Tibi quem cruci confixit; sibi, effuso sanguine tuo, cujus sceleris poenam super se, Filiosque suos poposcit, atque ut merita est tulit.

(2) Ne unquam mei obliviscaris, sed semper in corde, ac ante oculos tuos habeas.

(3) Sane amor et zelus, quo Sulammitha flagrat, fortis est ut mors, quam vincere nihil potest, durus ut sepulchrum, quod flectere frustra speres.

(4) Sulammithae.

(5) Populi scilicet frequentissimi Gogicorum temporum extinguere caritatem Hebraeorum non poterunt. Vide declarationes.

*Virg.* Siquis pro amore omnem det domus suae substantiam, prorsus contemnent eam.

(*Praest. aliquanto propius accedunt, ut melius audiant.*

*Fil. Hier.* (*ad Dilectum*) 8 Soror nobis parvula *est*, nec mammas habet: Quid faciemus de Sorore nostra, quo die per ipsam loquendum *erit?* (1).

*Dil.* 9 Si murus *erit*, super eum aedificabimus Arcem argenteam; aut si janua *erit*, super eam compingemus Tabulam cedrinam.

*Sul.* (*ad Fil. Hier.*) 10 Ego murus *ero*, et mammae meae sicut turres *erunt*. Tunc ero in oculis Ejus tanquam pacis inventrix (2).

11 Vineam habuit Salomon pro Domino multitudinis (3). Vineam dabat custodibus: unusquisque afferebat pro fructu illius millia argenteorum. 12 Vineam meam, quum mihi *erit*, coram me *erit* (4). Ea millia tibi *sint*, Salomon; et duceni *sint* custodibus fructus illius!

(*Praestigiatores, homines avarissimi, audita pecuniae commemoratione propius etiam accedunt.*

*Dil.* (*ab extasi Sul. revocans.*) 13 O quae in Hortis habitas, Praestigiatores vocem tuam auscultant: auditum me facito.

*Sul.* (*excitata*) 14 Fuge, Dilecte mi, et similem te facito capreae, hinnulove cervarum super montes aromatum.

## Finis.

(1) Vide declarationes.

(2) Tunc quum per me loquendum erit pro tuendis Sacrosanctis Domini dogmatis, murus ero inexpugnabilis; et lac doctrinae, quod praebebo, a me tanquam ab insuperabili turre proficiscetur: atque haec agens ero in oculis Dilecti mei tanquam pacis inventrix, debellatis dogmatum hostibus, et ad unitatem Ecclesiae reductis; iisdemque perlibenter redeuntibus atque sincere.

(3) Idest, Hebraeorum rempublicam regendam habuit Salomon loco Domini illius multitudinis, ipsius Dei.

(4) Eam ego mercenariis non locabo.

# CANTICI CANTICORUM

## DECLARATIONES.

## TITULUS.

1 *Canticum Canticorum quae sunt Salomonis.*

Titulus est operis auctorem illius ostendens, et Drama commendans. Eum habent Hebraei, et Septuaginta: in Vulgato desideratur. Est autem hebraicum dicendi genus, quum quiddam in aliquo genere summum significare volunt; cujus generis quaedam exempla Sanctius in Prolegomenis laudat, ut *Sancta Sanctorum*, *Sabbata Sabbatorum*, *Virgo Virginum*; et eruditi quaedam etiam e profanis afferunt scriptoribus, ut a Sophocle δειλαία δειλαίων, *misera miserarum*, hoc est omnium miserarum miserrima. Quamobrem more nostro dicendum esset, *Canticum omnium quae Salomon edidit praestantissimum*.

Septuaginta verterunt, *Canticum Canticorum quod est Salomonis*. Sed ejus dicendi generis in titulis ad indicandos tantum auctores nullum exemplum est. Houbigantius interpretatur, *Canticum Canticorum quod est de Salomone*; cui interpretationi argumentum Dramatis plane contrarium est.

## SCENA PRIMA.

### (Caput Primum)

2 *Osculetur me post oscula os ejus!*

Quum Dramatis actio incipiat statim a tempore quo celebrata una erant divina Mysteria, ut dictum est, in quibus augustum Dei Dominique nostri Jesu Christi nomen persaepe a

Sulammitha et auditum et pronunciatum erat, hoc exordium non est Sulammithae sermonis initium; sed, quod fieri maxime in Dramatis solet, est continuatio precum quas Dramatis auctor vult ut intelligamus habitas ante a Sulammitha fuisse dum ipsa divina Mysteria celebrabantur. Hisce de causis pro nomine ipso *Jesu* posuit pronomen *ejus*: *osculetur me os ejus*, Jesu Christi scilicet, qui appellari nomine suo non potuit, *ut sermo clausus esset usque ad praefinitum tempus*, juxta Danielis Vaticinium (1).

*Post oscula* quid sit, a verbis quae infra bis repetuntur cognoscendum est, *post Vinum*, hoc est post sumtas Vini species dum sacra mysteria peragebantur. Sed haec verba proprie ad Vini pertinent species: *oscula* utrasque complectuntur Panis et Vini. Nam quia ore sumuntur, et sub ipsis est vero totoque corpore suo Jesus Christus Deus et Homo, is qui eas sumit, os suum admovet ori Domini Dei sui. Qui si digne amanterque suscipitur, profecto ipse quoque amanter os suum admovet illius ori qui sumit, cui sese totum ob summum amorem suum communicat. Haec oscula sunt quae hic Sulammitha commemorat.

Quod autem ait *osculetur me post oscula os ejus*, eo Sulammitha petit a Patre Dominoque nostro, ut, quando Filius ejus dignatus est ad mutua venire oscula, dum sese illi sub sacris speciebus communicavit, dignetur etiam perpetua ipsam caritate prosequi post perceptionem tanti mysterii. Oscula enim petit, quae signa esse amoris, nemo est qui nesciat: ac a Patre oscula petit Filii propter illud, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* (2).

*Post oscula* in Hebraico est *ab osculis*, praepositione quae significat etiam *post*, ut alibi vidimus, ut eadem praepositio *a*

(1) Dan. XII. 4. 8. 9.

(2) Joann. XIV. 13.

etiam apud Latinos. Eam praepositionem Septuaginta expresserunt ἀπὸ φιλημάτων *ab osculis*, Vulgatus omisit; qui praeterea plurale nomen singulari reddidit.

*Os ejus* פִּיהוּ, *piuh*, nominativo accipiendum est. Hebraei casus non inflectunt ut Graeci, et Latini. Inde oritur interpretandi varietas, sententiarumque multitudo, quas sermo Hebraeus exhibet, non item alii sermones.

*Sane optimi* sunt *amores tui post Vinum*.

Occasione petitionis quam Sulammitha superioribus verbis ad Patrem emiserat, Filiae Hierosolymae profitentur, nihil dulcius, nihil suavius, nihil melius esse quam post perceptionem divinorum mysteriorum in deliciis versari ab amore manantibus Domini nostri Jesu, quem alloquuntur; quippe qui tunc intra nos vere realiterque est sua substantia, quoadusque sacrae species perseverant incolumes.

*Sane* apud Hebraeos est particula כִּי, *chi*, quae fere semper a Septuaginta Vulgatoque vertitur *quia*, licet permultas alias habeat significationes in quibus est significatio asseverandi, *sane*, *certe*, *omnino*, *profecto* (1); quae hujus loci propria est.

*Amores tui* proprie ut est in hebraico דֹּדֶיךָ, *dodècha*, pro quo veteres pronunciasse oportet דַּדֶּיךָ, *dadècha*, *mammae tuae*; et hinc sunt Septuaginta μαστοί σου, Vulgati *ubera tua*.

*Post Vinum* hebraice מִיָּיִן, *mijàin*, *a vino*, eadem praepositione de qua dictum est supra, quae quum *post* quoque significet (2), in comparationibus est *prae*. Comparationem esse hoc loco censuerunt Septuaginta, qui praepositionem expresserunt, ὑπὲρ οἶνον, *super vinum*, seu *prae vino*, et eos Vulgatus sequutus est. Ea praepositionis significatione, quam adhi-

*b b*

(1) Montald. pag. 543.

(2) Idem pag. 617.

buimus, nulla hic est comparatio, sed totus est de Sacris Vini speciebus sermo; et *post Vinum* nihil aliud est, nisi post epotas sacras illius species.

3 *Ob fragrantiam unguentorum tuorum optimi* sunt.

Causam cur optimi sint amores Jesu post percepta sacra mysteria explicant Virgines illum alloquentes, nempe suavitatem gratiarum, quas tunc maxime in eos qui digne accedunt effundit. Id a sequentibus manifestius est.

*Ob fragrantiam* prorsus ut in Hebraico לְרֵיחַ, *lereahh*; neque aliter interpretari verbum de verbo possumus; et ita Montaldus quoque (1).

*Unguento perfusus es Nominis tui!*

Quod nomen est Messias hebraice, Christus graece, Unctus latine; nomen omnimodae suavitatis plenissimum, indicansque non modo Jesum omnium gratiarum plenitudinem in sese habere, sed etiam esse fontem ipsum e quo solo in homines gratiae derivantur, quibus Christi *bonus odor* efficimur (2). Quae quidem gratiae quam suaves sint, et quam gratum et suave olentem eas accipientibus reddant ipsum earum fontem Jesum Cristum Dominum, dicendo assequi nemo potest. Et quum eas Jesus tunc maxime largiatur quum digne suscipitur, quod Sulammitha paulo ante fecerat, idcirco iis cumulata exclamat ad Jesum, *unguento perfusus est nominis tui*, manifesta paronomasia, et superiorum sententiarum continuatione.

*Perfusus es* תּוּרַק, *thurac*, quae vox est secunda persona masculina futuri *Hophal*, sed, ut passim, significatione praeteriti. Mirum est interpretes de hac secunda persona non cogitasse, quum non deerit apud Mercerum Abenezras, qui minime quidem recte, sed tamen esse dixit tertiam foemineam

(1) Pag. 1406.

(2) II. Cor. II. 15.

('nam vox utrique servit personae) genere dissidente a שֶׁמֶן *unguento*; cujus anomaliae nulla est necessitas. Sed vocem omnibus invitam modis conjungere cum nomine illo שֶׁמֶן omnino voluerunt. Itaque multa interpretationum genera tentata sunt; quod erat unicum, illud relictum est. Et quum vox manifeste sit verbum, plerique tamen nomen esse posuerunt, hi substantivum, ut Munsterus *oleum evacuationis*, hi adjectivum, ut Mercerus ex Kimchio *fusile*, vel *sparsile*, hi denique loci qui *Turach* appellaretur, ut nonnulli apud eundem Mercerum; sed omnes proprio marte, nullo auctore, nulloque exemplo; quum vox semel hic tantum occurrat, et se verbum esse, non nomen, ipsa sua structura mirifice prodat.

*Juxta Truncum Virgines te amant!*

Locus est ubi Sacrosancta Crux nominatur illis verbis quae jam pluries vidimus עַל כֵּן *hal Chen*.

Hanc sententiam summo cum gaudio pronunciant Filiae Hierosolymae, hoc est Ecclesiae veteres. Nihil est enim quo magis Ecclesia laetetur, quam gentium conversione ad Dominum nostrum Jesum. Virginum autem nomine gentem etiam complectuntur Hebraeam, quae nunquam tota Sponsum habuit Jesum, quem post Antichristum habitura est.

4 *Trahe me!*

Sulammitha edocta jam quae de se ipse docuit Jesus, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (1), Patrem enixe orat ut ipsam gentemque suam trahat.

*Pone te curramus!*

Hebraeae gentis conversio cum conversione reliquarum omnium gentium conjuncta est. Quamobrem Virgines preces suas adjungunt precibus quas Sulammitha pro conversione Hebraeo-



(1) Jaonn. VI. 44.

rum superioribus verbis effuderat, et pro sua quaeque gente precantur. Quanto autem postulent affectu, noscendum est a verbis Domini nostri, *Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (1). Nam hae non modo sequi, sed currere optant, ac petunt:

*Curramus*, et quae sequuntur verba futuri apud Hebraeos temporis, optandi petendique, ut saepe, habent significationem, et perinde sunt ac si dicant, *Fac ut pone te curramus, ut exultemus, ut laetemur in te, ut commemoremus amores tuos*.

Quae sequuntur verba in editione Latina, *in odorem unguentorum tuorum*, in Hebraico non sunt, sed translata sunt e graeco Septuaginta Interpretum.

*Adduc me, o Rex, in penetralia illius!*

Hoc est ad profundam et intimam Jesu Christi cognitionem, in qua vita aeterna est, quemadmodum ipse Dominus docuit: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (2).

*Adduc me, o Rex*. Hebraica Scriptura הביאני habet ambiguitatem, et litera ה praeposita nominibus aequivoca est. Prima illa vox si pronuncietur הֱבִיאַנִי, *ebiani*, significat *me adduxit*; si pronuncietur הָבִיאֵנִי, *abieni*, significat *adduc me*. Litera vero ה praeposita nominibus interdum aequivalet articulo praepositivo Graecorum ὁ, ἡ, τὸ (il, la, lo), interdum est adverbium *o* vocandi. Priorem pronunciandi rationem, et significationem articuli sequuti sunt omnes quotquot habemus Interpretes, illique ipsi qui puncta vocalia scripserunt. Secundam, et significationem adverbii postulare visus est contextus; quum omnia hic optantium et precantium, non affirmantium more dicantur: qua de re pii doctique judicent viri.

*Penetralia*: חֲדָרִים, *hhadarim*, ait Montaldus (3), *penetralia*,

(1) Matth. XVI. 24.
(2) Joann. XXVII. 3.
(3) Pag. 282.

*Vulgato sunt cellaria*. Eadem significatione atque Vulgatus Septuaginta εἰς τὸ ταμεῖον αὐτοῦ interpretati erant.

Cetera non egent declarationis.

*Te rectissime amant!*

In hac tota Scena observandum est, quam deceant Filias Hierosolymae, hoc est veteres Ecclesias, et praesertim earum principem Romanam, partes quas agunt. Nam et de rebus, quas novae Ecclesiae faciunt, judicant ut magistrae, quemadmodum hoc loco, et supra illis verbis, *Sane optimi sunt amores tui post Vinum*; et de conversione novorum hominum maxime laetantur, ut aliis, *Juxta Truncum Virgines te amant!*

*Rectissime*: more hebraico *rectitudines*, *recta*.

## SCENAE II.

### DECLARATIONES.

Sul. 5 *Nigra ego sum etiam formosa, Filiae Hierosolymae!*
*Ut tentoria Cedarenorum sum, ut aulaea Salomonis!*

Utut formosa videri vobis possim, Filiae Hierosolymae, propterea quod rectissime, ut dicitis, Deum Dominumque nostrum Jesum Christum amem: attamen vere nigra sum ut tentoria Cedarenorum, ut aulaea Salomonis! Quae verba, et ea quae proxime sequuntur, permagnae humilitatis argumenta sunt. *Cedareni*, sive Arabes Scenitae neque urbes, neque domos habebant, sed vagi huc illuc vitam in tentoriis agebant contextis e caprarum pilis, quae nigrae apud eos erant. Vide Calmetum ad hunc locum. *Aulaea Salomonis*, hoc est regia ipsius tentoria, quae optimis nigerrimisque pilis contexerentur.

6 *Nolite me intueri: nam ego nigerrima sum, ex quo me Sol invisit!*

Me quorumcunque hominum, nedum aspectu vestro indi-

gnam nolite intueri, sanctissimae Filiae Hierosolymae. Nigerrima enim sum, ex quo *Lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum .... in propria venit, et sui eum non receperunt*. (1). Ex eo tempore, per tot secula, Hebraea gens ego perquam nigerrima sum. *Sol* Dominus noster Jesus Christus alibi etiam appellatus est: *Sol enim et clypeus est Dominus Deus* (2); qui Sol *visitavit, et fecit redemtionem plebis suae* (3).

*Ex quo me Sol invisit*. *Ex quo* apud Hebraeos est praefixum pronomen שֶׁ, quod vices gerit integri pronominis אֲשֶׁר (4), atque habet omnes significationes hujus vocis proprias; quae *saepissime particulas exprimit, ut adverbia temporis, videlicet, cum, quando, postquam* (5). Hujus postremae significationis *ex quo* synonyma est. *Invisit*: videndi est propria verbi שָׁזַף significatio. Hic *Vulgatus per effectum causam exponit*: *in quem enim Sol suos radios defigit, ipsum decolorat* (6).

*Filii matris meae ira exarserunt in me: posuerunt me custodem vinearum*:

Hebraei scilicet mei populares. Nam Sulammitha persona est allegorica, ut dictum est, conflata ex Hebraeis jam christianis effectis, qui communem habent cum omnibus aliis Hebraeis matrem, ipsam eorum nationem. Illud enim animadvertere, ac meminisse opportet, *Matris* nomine semper in Cantico nationem Hebraeorum significatam esse; quo nomine ab Isaia quoque fuisse appellatam jam vidimus his verbis: *Ubi est iste liber repudii Matris vestrae, quo illam dimiserim? aut quis est e creditoribus meis, cui vos vendiderim? Ecce in iniquita-*

(1) Joann. I. 9. et seqq.
(2) Psalm. LXXXIII. 12.
De Apol. Cap. XVIII.
(3) Luc. I. 68.
(4) Montald. pag. 1493.
(5) Ibidem pag. 75.
(6) Ibidem pag. 1600.

*tibus vestris venditi estis, et in praevaricationibus vestris Mater vestra dimissa est!* (1). Is igitur est sensus: Hebraei mei populares ira exarserunt in me, hoc est in eam gentis meae partem, quae ut ego nunc feci, Messiam et ejus fidem accipiebat, et exordia Ecclesiae hebraeae christianae, cujus personam gero, jam tum statuere conabatur. Iidem *posuerunt me custodem vinearum*, idest voluerunt, ut haec quoque pars, relicto Messia, una cum ipsis ad tuendum Hebraeorum locum et gentem concurreret. Quae res ab Evangeliis notissima est. *Multi ergo ex Judaeis, qui venerant ad Mariam, et Martham, et viderant quae fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt eis quae fecit Jesus. Collegerunt ergo Pontifices, et Pharisaei concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem* (2). Istud ipsum cavere ne omnes Judaei crederent in Jesum, metu amittendi locum et gentem, erat omnes Judaeos, illosque etiam qui crediderant, *ponere custodes vinearum*, hoc est velle ut omnes urbem, oppida, solum, agros, vineas Messiam deserendo tuerentur. Quantopere autem Judaeorum *ira in suos illos populares exarserit* qui Messiam deserere noluerunt, notissimum est. Ex quo factum est, ut hi sese contulerint ad Gentes et vera Ecclesia Dei apud Hebraeos qui christianam non receperunt fidem, interierit: quod Sulammitha verbis quae sequuntur, summo cum dolore commemorat.

*Vineam meam, quae apud me erat, non custodivi!*

Ecclesiam meam, veram Dei Ecclesiam quae apud me, seu gentem meam erat, non custodivi.

*Quae apud me erat*, hebraice unico verbo שֶׁלִּי *scelì*, quam vocem Septuaginta, et Vulgatus omiserunt.

(1) Isai. L. 1. supra Vatic. IV. (2) Joann. XI. 45. seqq.

Sul. 7 *Indica mihi, tu quem diligit anima mea, ubi pasturus, ubi cubiturus sis in meridie! Nam qua de causa ero ut quae Greges protegit Sociorum tuorum?*

Sulammitha, hoc est Hebraea gens initio conversionis suae, memoria repetens, vehementerque dolens, veram Dei Ecclesiam a veteribus Judaeis amissam ob ipsorum incredulitatem fuisse, illorumque posteros per tot secula inde ab eo tempore in eadem incredulitate pertinacissime mansisse, indignam se putat, quae, postquam tota fidem acceperit, aliquam habeat inter Ecclesias christianas dignitatem, sitve ulla peculiaris ecclesia, cujus sit, more ceterarum, protegere greges sociorum Dilecti, nempe illorum qui ipsius profitentur fidem; et in qua Dilectus ipse *pascat et cubet in meridie*, hoc est in tanta illa christianae religionis Luce, quae, receptis ad illam omnibus prorsus gentibus, toto terrarum orbe micatura est. Quamobrem satis habens, si norit ubi Dilectus pasturus cubiturusque sit, quo sese cum illo consociet, ipsumque sequatur; id sibi tantum ut indicetur, postulat; de cetero maxime sentiens, nihil sibi esse meriti aut causae, cur esse aliquando debeat ut quae greges Christianorum protegat, cujusmodi sunt ecclesiae.

*Nam qua de causa ero ut quae Greges protegit Sociorum tuorum?* שַׁלָּמָה, quod Septuaginta verterunt μήποτε *nequando*, Vulgatus *ne*, proprie significat *nam quare* (1). Pro *vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, quae habet Vulgatus, in hebraico est *ero ut obvelans*, vel *operiens*, vel *amiciens* (haec enim verbum עֹטְיָה significat) (2) *super greges Sociorum tuorum*; metaphora a gallinis ducta, quae alis pullos suos operiunt, et ab insidiis accipitris tuentur; ac juxta illud Domini nostri ad Hiersolymam, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas* (3).

(1) Montald. pag. 1494.
(2) Idem pag. 939.
(3) Matth. XXIII. 37.

Dill. 8. *Nonne nosti? apud te, o formosissima Mulierum.*

Nonne nosti ubi pasturus, ubi cubiturus sim in meridie, in tanta illa luce, quae mox post Antichristi caedem universum invadet terrarum orbem? Apud te quoque pasturus, apud te quoque cubiturus sum; apud gentem tuam, ac Hierosolymae.

Hunc locum satis varie interpretati sunt. Versiones Vulgata, Syriaca, Arabica, et Aethiopica, *Si ignoras te*; Septuaginta, *Nisi agnoveris teipsam*; Arias Montanus, *Nisi cognoveris tibi*; Mercerus, *Si nescis tibi*, atque hoc *tibi* ( לָךְ ) idem Mercerus, itemque Ainsworthus redundare putarunt; Munsterus, *Si ignoras apud te*; Pagninus, *Si nescias*; Castalio, *Si istud nescis*; Tunius et Tremellius, Piscator, Ainsworthus, *Quandoquidem ignoras*; Houbigantius, *Quoniam id non nosti*.

Sed quum vocula אִם, *im*, non semper sit conditionalis *si*, verum persaepe sit *Particula interrogativa an, num, utrum, annon, nonne*, ut inquit Montaldus qui aliquot laudat exempla (1), hoc sensu hic accipienda est; ut אִם-לֹא, *im lo*, plane sit *an non*, seu *nonne*.

*Apud te*, לָךְ, *lach*, communius *tibi*: sed praeter Munsterum quem supra interpretatum esse *apud te* vidimus, Montaldus quoque hanc significationem tradit, et laudat exemplum (2). Sic paulo ante שֶׁלִּי, *scelì*, *quae apud me erat*.

*Exi pone te per vestigia gregis, et pasce Haedos tuos circum tabernacula Pastorum.*

Hoc est, sequere vestigia gregis tui, populi Judaei quum mox christianus erit, ac pasce ejusdem gregis tui Haedos, duces ipsos et verbi Dei praecones, circum tabernacula Pastorum, omnes Episcoporum ecclesias, eo a te mittendos, et ibi



(1) Pag. 44. (2) Pag. 585.

quoque auctoritate sua pascendos, etsi intra fines futuri sint peculiaris aliorum Episcoporum jurisdictionis.

Pergit enim Dilectus ex iis ipsis rebus quae mox post caesum Antichristum fient, ostendere Sulammithae, quod ipsa quidem norat, sed eo sese indignam existimabat, Ecclesiam hebraeam permagnae fore dignitatis et auctoritatis.

Sed ut et superiora verba intelligantur, et declarationis ratio constet, meminisse oportet quod alibi dictum est, Christianam Hebraeorum ecclesiam admirabiles uberrimosque ubique gentium evangelicae praedicationis fructus collecturam esse; quam rem Micheas luculente in primis vaticinatus est. Locum ipsum huc afferre juvat, ut alias declaravimus: sed ut lectores totam vaticinii seriem inspiciant in Libro de Apologia catholicae religionis, etiam atque etiam rogo. *Erunt autem reliquiae Jacobi* (1) *in medio Populorum multorum* (2) *tanquam rosa Domino* (3), *tanquam stillae pluviae super herbam quae non expectet virum, neque desideret filios hominum* (4). *Imo erunt reliquiae Jacobi in Gentibus, in medio Populorum multorum, tanquam leo inter Silvestres belluas, tanquam leo juvenis in gregibus ovium, qui si transierit, et proculcaverit, depraedatusque fuerit, jam nemo qui eripiat erit* (5). *Manum tuam*, Judaee, *contra hostes tuos attolles, et omnes inimici excidentur tui* (6). Sed de his alias fortasse copiosius.

(1) Judaei: paucissimi autem tunc temporis superstites erunt, partim bello Judaico, partim insolentia Victoris, partim ipso Antichristi excidio, quem Messiam esse sibi persuadebant, consumti.

(2) Qui Antichristi flagitiosam religionem acceperant, quam Judaei christiani jam facti summis ac totis viribus dedocebunt.

(3) Qui Judaeorum praedicationem copiosissimis gratiis adjuvabit in omnes integros Populos conferendis.

(4) Quae scilicet crescat statim ac ros ac pluviam a Domino acceperit, nec egeat cultu hominum alio.

(5) Tanto est successu Judaeorum Christianorum praedicatio a Messia cumulanda.

(6) Mich. V. 6. 7. 8. quem vide de Apol. Cap. XIV. Nullos autem alios tunc

*Apud te* est illud ipsum לך, *lach*, de quo supra dictum est, eandemque hic habet significationem *apud*.

9 *Equitatui meo in curribus Pharaonis similem te habeo, Amica mea.*

Ardens illud Hebraeorum studium propagandae ubique terrarum Christianae fidei, quod e Michaeae vaticinio cognitum est, eos sine controversia optimos Christi milites efficiet; juxta illud Apostoli ad Timotheum: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus miles Christi* (1). In omni autem militia copiarum pars quae plurimum habet roboris, est equitatus. Quamobrem Hebraeos post Antichristum fortissime omnium, tantoque successu, quantum intelleximus, pro Christo militantes atque pugnantes, Dilectus *equitatus sui* loco sese habere dicit. Et quasi id non satis sit ad aequandam Ecclesiae Hebraeae laudem, addit *in curribus Pharaonis*, juxta veterem morem pugnandi de curribus, iisdemque insiliendi in hostes: quo genere pugnae praestantissimi olim erant Aegyptii equi, ut ab his constat Isaiae verbis: *Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt, et super equitibus, quia praevalidi nimis* (2).

10 *Pulchrae sunt genae tuae in orbibus, pulchrum est collum tuum in monilibus.*

In orbibus qui ab auribus tuis pendent, et genis splendorem et pulchritudinem addunt. Hebraice proprie *in turturibus* בתורים, *bathorim* (pro quo Septuaginta et Vulgatus videntur legisse כתורים, *cathorim*, *sicut turtures*, ut et quod sequitur *in*



hostes Judaei sunt habituri, nisi hostes Messiae, illiusque religionis.

(1) 2. Tim. II. 2. 3.

(2) Is. XXXI. 1.

*monilibus*) quod inaures fortasse aliquando turturum, aut aliarum avicularum formam habuerint. Hic autem Sulammithae decor ob praeclaram ipsius fidem laudatur, quae est *ex auditu*; quaeque in auribus illius continenter personans, ipsam pulcherrimam efficit.

*Collum tuum in monilibus*, hoc est in jugo, seu cum jugo illo, de quo Dilectus in Evangelio ait, *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (1). Hoc enim jugum est Ecclesiae monile.

11 *Orbes aureos faciemus tibi cum interpunctionibus argenteis*.

Idest purissimam tibi fidem splendidissimis quibusque virtutibus ornatam Pater, Ego, et Spiritus Sanctus tibi largiemur.

Sul. 12 *Quoadusque Rex erit in ambitu suo, nardus mea efflabit odorem illius*.

Quoadusque Rex, ipse Dilectus meus Rex regum et Dominus dominantium (2), per fidem Hebraeae gentis meae in ambitu erit terrae patriae suae Judaeae, gens mea, quae instar nardi parvula in Ipso planta est, quippe quae nunc primum fidem illius accipit, odora nardus effecta illius odorem efflabit, hoc est *Christi bonus odor erit* (3).

Haec Sulammitha gratissimo profert animo, totum a Dilecto suo agnoscens quidquid boni atque perfecti habet, ac habitura est.

*Erit*: hujus verbi apud Salomonem ellipsis est, quam Septuaginta retinuerunt, Vulgatus verbo *esset* implevit. Futurum tempus ordo ipse rerum et sententiarum postulare visus est.

(1) Matth. XI. 30.
(2) Apoc. XIX. 16.
(3) II. Cor. II. 15.

*In ambitu*, seu *circuitu*: haec propria est vocis מֵסַב signi-gnificatio (1).

*Odorem illius*, scilicet Regis; Sic etiam Septuaginta ὀσμὴν αὐτοῦ.

13 *Fasciculus myrrhae* est *Dilectus meus mihi*, *in sinu meo pernoctabit*!

Eum in corde meo die noctuque habebo: neque ut puellae faciam, quae florum herbarumque odoriferarum fasciculos in sinu gestant die, noctu deponunt, aut jam arentes abjiciunt. Dilectus meus semper virens, semper odorus est; atque hoc magis quo ferventius et amantius fovetur in sinu.

*In sinu meo*: tectius illud ipsum dicitur quod in Textu est *inter mammas meas* (a more puellarum ducta similitudine), et apud Septuaginta ἀναμέσον τῶν μαστῶν μου. Nam, nescio quo pacto, his moribus atque hoc tempore inhonesta dicere ac facere vix quemquam pudet; suis appellare nominibus, quum honestum est, ea quibus inhoneste utuntur, plerique omnes horrere se simulant. *Pernoctabit* est propria verbi Hebraei significatio (2).

14 *Botrus cypri* est *Dilectus meus mihi* virentis *in vineis Hen-Gedi*.

Cyprus juxta Calmetum *arbuscula est mali punici altitudine*, *foliis oleae similibus*, *albo et odorato flore*, *fructu instar racemi pendente*, *atque odore suavissimo*. Juxta Menochium est *arbuscula in Syria frequentissima* . . . . . . , *et vites quae juxta arborem hanc nascebantur* (*quod potissimum fiebat in Vineis Engaditicis*) *in botris Saporem et odorem cypri referebant*, *ideoque in pretio habebantur*. Juxta Tirinum, *Cypri flosculi odoratissimi instar uvarum coeunt in botros*. Juxta Mer-

(1) Montald. pag. 480.

(2) Montald. pag. 599.

cerum *Cyprus fuit frutex inter vites crescens*; et aliis aliud est, quorum quid proprie sit, nihil interest nosse, quum satis sit hoc scire quod planum est, aliquid gratissimum et suavissimum fuisse, in vineis Hen-Gedi praecipue nascens et virens.

Dil. 15 *Ecce tu formosa es, amica mea, ecce tu formosa es! Oculi tui vim faciunt!*

*Oculi tui vim faciunt*, hebraice עֵינַיִךְ יוֹנִים, *henàich jonim*, quam postremam vocem omnes video interpretatos esse *columbas*. Ambigua enim est, quum possit esse plurale nomen tam ab יוֹנָה, *jona*, *columba*, quam a participio praesentis temporis יוֹנֶה, *jonè*, *opprimens*, *vim inferens*, aut *faciens*, ab radice יָנָה (1). Mihi quidem haec posterior ratio magis arridet, quae sententiam habet valde perspicuam, nempe tantam esse Sulammithae erga Dilectum caritatem, ut is eam non plurimum amare nequeat. Caritas enim vim Deo facit, qui odisse amantem nequit. Sed quum utrumque habeat Textus sensum, laudabo qui utrumque probet.

Sul. 16 *Ecce tu formosus es, Dilecte mi, atque suavis! Lectus quoque noster virens est! Tigna domorum nostrarum cedrina* sunt, *laquearia cypressina*!

*Lectus quoque noster virens est*. Epocha conversionis Hebraeorum est epocha *Nuptiarum Agni*, de quibus Joannes in Apocalypsi haec memoriae mandavit. *Audivi quasi vocem turbae magnae, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluja! quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens! Gaudeamus omnes, et exsultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt Nuptiae Agni, et Uxor ejus praeparavit se, et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti, et candido. Byssinum enim justi-*

(1) Montald. pag. 453.

*ficationes sunt Sanctorum* (1). Uxor autem est haec ipsa Sulammitha, scilicet Christiana Hebraeorum Ecclesia, quae Gens, ex quo Messias advenerat, nec unquam sese nuptiis cum Agno Deo Dominoque nostro Jesu celebrandis praeparaverat, nec ei datum adhuc fuerat, ut se splendente candidoque byssino cooperiret, ipsis Sanctorum justificationibus, hoc est Christianorum. Sic enim Apostolicis temporibus Christiani nominabantur, ut ab eorumdem Apostolorum epistolis manifestum est. Quum autem hoc ipso tempore, ad quod actionem Dramatis pertinere diximus, quorundam Hebraeorum conversio evenerit, omnium vero proxima sit; inde est quod Sulammitha nuptialem thalamum Dilecti et suum pronunciat esse virentem, a pomiferis arboribus ducta metaphora, quae quum vere appetente virent, earum flores et fructus in proximo sunt. Exciso enim mox Antichristo, flores fructusque ex omnibus Hebraeis optimi erumpent.

Cetera hujus loci verba magnificentiam suavitatemque odoris Christianae Hebraeorum Ecclesiae declarant.

Sul. (Cap. II.) 1 *Ego rosa Saronis! Lilium convallium!*

Loca quae Saronis nomine nuncuparentur, quatuor fuerunt, de quibus vide Calmetum; et nomen hoc praeterea planitiem campumque significat. Sed quocunque modo interpretere, mens sacri Scriptoris manifesta est loquentis de floribus qui praestantissimi omnium haberentur, et sermo est allegoricus. Nam Sulammitha, hoc est christiana Hebraeorum Ecclesia indignam sese reputans qualibet inter Christianos dignitate, quia gens Hebraea tam diu, tam turpiter, tam perfide Messiam Dilectum a se repulisset, admiratione, contemtuque sui plenissima, et factum gentis suae maxime detestans, eodemque tristis ac moerens haec verba pronunciat, proximam suam

(1) Apoc. XIX. 3. et seqq.

dignitatem atque praestantiam conferens dignitati ac praestantiae rosae liliique Saronis.

Conjunctio *et* quae est in Vulgato, non est apud Septuaginta, nec in Hebraeo, in quo asyndetos haec oratio plurimum auget affectus.

Dil. 2 *Ut lilium inter spinas, sic Amica mea* est *inter Filias*!

Hoc est inter alias Ecclesias.

Sul. 3 *Ut Malus inter Silvestres arbores, sic* est *Dilectus meus inter filios*!

Ut Crucis arbor ceteris praestat arboribus, ita Dilectus meus omnibus praestat hominibus. Non est dubitandum, quin Malus arbor hoc loco Crucem significet. Nam quae sequuntur usque ad versum Septimum rem ita manifestam faciunt, ut nihil desiderari amplius possit. Illud fortasse quis quaerat, cur Malus prae ceteris arboribus electa divinitus sit ad crucem significandam. Satisne hinc est, ut nobis persuadeamus, sacrosanctam Domini nostri Jesu Christi crucem e trunco illius arboris fuisse, ut hac de causa Malus crucem in Cantico significet? Nam etiam Capitis octavi versu quinto Malus crucem e sacri Scriptoris manifesta sententia significat, ut videbimus; nec alibi praeterea in Dramate haec arbor nominata est. Pergit Sulammitha,

*In umbra illius* esse *percupio*! *Jam assideo, et fructus illius palato meo perdulcis est*!

Haec satis explicata sunt monitis, quae interposuimus Textui, brevibusque adjectis adnotationibus, quae consulenda sunt: alioqui recte intelligi nullo modo poterunt.

Verbum substantivum, quod Hebraei Scriptores fere semper tacent, voce *esse* subintelligendum est; pro qua Pagninus, Piscator, Mercerus, Vatablus eodem sensu *sedere* posuerunt. Vulgatus hunc locum vertit, *Sub umbra illius quem desidera-*

*veram Sedi*, sententia non dissimili, sed qua multum actionis deperditum est. Addidit praeterea pronomen *quem*, quod nec Hebraeus, nec Septuaginta interpretes habent; atque ut continuaret sententiam, neglexit literam *vav* ante vocem. *Sedi*, quam Septuaginta verterunt usitatiore significatione καὶ ἐκάθισα, *et sedi*.

*Et fructus illius palato meo perdulcis est!*

Fructus scilicet Mali, hoc est Crucis, ipsa redemtionis effecta, omnesque gratiae sane suavissimae, quae a cruce in nos promanarunt.

4 *Adduxit me ad Domum Vini! Jam Vexillum illius super me est!*

Quia Dilectus ipse, ut adnotatum est, pergentem Sulammitham ad crucem adjuverat et comitatus erat, ipsa gratissimo erga illum animo haec verba pronunciat.

*Ad Domum Vini*, hoc est ad sedem, ad locum (nam haec omnia בֵּית, *baith*, significat) (1) unde sacrosanctus Domini nostri Sanguis profluxit, et ubi primum tremendum illud sacrificium oblatum est effuso illius cruore, qui cruor sub Vini specie nobis propinatur: adduxit me ad Crucem, cujus in umbra esse cupiebam.

Hanc sententiam *cella* quoque *vinaria* Vulgati, et οἶκος τοῦ οἴνου, *domus vini* Septuaginta interpretum habere sine controversia possunt; etsi Patres, quos semper honoris causa nomino, alii quidem *cellam vinariam* Sacram Scripturam, alii Christianam Ecclesiam intelligi dixerint; quae etsi vera esse generatim possint, hic tamen iis non videtur esse locus, quum neque nunc Dilectus Sulammitham, hoc est totam Hebraeorum gentem ad Christianam Ecclesiam adducat, sed mox post Antichristum excisum sit adducturus, neque nunc eidem sacram



(1) Montald. pag. 103.

Scripturam aperiat. Novi autem Declaratores qui putarunt literalem hujus loci sensum ad communem illam et cuique notam cellam vinariam pertinere, atque illo tanquam in cauponam a ganeone Sponso Salomone adductam Sponsam regis Aegyptii filiam fuisse, nescio an longius a literali aberrare sensu potuissent.

*Jam Vexillum illius super me est!*

Sulammitha consolationis et gaudii plenissima, quod Dilectus ipsam adduxisset ad Crucem, quae ipsius Dilecti Vexillum est, et cujus sub umbra esse vehementer optabat, ut supra cognitum est, ista pronunciat. Hic autem desinit sententia.

*Proh amor!* Exclamatio est Sulammithae obstupescentis ob magnitudinem amoris, quo Dilectus Sanguinem suum pro nobis effudit e cruce. Cruci enim jam assidens Sulammitha tota est in profundissima meditatione venerandae passionis Domini nostri Jesu Christi, quem sanguine manantem, et jam jam moriturum, oculis paene ipsis intuetur.

Quartus hic versus magnum exhibuit interpretibus negotium. Sed ne multus sim, praeter Poli Synopsim Criticorum, vide etiam Montaldi Lexicon (1), a quo discere probe poteris, unde tum Septuaginta interpretum *ordinate in me caritatem*, tum Aquilae Vulgatique *ordinavit in me caritatem* sit orta translatio. Calmetus totum versum reddit, *Introduxit me in domum vini, et vexillum ejus super me amor*. Neque vero est dubitandum, quin omnes hebraei qui extant libri habeant וְדִגְלוֹ, *vediglò*, et *vexillum ejus*, semperque ודגלו scriptum fuerit. Unus est Houbigantius qui oblivisci consuetae illius suae Sacrorum Librorum lanienae non potest, nobisque hoc loco vili obsonium vendit, ac mantissam donat. Is ergo

(1) Pag. 190.

vertit, *Introduxit me in cellam vinariam, praecipuum fecit erga me amorem suum*. Tum subjecta adnotatione recentes interpretes irridet, veteres carpit, falsa commiscet; levissima struit, et tandem arrepto cultro vocem *vediglò* ita caedit ac laniat, ut *vajigdòl* evadat. Ipsum audire juvat, *Interpretantur hodierni Explanatores*, vexillum ejus amor super me. *Sed quam dilucide id* vexillum amor! *Quam congruenter Sponsa quae cellaria mox commemoravit, eadem similitudinem sumserit ex rebus bellicis*! (1). *Jam vero ordinavit*, *similitudine ducta ex rebus in ordinem digestis, est amori omnino peregrinum*; (2) *et praeterea* דגל *verbum, non nomen, non alibi extat*; (3) *et scriptum fuisse olim* ויגדל, et magnificavit, *salis declarat* עלי *quod sequitur, et quod addi solet post verbum* גדל (4). Itaque *ad Scripturam* ויגדל *adhaesimus* (5). Jam probe culter cecidit, et *vediglò* ita caesum et dilaniatum est ut *vajigdòl* evaserit. Sed hoc obsonium est: mantissae namque loco donat tibi *amorem suum*, hoc est אהבתו *ahabathò* pro אהבה *ahabà*, quod habent omnes libri, nec docet quod unus ipse scierit, *olim ita Scriptum fuisse*. Praeterea literam *vav* subtrahit, quae ante *vexillum* ipso etiam teste scripta est, nec cur subtrahat dicit.

Sed homine relicto, quem rectius Sacrorum Librorum lanium quam interpretem dixeris, quae tollere videtur omnes Interpretum difficultates, distinctio est sententiarum ea quae a nobis exhibita est, ut vox *amor*! Sola esse debeat, ac sit



(1) Hucusque Houbigantius recentes irrisit interpretes.

(2) Carpit Septuaginta, Aquilam, et Vulgatum, in amore quid patrium, quid peregrinum sit quasi omnino ignorantes.

(3) Jam falsa commiscet; nam ter exstare, a Concordantiis didicisse poterat.

(4) Jam arrepto cultro levissima struxit.

(5) Bibl. Hebr. Houbigantii Tom. III. pag. 312. edita Parisiis anno 1753.

exclamatio, ut diximus, cui more nostro addenda sit aliqua interjectio ex iis quibus uti in exclamationibus solemus. Sic enim egregie praecedentia et consequentia cohaerent.

5 *Appropinquate me cum lagenis,*

Ut iis Sacrosanctum excipiam Dilecti mei Sanguinem e vulneribus in cruce morientis profluentem. Nam adeo profunda meditatione passionis Dilecti sui Sulammitha occupata est, ut paene oculis ipsis morientem intueatur, quemadmodum diximus.

Verbo סָמַךְ significationem etiam *appropinquandi* esse, testis est Montaldus, qui locum Ezechielis minime ambiguum citat (1). Sed quum usitatior sit *fulciendi* significatio, hic proprie habet utramque. Nam Sulammitha, ut ipsa statim infra declarat, amore usque adeo aegra et infirma est, ut sese movere nequeat; quae causa est cur petat, ut ipsam fulciendo appropinquent.

*Cum lagenis* בָּאֲשִׁישׁוֹת; nam praepositio ב persaepe *cum* significat (2). Veteres, teste Montaldo (3) in voce אֲשִׁישָׁה interpretanda plurimum variant; quae, ut *recentioribus multis videtur*, Pagnino, Junio et Tremellio, Piscatori, Ariae Montano, Mercero, Ainswortho, Munstero, Calmeto, Houbigantio, aliisque est *lagena*, *amphora*, *phiala*: quae quidem significatio quam propria sit hujus loci, nemo non videt.

*Sternite me in pomis!*

Vim hebraici verbi רַפְּדוּנִי Septuaginta egregie expresserunt στοιβάσατέ με, *agglomerate me*. Nam quum רפד significet *stravit* (4), hic tamen aliquid amplius Sulammitha petit, nempe id quod suis ipsa viribus facere non poterat. Sed sternere sese profecto poterat. Id enim maxime possumus, quum vires

(1) Pag. 869.
(2) Montald. pag. 82.
(3) Pag. 76.
(4) Montald. pag. 1469.

aegritudine deficiunt; nam tunc etiam inviti sternimur. Provolvere autem sese nullo modo poterat; adeo vires amor eripuerat, ut ipsa statim declarat, *nam aegra amore sum*.

*In pomis*, hoc est in fructibus qui ab arbore Malo humi deciderunt; qui fructus ipsi sunt Sacrosancti Sanguinis rivi qui humum de cruce inundabant. Me in illis fructibus sternite, per eos me provolvite, ut tota Sanctissimo lavacro imbuar et proluar, nihilque humi ex eo relinquatur, sed totum in me colligam et recipiam. Atque haec propria est hujus loci sententia, quam ubi quorundam recentiorum muliebres ineptias huc allatas inviseris, velim animadvertas probe.

6 *Laeva illius sub capite meo* est, *et dextera ipsius amplexatur me*.

Satis clara haec verba sunt, neque aliud desiderant nisi cognitionem rerum quae fiunt in Scena, quae jam ad Textum adnotatae sunt.

7 Dil. *Adjuro vos, Filiae Hierosolymae, per capreas aut cervas agri num excitabitis, numve suscitabitis Dilectam? Quamdiu velit,*

Hujus adjurationis unde oriatur occasio, ad Textum diximus.

*Per capreas aut cervas agri*, hoc est per greges agri dominici vestros, qui nunc ubique terrarum saeviente Antichristo praerupta et inaccessa loca inquirunt, qualia capreae diligunt, et fugere undequaque celerrime coguntur cervarum more; quas venatores ad caedem persequantur. Per hos greges adjurat Ecclesias, quod hae nihil suis gregibus habeant in terris carius.

*Quamdiu velit*, eam sic esse sinite. Elegans est reticentia, quum satis intelligatur quid jubeat; quod reticere, leniter et amanter imperantis est.

8 Sul. *Vox* erat *Dilecti mei*!

Narrare Sulammitha incipit, quanto studio quantoque amore Dilectus eam vocaverit ac converterit. In posterum in extasi semper est, atque dormienti similis usque ad exitum ultimae Scenae, ut adnotatum est. Quae me vocabat, ipsa vox erat Dilecti mei!

*Ecce ipse veniebat insiliens super montes, exsiliens super colles!*

Ipse Dilectus ad me veniebat, hoc est ad nos Hebraeos homines, qui post captam ab Antichristo Hierosolymam (1) in montes locaque praerupta et abdita quoquo terrarum confugeramus, ut gladium, qui nostris cervicibus ab hoste crudelissimo imminebat, evaderemus. Qua de re vide laudatum Zachariae vaticinium, et aliud Ezechielis alibi a nobis declaratum (2). In eos ergo montes locaque aspera et inaccessa Dilectus meus insiliens exsiliensque ad nos amantissime veniebat atque vocabat.

9 *Similis erat Dilectus meus capreae hinnulove cervarum!*

*Hinnuleo similis quaerenti pavidam montibus aviis matrem*, ut ait Latinus Lyricus, hoc est gentem suam Judaeam, quae similitudo adhibita est ad ostendendam celeritatem qua Dilectus ad dissipatos et profugos Judaeos accessurus est.

*Ecce ipse stabat pone parietem nostrum, prospectabat e fenestris, promicabat e clathris!*

Pone parietem quo nos Hebraei a vera Dei Ecclesia divisi ac sejuncti hactenus fuimus, intra quem inclusi et captivi a daemone detinebamur. Itaque Dilectus extra nostrum hunc carcerem stans e fenestris parietis in nos prospectabat, e clathris earundem fenestrarum promicabat; per eas scilicet illu-

(1) Bello Romanorum Judaico, Antichristo duce, de quo bello vide Zachariae vaticinium Cap. XIV. in nostro de Apolog. lib. Cap. XXII.

(2) De Apolog. Cap. VIII. §. IV.

strationes mentis, quas caecis nobis largiebatur, ut ad ipsum converteremur.

10 *Alloquebatur Dilectus meus, ac mihi dicebat = Surge ad te, amica mea, formosa mea, et ad te veni!*

Amicam et formosam suam appellat gentem Hebraeam etiam ante conversionem, quia Hebraei *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos* (gentes): *secundum electionem autem carissimi propter Patres. Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei* (1).

*Ad te* לָךְ, *lach*, de qua voce dictum est paulo ante; quae aliis quidem otiosa esse visa est, nobis non item. Nam victis ab Antichristo, et pulsis Hierosolyma Judaeis quamplurimis (2) una relinquitur redeundi post Antichristum via, Christianae religionis susceptio. Quamobrem quum reditus in patriam omnibus sit gratissimus et optatissimus, hac etiam ratione Dilectus Hebraeam gentem ad amplectendam religionem hortatur; *Surge ad te, et ad te veni*, hoc est in patriam tuam Judaeam, et Hierosolymam, quo nisi convertaris, pervenire non poteris.

11 *Nam ecce, hyems praeteriit, pluvia cessavit, sibique abiit.*

Tempus quo erga me frigida, atque adeo gelida esse, procellisque obnoxia permittebaris, jam elapsum est; et tempus conversionis tuae imminet.

12 *Flores conspiciuntur humi; tempus putationis accessit, et vox turturis auditur in terra nostra.*

Jam pro te quoque vernum tempus appetit, jam e tuis nonnulli fide mea suscepta florere incipiunt, jam tempus est quo e te amputetur quidquid ramorum est siccum, marcidum,

(1) Rom. XI. 28. 29.

(2) Zachar. Cap. XIV.

inutile, noxium, *et secundum naturam inseraris tuae olivae* (1); jam vox avium quae vernum annunciant tempus, *auditur in terra nostra* Judaea, duobus Prophetis meis ibi praedicantibus, et quosdam etiam e tuis convertentibus.

13 *Ficus excludit grossulos suos, et vites uvae primae efflant odorem. Surge ad te, amica mea, et ad te veni.*

Ficulneae, hoc est familiae, gentis tuae, quae nullum antea fructum afferebant, nunc afferre incipiunt, et jam excludunt grossulos suos, primos ex iis Christianos. Eodemque sensu vites, quas *expectavi ut facerent uvas, et fecerunt labruscas* (2), nunc *uvae primae*, ejus scilicet *quae flore decidente apparere incipit* (3), *efflant odorem*. Quae sequuntur jam explicata sunt.

14 *Columba mea, in rupturis* es *petrae, in latibulo* es *praecipitii!*

Admonet Dilectus Hebraeos quanto in periculo versentur, nisi statim ipsius amplectantur fidem. Nimirum perinde atque illi qui aviis in montibus per Saxa disrupta, prona, et jam jam casura iter instituerunt, aut vias cuniculis alte defossis iisdemque latentibus structas ingressi sunt. Nam ut his omnia praesentem intentant mortem, ubi vel Saxa proruant, vel via fatiscat, quae accidant omnino necesse est, sic Hebraeis certa est aeterna damnatio, ubi mors, quae necessaria est, et quovis imminet momento, eos occupet.

*In rupturis* es *petrae, in latibulo* es *praecipitii*. Et verbum substantivum, quod tantam huic loco affert lucem, primi, opinor, supplevimus, et sententias hac ratione distinximus. Ceterum de significatione verborum, praeter alios, vide Mon-

(1) Rom. XI. 24.
(2) Is. V. 2. et 4.
(3) Montald. pag. 869.

taldum, cui חֲגָוִים sunt *foramina*, *cavernae*, *fissurae* quas nos *rupturas* diximus, non admodum scilicet apparentes (1); et מַדְרֵגָה est *gradus*, *gradatio praeceps*, *praecipitium*; et praeterea haec ipsa verba vertit *in latibulo praecipitii* (2).

*Fac ut videam conspectum tuum! fac ut audiam vocem tuam! Nam vox tua dulcis* est, et conspectus *tuus est amoenus*.

Quia Hebraei a Deo Dominoque nostro Jesu Christo semper aversi fuere, neque illum Deum ac Dominum appellare ullo unquam tempore voluerunt; idcirco Dilectus haec ad eos inquit, *Fac ut videam conspectum tuum*, *fac ut audiam vocem tuam*; hoc est vultum tuum ad me converte, meque Deum et Dominum tuum agnosce, fatere, compella. Hunc ego conspectum tuum, hanc a te venientem vocem habeo jucundissimam.

15 *Capite nobis vulpes, vulpes parvas, quae vastant Vineas; Vineas quoque nostras uvae primae.*

Sermonem Sulammitha refert, quo Dilectus eam ad se vocabat, ut a superiore versu decimo perspicuum est, *Alloquebatur Dilectus meus, ac mihi dicebat*. Ejus sermonis postrema verba fuerunt haec, quibus Dilectus Angelis suis praecipiebat, ut caperent *Vulpes parvas quae vastant vineas*, Daemonas scilicet minores, quibus cura vastandi familias Christianorum commissa erat a majoribus circa urbes et regna occupatis. In his familiis erant etiam pauci illi Hebraei recens ad ea tempora effecti Christiani; quas familias Dilectus, utpote secundum carnem Hebraeus, et praesente Sulammitha hebraea praecipiens, *Vineas nostras uvae primae* nominat, idest familias e gente nostra hebraeas, quarum primi apparere christiani



(1) Montald. pag. 216. (2) Idem pag. 212.

fructus incipiunt. *Vulpes* appellari a Sacris veteris Testamenti Scriptoribus daemonas, etiam a vaticinio primo de Cruce cognitum est.

*Uva prima* redditur hebraea vox סְמָדַר, *Semadar* (1), quae juxta alios est *uva florens*, vel *flos vitis odoratus* (2), et ter, tantumque in Cantico invenitur. Calmetus *Semadar* nomen esse loci primus autumavit, e quo *vites Semadar* nomen duxerint. Et quum nullibi locus commemoretur qui sic appellatus fuerit, eum tamen se invenisse putat in Phoenicibus, quia ibi nota est urbs *Simira*, seu *Taximira*. Hac ratione cyparissum existimare aliquando poterimus nomen esse loci, etsi nullus locus hoc nomine commemoretur; nimirum quia nota est in Galliis urbs *Parisiorum*.

16. *Dilectus meus apud me fuit, et ego apud illum.*

Post tantum amorem, tantumque studium quo Dilectus Sulammitham vocabat, post captos ligatosque minores Daemonas qui vineas quoque illius vastabant, quid consequens erat? Nempe ut Hebraei non admodum pauci vocanti parerent, et converterentur, jamque *caritas Dei diffusa esset in eorum cordibus per Spiritum Sanctum, qui datus* illis esset (3), qua fieret, ut Deus apud illos esset. Id est quod Sulammitha, Hebraei scilicet Christiani in Deserto cum Ecclesia, de se ipsa dicit his verbis, *Dilectus meus apud me fuit, et ego apud illum*. Nam *qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* (4). Haec ut explicarent, seu verius misere torquerent, quam multas multum erubescendas ineptias multi dixerunt!

Hic desinit sententia, in qua quidem finienda variant Interpretes; sed quae sequuntur verba precatio manifesta sunt Sulammithae a Dilecto petentis, ut eandem conversionis gra-

(1) Montald. pag. 869.
(2) Ibidem.
(3) Rom. V. 5.
(4) I. Joann. IV. 15.

tiam, saeviente adhuc Antichristo, pari studio atque amore ceteris quoque tribuat Hebraeis hac illac post captam a Bellua Hierosolymam per loca inaccessa, aspera, devia dissipatis atque disperditis.

*O qui pascis in Liliis* 17 *quoadusque afflet dies, et diffugiant umbrae, circumi, similem te facito, Dilecte mi, capreae hinnulove cervarum super montes dissectos!*

Quid sit *pascere in Liliis*, quod Dilecto tribuitur hoc loco, explicandum est. Illud itaque principio est animadvertendum, a Sacris veteris Testamenti Scriptoribus *divinos fructus, et flores* appellari viros excellentissimae Sanctitatis, eosdemque *cum Libano, cum rosis, cum liliis conferri*. Hujus rei cum alibi, tum in Ecclesiastico luculentum testimonium habemus. *Obaudite, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in omnibus operibus suis* (1). Et alibi Simonis Oniae filii commemorans laudes, *Quasi flos rosarum*, inquit, *in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae* (2). Hac ipsa de causa Lilia nominantur fortissimi illi viri quorum fides, patientia, constantia in immanissima Antichristi persequutione sine dubio excellentissimam postulant Sanctitatem. *Erit autem*, inquit alibi Dilectus, *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi usque modo, neque fiet* (3); atque illius tribulationis pars erit non minima interclusa et praepedita ubique terrarum quaevis Ecclesiae Pastorum potestas, ut vix aut ne vix quidem inter ipsos suosque greges ulla possit interce-



(1) Eccli. XXXIX. 17. et seqq.
(2) Eccli. L. 8.
(3) Matth. XXIV. 21.

dere communicatio. In his miserrimis temporibus quam curam Electi, *propter quos breviabuntur dies illi*, expectare a suis Pastoribus non poterunt, eam ipse per se Dilectus praecipuam, et peculiarem illorum temporum habiturus est: atque id facere est *pascere in Liliis*; quod probe animadvertendum est. Hoc enim ipso sensu *Lilia* in Psalmorum titulis nominantur, qui de his ipsis temporibus habent vaticinia; quorum Psalmorum unus a nobis post Canticum afferetur.

*O qui pascis* הָרֹעֶה, ubi est illud *He exclamationis*, de quo diximus alibi, cum participio praesentis temporis conjunctum.

Tota haec oratio ab his verbis usque ad finem precatio est Sulammithae duas habens partes. Prima est invocatio, qua Dilectum compellat ab adjunctis rerum quas tunc temporis agit, his contenta verbis, *O qui pascis in Liliis quoadusque afflet dies, et diffugiant umbrae*; altera est petitio, ut Dilectus conversionis gratiam ceteris quoque tribuat Hebraeis, his verbis, *circumi, similem te facito, Dilecte mi, capreae hinnulove cervarum super montes dissectos*, hoc est natura praeruptos, invios, horridos, quo sese receperant Hebraei furorem Antichristi post captam Hierosolymam fugientes, ut supra dictum est. Ut igitur Sulammitha, hoc est pars haec Hebraeorum in Deserto commorans, quae in montes ejusmodi et ipsa fugerat, sese converterat, quia ad eam Dilectus *ipse veniebat insiliens super montes, exsiliens super colles: similis erat Dilectus ejus capreae hinnulove cervarum* (1); Sic rogat Dilectum, ut eadem benignitate ac caritate circumeat, similemque se faciat capreae hinnulove cervarum super montes dissectos, in quibus alii sese abdiderant et latebant Hebraei, eandemque illis tribuat gratiam.

(1) Supr. v. 8. et 9.

*Circumi*, סֹב, secunda imperativi a verbo סָבַב, quod proprie est *circumivit* (1). Hunc locum Polus appellat difficillimum; nec ulla sane probabilis explicatio hactenus allata fuerat, ut videre apud ipsum licet. Cujus rei causae fuerunt alienae ab argumento Cantici Enarratorum sententiae.

*Super montes dessectos* עַל הָרֵי בָתֶר, *hal arè bather*. Ad hanc vocem *bether* haec habet Montaldus: בֶּתֶר (bether) *m. Sectio, pars dissecta* עַל הָרֵי בָתֶר; *in montibus sectionis, idest sectis, disparatis, Cant. 2. v. 17. Ubi LXX. habent κοιλώματα cavitates, Theodotion θυμιάματα thymiamata; Vulgatus vero ut nomen proprium accepit, unde vertit Bether. Alibi tamen LXX. Vulgato, aliisque eadem dictio est pars, divisio* (2). Sunt igitur *montes bether*, *montes sectionis*, usitato Hebraeis dicendi more, pro montes dissecti, hoc est praerupti, vix pervii. Bochartus apud Polum in Synopsi putat *montes bether loca fuisse Judaeae nobis ignota*. Cur quaerimus ignota, quum nota praesto sunt, et optime rem conficiunt? Quod vero Calmetus autumat, *montes Bether* esse montes *Bethoron* ex imperitia est sermonis hebraei. *Bethoron* enim vox est composita, et scribitur בֵּית חֹרֹן *beth horon*; quum בֶּתֶר vox simplicissima sit, nulloque modo a בַּיִת, *baith*, et contracte *beth*, composita esse possit. Soni apud Latinos earum vocum parva diversitas virum fefellit: sed apud Hebraeos permagnum est inter eas voces et irreconciliabile discrimen.

Sul. (CAP. III.) 1 *Per Cubile meum per noctes quaesivi quem diligit anima mea: quaesivi illum, sed non inveni!*

Altera haec est Sulammithae narratio, qua sibi quid acciderit initio conversionis suae refert. In monitis appositis Textui diximus, Sulammitham initio conversionis apud suos con-

(1) Montald. pag. 835. (2) Montald. pag. 139.

tribules Hebraeos quaesivisse, num viri essent ex eis effecti christiani; quod his verbis expressum est. Sed erunt fortasse qui mirabuntur, nec facile dabunt, hanc his verbis subesse sententiam, quum Sulammitha non christianos viros, sed eum *quem diligit anima ejus*, hoc est Dilectum suum, et nostrum, se quaesivisse dicat. Verum hac ipsa de causa oportet quaesitos ab ea fuisse christianos. Quaerit enim Dilectum suum, Dominum nostrum Jesum, *per urbem*, *per vicos*, *per plateas*, ut statim infra docet. Quisquamne existimare poterit, persuasum Sulammithae fuisse, sese in iis locis Jesum Dominum ipsum invenire potuisse? Praesertim quum illum regnante Antichristo quaerat, quo tempore permeasse quoque ad hostes illud debet, *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere* (1). Quomodo igitur christianos Sulammitha quaerit, quum Dilectum quaerit? Huic quaestioni Dilectus ipse respondet. *Ubi enim* inquit, *sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (2). Hos duos, vel tres in nomine Dilecti congregatos Sulammitha principio apud suos, deinde per Urbem, per vicos, per plateas quaerebat, ut Dilectum ipsum in medio eorum stantem inveniret. Cur autem christianos viros quaereret, permagna causa erat. Quotus enim quisque nescit quot quantisque rebus a Christianis viris egeant hi qui recens christiani fiunt? Sed apud suos (ut mox videbimus) hoc est apud ipsos Hebraeos quaerit, num ex iis viri essent effecti christiani. Humane atque prudenter. Nam major est cum contribulibus familiaritas, liberiusque consilia conferimus, si eos eadem ac nos constituisse cognoscimus. *Per noctes* autem quaerebat, hoc est clanculum, caute, quum deprehendi erat difficilius: quae necessaria erat regnante Antichristo prudentia.

(1) Matth. XXIV. 23.

(2) Matth. XVIII. 20.

*Per Cubile meum*. Qui putant, Sulammitham de suo loqui lectulo in quo noctu dormiret, nae illi omnino ab hujus loci sententia discedunt. Mira profecto sunt, valdeque indecora, et indigna quae Calmetus etiam jacenti in lectulo Sulammithae tribuit. Hic *lectulus*, hoc Cubile Sulammithae, nullo modo stratum illud est ubi somnum capere solemus: sed illud ipsum est *Hebraeorum Cubile*, quod Dilectus in Psalmo quarto commemorat, ubi eos his verbis hortatur, *Cum animo vestro de Cubili vestro loquimini, et obmutescite*; hoc est de statu vestro, in quo, rejecta christiana religione, *cubatis et dormitis*, ut ipsi Hebraei loquuntur in eodem Psalmo, dum Messiae rejiciunt hortatus, *In pace unanimiter cubabo et dormiam*. Explicata haec sunt a nobis in Apologia copiose (1). Suum igitur Cubile appellat Sulammitha, utpote Hebraea genere, hoc *gentis suae cubile*, hunc miserrimum Hebraeorum statum. Dilectum porro per hunc gentis suae statum quaerere, satis perspicuum est, non esse aliud nisi ipsum quaerere apud Hebraeos: quod nimirum est apud eos quaerere duos aut tres viros in nomine Dilecti congregatos, christianos, quorum is in medio esset. Haec hebraei, graeci, latinique textus sententia est.

2. *Eja*, inquam, *surgam*, *et circumvagabor per Urbem*, *per vicos*, *et per plateas*; *quaeram quem diligit anima mea*: *quaesivi illum*, *sed non inveni*!

Alibi saepe dictum est, *inquam*, *inquit*, ut plurimum hebraeos scriptores omittere; quod qui non animadvertunt, magnam in eorum libris inveniunt obscuritatem. Cur per Urbem, per urbis vicos atque plateas non inveniebat Christianos? Quia capitali poena in eos ab Antichristo pronunciata, prodire in

(1) Cap. IX. §. II.

publicum, nisi extrema cogeret necessitas, non audebant. Haec a Sulammitha Romae acta sunt.

3 *Invenerunt me Vigiles circumeuntes Urbem, Num*, inquam, *eum quem diligit anima mea vidistis?*

*Vigiles*, milites scilicet Antichristi ex iis qui noctu per urbem armati atque turmatim incedebant, quae ab Italis *Pattuglie* nominantur. Ad eos Sulammitha, Ullosne, inquit, Christianos vidistis? Milites existimantes interrogationem ex odio christiani nominis factam (quod apud flagitiosos illius temporis homines solenne futurum est) Sulammitham e suis arbitrantur esse, atque abire sinunt. Est autem animadvertendum, Salomonem diserta illa verba, *ullosne vidistis Christianos?* referre non potuisse. Nam si palam, non tecte, in vetere Testamento aut Jesus Christus, aut christiani nominatim appellarentur; quis est qui non videat, universos judaeos jam inde ab Jesu Christi morte futuros fuisse christianos? Sed hoc neque tunc, neque hactenus fieri debuit. Coepit enim ab eo maxime tempore, atque etiamnum perstat illorum excaecatio, de qua scriptum est, *Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi hujus*, et cetera (1). Circumloquutione igitur opus Salomoni fuit, qua illud ipsum diceret quod Sulammitha interrogavit, ipsa interrogantis verba non diceret. Quaenam autem aptior esse circumloquutio poterat ea quae Deum auctorem habitura erat? *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (2). Quamobrem qui tecte dicere debeat, aliquem duos, aut tres, pluresve quaesivisse christianos, is aptissime dixerit, ab eo quaesitum illum fuisse qui in medio eorum sit; ex quo intelligi debeat, quaesitos fuisse christianos. Id igitur Salomon fecit.

(1) Isai. VI. 9. 10.

(2) Matth. XVIII. 20.

*Fere momentum fuit ex quo deflexeram ab eis quoadusque inveni quem diligit anima mea.*

Vix a Vigilibus deflexeram quum Christianos, hanc ipsam Mulierem, *quae peperit Filium masculum, qui recturus est omnes gentes in virga ferrea, et cujus Filius raptus est ad Deum, et ad thronum ejus*, Ecclesiam Romanam, *cui datae sunt alae duae Aquilae magnae, ut volaret in hoc Desertum, fugientem in hanc ipsam Solitudinem inveni* (1). Quod ait, vix momentum intercessisse ab occursu Vigilum ad obviam habitam fugientem Ecclesiam; ad magna illa miracula pertinet, quibus Deus illius fugam protecturus est. In illis hoc etiam est, quod quum tam prope hostes essent qui Christianos ad necem conquirebant, ut vix momentum temporis abessent, illam nullo modo cognoverint. Vide citatum Apocalypseos caput.

*Teneo illum, nec dimittam, donec eum adduxero in domum Matris meae, et in cubiculum ejus quae me concepit!*

Donec eum adduxero in patriam gentis meae sedem Judaeam, et Hierosolymam, ubi post Antichristum perquam florentissima esse debet Christiana religio. Ab his verbis manifestum est quanto studio et amore Sulammitha sese fugienti Ecclesiae Romanae comitem adjunxerit, et Dilectum suum, qui semper cum ea erit usque ad consummationem seculi, complexa fuerit. *Mater* in Cantico semper est Hebraeorum natio, ut diximus.

6 Sulamm. *Quaenam ista* est *quae sese erigit e Deserto instar elationum fumi, suffumigata myrrha, et thure conflato e quovis pulvere negotiatoris?*

ff

(1) Ex Apocal. XII.

Per visionem, ut in argumento hujus loci monuimus inter Textum, ostenditur Sulammithae proxima sui, hoc est Christianae Hebraeorum Ecclesiae Sanctitas, et regia dignitas; idque Mulieris specie, ut moris est Prophetarum. Ea Ecclesia, ut dictum est, in Deserto incipit, tum sese inde post caesum Antichristum erigit, mirabilesque in posterum virtutum fructus ubique gentium edit.

*E Deserto*, proprie juxta vim hebraeae vocis; et ita etiam Septuaginta ἀπὸ τῆς ἐρήμου.

*Thure conflato, e quovis pulvere negotiatoris*, idest e quovis odoro et pretioso pulvere, cujusmodi advehere negotiatores e longinquo solent. Participia monstrantia unde aliquid extat persaepe reticeri ab Hebraeis, alibi ostensum est. His autem phrasibus quae hic adhibentur, describi a Sacris Scriptoribus *orationes Sanctorum*, et notum est, et a Beato Joanne Apostolo definitum. *Vigintiquatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt Orationes Sanctorum* (1).

7. *En sceptrum Illius, quod Salomonis fuit!*

Mulier quae Sulammithae per visionem ostenditur, ipsa scilicet Christiana Hebraeorum Ecclesia post Antichristum, *virgam, baculum, pedum, Sceptrum* Dilecti habet in manu, illud ipsum quod Salomonis fuit, hoc est regium Davidis Sceptrum. Id Sulammitha contuens, valdeque admirans, *Ecce*, inquit; *Sceptrum Illius, quod Salomonis fuit!* ecce scilicet Sceptrum Dilecti, de quo nimirum scriptum est, *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus thronum Davidis patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis* (2).

*Sceptrum illius, quod Salomonis fuit.* Quotquot interpretes

(1) Apocal. V. 8.

(2) Luc. I. 32.

videre potui, pro virga, baculo, pedo, sceptro *lectulum* posuerunt, et ita in Textu quoque hebraeo scriptum est. Locus erat ad interpretandum perdifficilis, quia duo sunt in Textu pronomina, *illius* et *quod*, quorum plerique (non recte, opinor) nullam rationem habuerunt. Qui vero habuerunt, ut Pagninus, Mercerus, Junius et Tremellius, Castalio, Piscator, et quidam alii, violentas tentare interpretationes coacti sunt, ut videre apud Polum in Synopsi Criticorum licet. Quamobrem re diligenter pro tenuitate nostra considerata, quum nullus hic Salomonis lectulo esse possit locus, orta est suspicio de mendo orthographico in Textu, eoque admodum facili, quo litera ת pro litera ה posita fuerit; unde orta sit scriptio מטתו quum scribendum fuisset מטהו. A mendo scriptionis levissimo permagnam oriri in Hebraeo sermone tum pronunciationis, tum interdum significationis diversitatem, sciunt eruditi: quod hic maxime accidit (1). Nam scriptio mendosa pronuncianda est מִטָּתוֹ, *mittathò*, ut Masorethae punctis indicarunt; significatque *lectulus illius*; scriptio autem recta מַטֵּהוּ, *mattèhu*, pronunciatur, et est *virga* seu *sceptrum illius*. Suspicioni ut me dederem, atque hanc esse rectam scribendi rationem existimarem, quam Salomon ediderit, suaserunt *Patrum, et Interpretum plerique*, qui (verbis utor Calmeti ad hunc locum) *de Christiana Ecclesia explicant id quod hic de lecto Salomonis*

ff 2

(1) De illa diversitate qui fieri certiores cupiunt, adeant cl. Viri *Jo: Bernardi Derossi* varias Letiones V. T.

Permutatio Literae ה in ת cum non raro alias, tum saepe in nomine שנה recurrit; cujus ubi forma absoluta esse deberet, forma constructa est; pronunciaturque, ut puncta indicant, et forma postulat, *bisnàth*, ubi et scribendum, et pronunciandum esset *basanà*; ut omnes animadverterunt. Id speciminis loco dictum sit, ut ab omnibus intelligatur, quantum afferat pronunciandi discrimen earum Literarum permutatio, nequi non exigua offendantur diversitate, quae est inter *mittathò* et *mattèhu*. Tantae hanque diversitatis eadem causa est, nempe unius Literae pro altera collocatio.

*dicitur*. Itaque recte mihi visus sum lectulum Salomonis emendando scriptionem, cujus sententiam Patres non sequuntur, ejecisse; Sceptroque Dilecti in manu Ecclesiae posito, plerosque Patres et Interpretes sequi. Suaserunt praeterea duo quae diximus pronomina, quorum sine dubio est habenda ratio; quae non videtur haberi recte posse, nisi Salomon *virgam* seu *sceptrum* non *lectulum* scrisperit. Houbigantius qui menda creat ubi non sunt, hic ubi prudens erat de mendo suspicio, ne mutit quidem.

Sed enim si mendum descriptoris hoc loco sit, qui literam ת pro litera ה posuerit, attuleritque *mittathò*, *lectulum illius*, pro *mattèhu*, *virga illius*; antiquissimum esse mendum oportet, idque ita ut vetustissimas quasque versiones multo praecesserit. Nam graeca ipsa, quae omnium antiquissima est, et Septuaginta tribuitur viris, sine dubio *mittathò*, non *mattèhu* legebat. Sic enim habet: Ἰδοὺ ἡ κλίνη τοῦ Σαλωμὼν, *Ecce lectulus Salomonis*; eademque ratione ceterae omnes interpretantur. Accedit nullum extare manu scriptum Codicem, qui aliquid varietatis habeat hoc loco, et omnes editos typis item in eandem consentire lectionem: et, quod majus est, neminem esse sive Judaeum, sive Christianum, qui mendum scriptionis hic inveniri suspicatus fuerit.

Quae quum ita se habeant, satis equidem video, quam facile sit nostram illam reprehendere et carpere suspicionem, praesertim iis apud quos plus sola scripti potest auctoritas, quam legentis judicium. Nam hi certe fieri non potuisse asseverabunt, ut in Libro qui fere trium millium annorum cursu hominum manibus tritus est non solum imperitorum, sed etiam doctissimorum et eruditissimorum Judaeae Christianaeque gentis, idque toto jam orbe terrarum; illorum ne unus quidem unquam suspicatus sit, mendose a descriptore pro *virga sceptrove lectulum* positum fuisse.

His ego quid reponam quod satisfaciat, nescio; potiusque rogabo, ut, paulisper seposita multitudinis descriptorum sibi consentientium auctoritate, quae certe magna est, etsi ab uno primo post Esdrae tempora error promanare in omnes reliquos facile potuerit; rogabo, inquam, ut afferant judicium suum, et secum ipsi constituant, utrum melius et verius hunc locum deceat, sceptrumne Dilecti, an Salomonis lectulus.

Nam ad viros doctissimos et eruditissimos quod attinet (qui mihi semper honoris causa sunt commemorandi) quorum nemo de mendo hic loci cogitaverit, in quo vim omnem, et quasi arcem suam adversarii ponent; haud equidem video, qui fieri oporteat, ut, si quamplurimi et acutissimi fuerint, quemadmodum certe fuerunt, et per diuturnum maxime tempus librum habuerint in manibus, eorum aliquis saltem animadvertere in eo debuerit quod animadverti quidem ab omnibus facile poterat; a nemine tamen animadversum sit. Cujus equidem rei aliud mihi exemplum per admodum simile videor proferre posse.

Est Ciceronis locus in tertio de Officiis Libro, Capite XVII. (1), quo loco Libri omnes tam manu scripti, quam typis impressi habent *voluerunt*, quod contra legendum esse *noluerunt*, perspicua satis ratio videtur postulare. Docuerat superiori capite Cicero quid de jure praediorum a majoribus sancitum esset jure civili his verbis, *Ac de jure quidem praediorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori. Nam quum ex XII. tabulis satis esset ea praestari, quae essent Lingua nuncupata, a jureconsultis etiam reticentiae poena est constituta. Quidquid enim esset in praedio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere*. Affert deinde quaedam exempla

(1) Edit. Patav. 1794.

venditorum qui vitia reticuissent; in primis autem T. Claudii Centumali, in quem *M. Cato judex pronuntiavit: Quum in venundando rem eam scisset, et non pronuntiasset, emtori damnum praestari oportere. Igitur ad fidem bonam statuit pertinere, notum esse emtori vitium, quod nosset venditor. Quod si recte judicavit, non recte frumentarius ille, non recte aedium pestilentium venditor tacuit* (1). Tum altero allato exemplo M. Marii Gratidiani, qui vitium tacuisset, et adducta res in judicium esset, *Quorsum haec?* inquit: *ut intelligas, non placuisse majoribus nostris astutos.*

*Sed aliter Leges, aliter philosophi tollunt astutias. Leges quatenus manu tenere possunt; philosophi quatenus ratione, et intelligentia. Ratio igitur postulat, nequid insidiose, nequid simulate, nequid fallaciter. Suntne igitur insidiae, tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis, nec agitaturus? Sic tu aedes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens.*

*Hoc quanquam video propter depravationem consuetudinis neque more turpe haberi, neque aut Lege sanciri, aut jure civili; tamen naturae Lege sancitum est. Societas enim est (quod etsi saepe dictum est, dicendum tamen est saepius) latissime quidem quae pateat, hominum inter homines; interior eorum qui ejusdem gentis sunt; propior eorum qui ejusdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt* (noluerunt): *quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris, germanaeque justitiae solidam, et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur! Feruntur enim ex optimis naturae, et veritatis exemplis.*

(1) De utroque vid. Cap. XII. et XIII. ejusdem Libri.

Igitur, ut auctor est Cicero, naturae Lege sancitum est, ut in venundando vitia dicantur, atque hoc ipsum apud Romanos majorum aetate sancitum est jure civili, et reticeri turpe habebatur, et a jureconsultis reticentiae poena constituta est, quae ex XII. tabulis non erat. Jure item civili tunc agebatur contra illos qui vitia tacuissent, et res adducebatur in judicium; ut ex causis Centumali, et Gratidiani, quas ille commemorat, maxime liquet.

Porro aetate sua ille idem Cicero videt, *propter depravationem consuetudinis*, quae apud majores erat, *neque more turpe haberi* vitia tacere, *neque aut Lege* nova ut dicantur *sanciri*, *aut jure civili* a majoribus statuto rem in judicium adduci, agive in illos qui tacuissent. Ex quo effectum est, ut de suis temporibus illud dicere potuerit quod de majoribus non potuisset, *Sed nos veri juris, germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus*. Majores igitur tenebant. Quamobrem? Nempe quia jure civili statuerant, et usu atque consuetudine praestabant illud ipsum quod jure gentium, seu (quod idem erat) naturae Lege sancitum est, ut vitia dicerentur. Quod si aliud jus gentium; aliud jus civile esse *voluissent*; quis est qui non videat, constituturos fuisse aliud ab eo quod jure gentium constitutum est, ut quum Lege naturae sancitum sit ut vitia dicantur, jure civili dici non oporteret? Quinetiam satis habuissent illud tenere quod XII. tabulis sancitum erat, ut tantum vitia praestarentur, *quae essent Lingua nuncupata*; nec a jureconsultis reticentiae poena esset constituta; nullusque Centumalus, M. Catone judice, causa cecidisset; nec C. Sergium Oratam Crassus, Gratidianum Antonius defendisset. Ipse Cicero quod Marcum filium monuit, *non placuisse majoribus astutos*, debuisset vertere, potiusque monere, non displicuisse: qui ne occasionem quidem deplorandi depravationem consuetudinis habere potuisset. His quum omnia

contraria facta esse videamus, profecto dicendum est, majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse *noluisse*. Ex quo sequitur, illud *voluerunt*, mendose in omnibus tam scriptis quam impressis Ciceronis Libris legi, et eum locum permanifeste ita emendandum esse: *Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse noluerunt: quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet*. Hoc est ita noluerunt, non quasi voluerint, ut quidquid jure civili aliquando statuissent, idem *continuo* jus gentium esse putandum esset. Labi enim statuendo poterant, atque a naturae lege opinione deflectere; ut, id si accidisset, locus emendationi relinqueretur. Sed ita noluerunt, ut quod jus gentium esset, idem, quandocumque tale esse cognosceretur, civile esse deberet. Qua sane prudentia ulla nec major, nec rectior, nec laudabilior esse in jure condendo potest.

At enim mendum tam manifestum, atque ad deprehendendum facile, quisquamne est qui aut viderit, aut de illo suspicatus fuerit, aut denique aliquo modo cogitaverit? Quam multos de Officiis Ciceronis Libros et scriptos et impressos habemus; et omnes ibi loci mendosos! Et tamen vix ullus alius Liber est, qui prope duum millium annorum continuo tempore per totum terrarum orbem in hominum manibus aeque versatus tritusque fuerit; plus certe multo quam Salomonis hebraicum Canticum. Illum viri doctissimi, iidemque acutissimi paene innumerabiles et perlegerunt, et in deliciis habuerunt, et explicarunt, et eruditissimis commentationibus illustrarunt, et tamen error in omnibus libris est. Sic enim oportet. Nam quis putet, eos qui typis ediderunt, qui certe plurimi sunt, emendaturos non fuisse, aut saltem monituros, sicubi carentem vitio codicem reperissent? Quod satis sane fuisset, ut non parva, ita ut fit, inter eruditos oriretur ea de re disputatio; quum altum apud omnes sit silentium.

Igitur quo modo adversarii nostri sese istis expedient, eodem ego illos accipiam. Ut enim Ciceronis locus mendosus evaserit oportet, quia unus aliquis, de quo descripserint alii, sinistram literae N omiserit lineam, eaque litera V facta sit: ita Salomonis loco mendum insederit necesse est, quia primus unus, de quo item ceteri, parumper inflexam literae ה sinistram lineam altius aliquanto produxerit, atque inde litera ח enata sit. Quae quidem res ut accideret, multo etiam erat et pluribus de causis apud Hebraeos, quam apud Latinos facilius.

Ac quantum attinet ad illud, qui fieri potuerit, ut tot tantique viri ac tam diuturno tempore vitium minime senserint, quod illi adversarii nostri non posse fieri arbitrabantur; etsi ea quaestio sit quae multum habeat curiositatis, utilitatis nihil; equidem hoc dandum esse arbitror conditioni humanae naturae, ut licet paene innumerabiles viri et ingenio, et omni doctrinae genere praestantes aliquo contulerint labores suos, tamen de se dicere unusquisque potuerit, *homo sum, humani nihil a me alienum puto*. Id quod accidere unicuique potuit, omnibus accidit. Idne mirandum est? Redeamus ad nostra.

*Sexaginta Fortes circum eam* sunt *e Fortibus Israelis*.

Circum hanc Mulierem quae Sulammithae per visionem ostenditur, quaeque regium Dilecti Sceptrum habet in manu, *Sexaginta Fortes sunt e Fortibus Israelis*, viri scilicet omni sapientiae, pietatis, doctrinae laude praestantes, et iis armis instructi, de quibus statim.

8 *Omnes instructi gladio* sunt, *docti bellum: unicuique suus* est *ensis lateri suo, ob metum in noctibus*.

Arma haec sunt quibus Ecclesia sese ab hostibus suis tuetur, et ejus generis, de quo dixit Apostolus: *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et*

*induti loricam justistiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (1). Post Antichristum quidem *repleta erit terra scientia Domini sicut aquae maris operientes* (2); sed beatus hic status tantum usque ad Gogicum tempus perseveraturus est. Idcirco *Fortes Israelis* instructi sunt hac armatura, quam diximus, *ob metum in noctibus*, in tenebris scilicet terribilis ignorationis divinarum rerum, quae tenebrae Gogico tempore sub finem Mundi orbem terrarum incredibili celeritate occupaturae sunt. Ac vide Sacrosanctae Ecclesiae eximiam diligentiam, quae *Fortes Israelis* sibi statim paret his armis instructos *ob metum in noctibus*, etsi hae noctes tantum absint temporis, quantum ab Antichristi occasu ad bellum Gogicum intercessurum est; quod aliquot est seculorum.

9 *Currum fecit Illi rex Salomon de lignis Libani.* 10 *Columnas ejus fecit argenteas, stragulum ejus aureum, sellam ejus purpuratam, medium ejus constratum Dilecta prae Filiabus Hierosolymae.*

Currus qui hoc loco describitur, ille ipse est, de quo infra Cap. VI. 12. quem Dilectus postea conscendit, ut proxime Cap. VIII. adnotabimus. Nunc autem ille ipse Currus habet collis formam, ut diximus, in quo Sulammitha extasi correpta subtus crucem jacet: quae meminisse oportet.

Hunc igitur currum Salomon Dilecto fecit. Quandonam? Nempe quumprimum operam dedit, ut hoc Drama ageretur et caneretur in scena. Quanquam enim mihi constitutum sit, nihil ea de re prolixius quaerere, tamen Drama in scenam a Salomone inductum non fuisse, persuadere mihi ipse non pos-

(1) Ad Ephes. VI. 13. seqq. (2) Isai. XI. 9.

sum. Et fortasse a rei novitate, quae tunc primum instituta fuerit, quum antea nullum theatri active in scena dramatis genus cognosceretur, ortum est, ut hoc Canticum dictum et judicatum fuerit omnium praestantissimum quae Salomon edidit. Tunc itaque Salomon rex omnium sine dubio praeclarissimus et magnificentissimus hunc Currum in scenam attulit e lignis Libani fabrefactum, columnis argenteis, aureo stragulo, sellaque obtecta purpura splendidissimum et nobilissimum; medioque in curru mulierem posuit, quae jacentem et extasi correptam repraesentaret hanc ipsam allegoricam personarum Sulammitham dilectam prae filiabus Hierosolymae; ut futurae Hebraeorum Christianae Ecclesiae dignitatem atque praestantiam oculis ipsis praestantissimo vaticinio subjiceret; accideretque jam tum atque in posterum Hebraeis illud quod Isaias postea diserte praenunciavit his verbis: *Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere* (1).

*Currum fecit Illi*. Hebraea vox אַפִּרְיוֹן, *apirion*, quam *currum* interpretamur significatione a citatis ipsius Cantici locis petita, hoc loco tantum occurrit. Eam Septuaginta φορεῖον, *vehiculum*, seu *gestatoriam lecticam*, Vulgatus eodem sensu *ferculum* transtulerunt. Recentiores Interpretes varie reddidere. Mercerus, et Vatablus *lecticam* qua vehi soleret sponsa, idque ex Kimchio; Piscator *spondam*, quem Houbigantius sequutus est; Arias Montanus *thalamum sponsarum*; Pagninus *aedificium*; Munsterus *palatium*; Castalio *augustale*; Versio Tigurina *umbraculum*: Hebraei quidam *tentorium*; alii ex iisdem *thalamum insignem*. Sunt quibus ea vox est *thronus*, *cubile*, *lectus nuptialis*, ut notat Montaldus (2), quam postremam significatio-



(1) Isai. VI. 9.

(2) Pag. 59.

nem Calmetus ad hunc locum amplexatus est. Sed horum nihil habere locum in Cantico videtur posse; in quod tamen *Currus* expresse a Salomone inducitur (1), quem Dilectus ad laevam Sulammithae conscendit (2): ut is sine dubio sit currus, quem Dilecto Salomon fecit ea ratione quam diximus. Quamobrem ipsum quidem *vehiculi* genus juxta Septuaginta et Vulgatum esse retinendum, ex eo autem genere *Currum* deligendum esse censuimus.

*Illi*, non *sibi*, vertimus, quia quum pronomen hebraeum utrique respondeat pronomini latino, nobis tamen Sulammitha non de Salomonis, sed de Dilecti curru a Salomone fabrefacto disserit.

*Medium ejus constratum Dilecta prae Filiabus Hierosolymae*, constratum scilicet Sulammitha, quae supra petiit a Filiabus Hierosolymae, ut eam sternerent (3), et nunc *constrata* et extasi correpta jacet in medio Colle, qui est ipse Currus, ut sub finem dramatis palam fit.

Houbigantius qui *Apirion* non *currum*, sed *spondam*, ut diximus, interpretatus est, vertit, *cujus in medio acu pinxit eam, quam habet amore praecipuam inter filias Jerusalem*; ubi illud *acu pinxit* ex arbitrio est, non ex propria vocis רָצוּף significatione. Calmetus vero, cui *lectus* magis arrisit, *Medium*, inquit, lecti constructum est illius causa, quae *amantissima est inter filias Jerusalem*; ex arbitrio item, ac parum accurate. Nam רָצוּף est proprie *Stratus*, ut post alios Montaldus notat (4). Sed haec ideo commemoravimus, ut qui legunt intelligant, postrema hujus loci verba a recentissimis interpretibus in eam sententiam verti quam sequuti sumus.

(1) Infr. Cap. VI. 12.
(2) Infr. Cap. VII.
(3) Cantic. II. 5.
(4) Pag. 1478.

11 *Exite, et inspicite, Filiae Sionis, in rege Salomone coronam qua coronat Illum mater Ejus in die nuptiarum Ipsius, atque in die gaudii cordis Illius!*

Divinarum Scripturarum oracula de Dilecto, et ejus Ecclesia excaecatis Judaeis planissime revelabuntur eorum conversionis tempore. Quamobrem Sulammitha, hoc est illa Hebraeorum pars quae jam ad Ecclesiam venit, et fugientem in Desertum sequuta est, intelligens in hac extasi et visione quae Salomon in hoc Cantico de Dilecto et Ecclesia hebraea scripsit, prae gaudioque gestiens, invitat Filias Hierosolymae ad invisendam in Cantico ipso Coronam, qua natio Hebraea tempore *Nuptiarum Agni* (conversionis scilicet Hebraeorum et omnium Gentium) Dilectum Dominum Jesum Christum Regem esse suum agnoscit, fatetur, coronat. Erant quidem Filiabus Hierosolymae, hoc est veteribus Ecclesiis, illa oracula notissima; nec Sulammitha eas ad invisenda invitat quasi eorum ignaras. Sed quod accidere solet, quum rem quampiam nobis novam magnopere admiramur, ut extra nos rapti ad eam contemplandam quosvis homines invitemus, ac ipsos etiam, si forte adsint, illius auctores; id ipsum Sulammithae accidit. Sed nemo propterea existimet, coronae cujusdam regiae descriptionem inveniri debere in Cantico instar earum quae regum capitibus imponuntur. Corona, qua natio Hebraeorum Dilectum coronatura est, summa est illius gentis fides, summaque caritas; quibus virtutibus agnoscet, credet, palam et flagrantissime profitebitur, illum esse verum Deum, Regem Regum, et Dominum dominantium, inenarrabilesque amores erga illum suos maxime patefaciet. Haec in Cantico sunt praeclarissima, ut hactenus vidimus, et visuri in posterum sumus; eaque sunt ad quae invisenda Sionis filias Sulammitha vocat.

*Inspicite in rege Salomone coronam*. Quia Syntaxis hebraea hujus loci ambigua est, Vulgatus eum vertit, *Videte*

*regem Salomonem in diademate*. Septuaginta totam ipsam Hebraeorum Syntaxin retinuerunt ἴδετε ἐν τῷ βασιλεῖ Σαλωμὼν, ἐν τῷ στεφάνῳ, *inspicite in rege Salomone, in corona*; cujus versionis sententia illa ipsa est quam expressimus clarius.

Dil. ( CAP. IV. ) 1 *Ecce tu formosa es, Amica mea, ecce tu formosa es! Oculi tui vim faciunt inter cirros tuos.*

Quia haec et quae sequuntur de Sulammithae laudibus, allegorice dicta sunt, non est cur in iis explicandis multum immoremur. Multiplicem enim habere possunt explicationem, et unicuique sua placebit; nec nos cuiquam repugnabimus, modo explicatio sana rectaque sit. Nobis placet, de vivissima fide ceterisque omnibus virtutibus sermonem hic esse. Fides enim est qua *videmus nunc per speculum in aenigmate*, quae operum splendescit ornatu, sine quibus mortua est. Idcirco *oculi inter cirros vim faciunt*, hoc est fides cum operibus. Nam ut *sine fide impossibile est placere Deo*, sic cum fide et operibus impossibile est eidem non placere.

*Oculi tui vim faciunt*. Vide quae dicta sunt ad Cap. I. v. 14.

*Inter cirros tuos* מִבַּעַד לְצַמָּתֵךְ, *mibbahàd letzamathech*, Hieronymus *absque eo quod intrinsecus latet*. De significatione vocis צַמָּה veteres et recentiores discrepant; qui tamen conciliari facile posse videntur. Aquila ipsam vocem hebraicam retinuit, de qua sic Hieronymus: *Ergo Sammathech, quod Aquila posuit, ut diximus, verenda mulieris appellantur* (1). Symmachus vertit τὸ σιώπηλόν σου, *quod nos*, inquit ibidem Hieronymus, *exprimere possumus taciturnitatem tuam, quod taceri debeat prae verecundia. Quod quidem et in Cantico Canticorum legimus, ubi Sponsae pulchritudo describitur, ad extre-*

(1) Hier. in Is. Lib. XIII. Cap. XLVII.

*mum refert*, absque taciturnitate tua: *nolentibus qui interpretati sunt transferre nomen, quod in Sancta Scriptura sonaret turpitudinem*. Eademque sententia Septuaginta verterunt ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σου, *extra taciturnitatem tuam*. Itaque צמה veteribus verenda mulieris fuerunt; quae tamen aliis in locis proprio plerunque nomine interpretati sunt.

Sed doctissimi quique recentiorum Pagninus, Montanus, Mercerus, Vatablus, Piscator, Ainsworthus, Buxtorfius, Joannes Simon, aliique interpretantur *comam*, *crines*, *cincinnos*, *cirros*: quae prior et potior videtur esse significatio; atque ab hac fortasse ortum habuit ea quam veteres sequuti sunt, qua verenda a villis appellata fuerint. Ita quum utraque significatio haberi propria illius vocis possit, veteres et recentiores facile conciliantur. Alteri enim alteram adhibuerunt. Aptius autem ad Salomonis mentem atque consilium recentiores videntur egisse; quod pace meritoque honore veterum dictum velim. Neque enim negari potest, transitum ab oculis ad verenda mulieris, praesertim in ore Dilecti Jesu, et in hoc Cantici nobilissimo argumento, quod hactenus vidimus, valde extra numerum, et sine exemplo etiam in allegoriis esse; quum contra capitis cirri ad ostendendam oculorum pulchritudinem plurimum conferant. Calmetus sententiam veterum praefert, sed iis rationibus quae doctorum persuadeant nemini. Houbigantius maluit *sub peplo*, arbitratu magis, quam certa ratione.

*Crines tui* sunt *ut grex caprarum, quae mane aquatum veniunt a monte Galaado*.

In comparationibus quae hinc incipiunt, quid spectare oporteat animadvertendum est. Non enim res rebus comparantur, ut quorundam est error, qui absurdas artbirantur esse, quia similitudinem non vident, quae in rebus nulla profecto est. Quid enim crinibus foeminae cum grege caprarum commune? Sed comparatio in causis est jucunditatis oblectationisque, quae ab

utriusque rei conspectu proficiscitur; ut quam jucundus aspectui grex caprarum est, quae mane aquatum eunt a monte Galaado, tam jucundus capillorum conspectus sit. Eademque est reliquarum comparationum ratio.

5 *Binae mammae tuae ut duo hinnuli* sunt, *gemelli capreae; quae pascunt in liliis*, 6 *quoadusque afflet dies*, *et diffugiant umbrae*.

Duo Testamenta, quorum lectione ac meditatione maxime occupatam in Deserto Sulammitham fuisse credendum est, et e quibus ipsa etiam brevi posthac summo cum studio omnibus Gentibus, nequitia temporum et Antichristi mirum in modum depravatis, *tanquam parvulis in Christo lac potum dabit, non escam; nondum enim poterunt* (1); *ut deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscant, ut in eo crescant in salutem* (2): duo igitur Testamenta, quatenus Sulammitha eorum dogmatis imbuta erat suaque legendo ac meditando fecerat, et illis brevi lac parvulis in Christo praebitura erat; mammae illius denominantur. Quorum etsi alterum vetus, alterum novum est; tamen quia unius sunt partus Dei, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (3), similisque propterea est utriusque summa ratioque doctrinae; idcirco hinnulis capreae uno exclusis partu, eisdemque formosissimis, comparantur. Nam ad formam et pulchritudinem comparatio collata est. Quae quidem duo Testamenta hoc maxime tempore quo haec aguntur, *pascunt in Liliis, quoadusque afflet dies*, quo Antichristum *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione Adventus sui* (4) *et diffugiant umbrae* illae teterrimae atque

(1) I. Cor. III. 2.
(2) I. Petri II. 2.
(3) Jac. I. 12.
(4) II. Thess. II. 8.

tristissimae, quas homo sceleratissimus *secundum operationem Satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis* (1) universo terrarum orbi induxerat. Sane viri illi sanctissimi, quos Antichristi furor ubique gentium insectaturus est (2), et *Lilia* nominari supra ostendimus, spiritualem sibi escam a duobus Testamentis arrepturi, et, quoad ejus fieri poterit, aliis etiam sine dubio sunt porrecturi; *habentes solatio sanctos Libros* (3), atque ab iis exempla et argumenta ad confirmandam roborandamque fidem, patientiam, constantiam diligentissime depromentes. Quae quia duo Testamenta illis uberrime praesertim eo tempore praebent, idcirco *in Liliis pascere* jure meritoque dicuntur.

*Accedam ad me, ad montem myrrhae, ac ad collem thuris!*

Haec brevi adnotatione ad hunc versum explicata sunt. Sed duo hic addere oportet: alterum, Hebraeos patriis sedibus restituendos esse ad annos ante Antichristi caedem quingentos; alterum, Christianam religionem ab illis non nisi post Antichristi caedem esse suscipiendam: quorum utrumque in Chronologia prophetica probabitur, siquando tantum erit otii ut rem summi fortasse momenti, laboris certe, ad umbilicum perducere possimus. Dominus autem noster Jesus Christus, ex quo nasci dignatus est, nihil fortasse tam vehementer optavit quam Hebraeorum conversionem. Quae quum proxima demum sit hoc tempore quo Dramatis actio a Salomone constituta est, idcirco Dilectus summo cum gaudio, Accedam, inquit, tandem quo tam diu cupio, ad patriam meam Judaeam, quo quum receptus fuero, ea mons erit myrrhae, collis thuris: adeo gratos spirabit perfectae sanctitatis odores.



(1) Ibi.
(2) Apoc. XII. 17.
(3) I. Mach. XII. 9.

*Ad me*, לִי, *li*, quae vocula tanquam supervacanea a plerisque praetermissa est. Sed mihi *iota unum*, aut *unus apex* non videtur esse praetereundus.

7 *Tu tota pulchra* eris, *Amica mea*, *nec macula erit in te*...

Ob perfectam illam sanctitatem, de qua nuper diximus.

Verbum substantivum ut futuro suppleatur tempore, series orationis postulat, ut patet.

8 *Veni de Libano*, *Sponsa*, *veni de Libano*, *veni*! *Aspice a vertice Amanae*, *a vertice Seniri*, *et Hermonis*, *a domiciliis Leaenarum*, *a Montibus Pardorum*!

Quo flagret Dilectus desiderio conversionis Populi Hebraei, ex his verbis maxime perspicuum est. Eam enim gentem mox sponsam ipsius futuram studiosissime vocat e Libano, hoc est e Templo Hierosolymitano. Sic enim illud Templum et a Zacharia, et ab Ezechiele appellatum est (1). Vocans autem e Templo, eam vocat e ritibus, et reliqua superstitione judaica in Templo Ezechielico post reditum Judaeorum, de quo supra diximus, restituta; in quo praeter detestabiles caeremonias ad celebrandam eorum memoriam qui Jesum Christum occiderant, nuperrime Draconis, et Antichristi imagines et statuae adorabantur, et colebantur a Judaeis qui Antichristum esse Messiam sibi persuaserant. Eos igitur Dilectus ab his sceleribus novi illius Templi amantissime his verbis dehortatur, ac ad se vocat. Sed quia non Hierosolymae solum haec monstra, sed tota quoque Judaea, et praecipue in montibus, atque sub dio scelerata Antichristi mysteria celebrabantur, idcirco Dilectus Judaeos a montibus Amanae, Seniri, et Hermonis vocat, paucis istis loco omnium commemoratis, in quibus feroces illae belluae

(1) Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. *Zach. XI. 1.*

Aquila grandis magnarum alarum... venit ad Libanum, et tulit medullam cedri. *Ezech. XVII. 3.*

Antichristiani cultus propagatrices, et in Christianos instar Leaenarum atque Pardorum debacchantes, sua domicilia constituerant.

*Aspice a vertice Amanae*: aspiciendi significatione interpretantur Pagninus, omnesque recentiores verbum שור hoc loco, quod inter alia significat *dirigere oculos* (1): nec facile dixerim, cur Septuaginta διελεύσῃ, *pertransibis*, et Hieronymus *coronaberis* interpretati sint.

9 *Rapuisti animum meum, Soror mea Sponsa, vel uno ex oculis tuis, vel uno torque e monilibus tuis!*

Vel una scilicet exigua gentis tuae parte quae fidem meam suscepit, quae jugum evangelicae legis meae collo suo imposuit; hac ipsa exigua tui parte, quae in hoc Deserto est. Pergit enim Dilectus totam alloqui Hebraeam gentem ut supra; quam Sororem appellat, quia ipse quoque ex eadem secundum carnem natus est.

*Uno torque e monilibus tuis*. De significatione harum vocum, quas Hieronymus *in uno crine colli tui*, Septuaginta ἐν μιᾷ ἐνθέματι τῶν τραχήλων σου, *in uno torque collorum tuorum*, et alii aliter transtulerunt, vide Montaldum (2).

10 *Quam pulchri* sunt *amores tui, Soror mea Sponsa, quam suaves* sunt *amores tui post Vinum!*

Jam tertio sacrae ipsae Vini commemorantur species his verbis, quae ad scenam primam explicata sunt. Sermonem autem Dilectus a tota Hebraea gente ad exiguam ejusdem partem quae in Deserto est, Sulammitham, convertit.

*Ac odor unguentorum tuorum ex omnibus* est *aromatis*.

Haec quoque supra explicata sunt; et in eandem sententiam venit qui sequitur versus undecimus.

*h h 2*

(1) Montald. pag. 1587.

(2) Pag. 1168.

12 *Hortus es clausus, Soror mea Sponsa, acervus praeclusus, fons obsignatus.*

Hortus clausus, unde nemo furari illius fructus possit; acervus praeclusus, ex quo nemo quidquam detrahat; fons obsignatus, cujus aquam turbare liceat nemini. Haec autem praecipue propria sunt futurae Christianae Hebraeorum ecclesiae, postquam *Angelus apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui est Diabolus, et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in Abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius Gentes, donec consummentur mille anni* (1). Omni enim seductione semota, quis est qui non intelligat, oportere Ecclesiam Dei amoenissimum hortum esse, e quo Diabolus furari nihil possit; acervum et multitudinem perfectorum hominum, e quo idem nihil detrahat, aut surripiat; fontem obsignatum, cujus aquam turbare non possit? Haec tanta illius temporis sanctitas ubique gentium quidem, sed praecipue apud Hebraeos, et in Judaea, et Hierosolymae florebit. *Incolent enim eam, et anathema non erit amplius, et habitabit Hierosolyma secure* (2). Nam quod ad alias gentes attinet, *Quum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet Gentes quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog, et Magog, et congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terrae, et circuierunt castra Sanctorum, et Civitatem dilectam*, ipsam Hierosolymam (3). In hac seductione, quae et ab aliis Prophetis, et ab ipso Joanne in Apocalypsi latissime descripta est, quaeque omnigenis fereque incredibilibus sceleribus futura est plenissima, Hebraei sanctitate ac omni reliquo studio religionis prae

(1) Apocal. XX. 2. 3.
(2) Zachar. XIV. 11. quem vide in Apolog. Cap. XXII. art. II.
(3) Apocal. XX. 7. 8.

ceteris florebunt gentibus. Ita illorum Ecclesia, totaque Judaea regio et ante bellum Gogicum, et ipso illius belli tempore usque ad proximum interitum omnium hominum, Hortus christianae religionis amoenissimus et florentissimus futurus est; Quo quidem *Horti* nomine, ut ceteris *Acervi praeclusi*, et *Fontis obsignati* et hic, et posthac hisce de causis Judaea regio semper appellatur in Cantico.

Plura prohibent angustiae: sed haec ipsa quae paucis attingere necesse fuit, his qui ad *sacrum totius orbis Gymnasium*, *Prophetas* (1), nunquam accesserunt, satis videbuntur incredibilia. Morbi facilis est medicina: vanis inutilibusque rebus omissis, Scripturas perscrutari.

Drusius, Grotius, Calmetus existimarunt laudari hoc loco Sponsae pudicitiam et integritatem, et *Hortum clausum*, *Fontem signatum* dici quae in foemina honeste nominari non possunt. Satis profecto indecore ac turpiter! Nos Patrum sententiam sequi, testis esse Calmetus ipse potest.

13 *Missilia tua sunt pomarium malorum punicorum cum fructu quarumcunque pretiosarum frugum.*

Missilia tua, preces scilicet quas emittis, aspirationes, gemitus, suspiria quibus me Deum tuum petis, ac veluti missilibus telis jacularis. Atque hanc esse propriam hujus loci sententiam, ab odoriferis quas hoc et eo qui sequitur versu decimo quarto commemorat rebus manifestum est. Nam *odoramenta sunt orationes Sanctorum*, ut supra ostensum est.

15 *Fons es hortorum, puteus aquae vivae, ac e Libano stillantis!*

*Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre*

(1) Οὐδὲ γὰρ διὰ Ἰουδαίους μόνους ὁ μόνος ἦν, οὐδὲ δι᾽ αὐτοὺς μόνους οἱ Προφῆται ἐπέμποντο, καὶ παρὰ Ἰουδαίων ἐδιώκοντο, πάσης δὲ τῆς οἰκουμένης ἦσαν διδασκαλεῖον ἱερὸν τῆς περὶ Θεοῦ γνώσεως, καὶ τῆς κατὰ ψυχὴν πολιτείας. Athanas. De Incarnat. Verbi Dei Tom. I. pag. 65. B. Edit. Colon. an. 1686.

*ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit Jesus de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (1). Hisce fluminibus Christiana Hebraeorum Ecclesia universum terrarum orbem irrigatura est, ut Michaeas, et Zacharias vaticinati sunt (2), quum et veteres Ecclesiae post Antichristum instaurabuntur, et novae ubique gentium condentur, quae non secus ac amoenissimi quidam Horti florentissimae omnes erunt. Idcirco *Fons Hortorum, puteus aquae vivae, ac e Libano stillantis*, hoc est praestantissimae dicitur.

Sulamm. 16 *Excitare, Borea, et veni, Auster; perfla Hortum meum, stillent aromata ejus! Veniet Dilectus meus in Hortum suum, et esurus est fructum pretiosarum frugum suarum.*

Sulammitha vel ab ipsis etiam superioribus amoris Dilecti sui significationibus sentiens jam proximam esse totius Judaeae conversionem, gratiam Spiritus Sancti toti ipsi Judaeae precatur, ut venientem jamjam sua majestate Dilectum promta et parata suscipiat. Id his precatur verbis, *Excitare, Borea, et veni, Auster; perfla Hortum meum, stillent aromata illius!* Boream enim Austrumque commemorat vehementes ventos, quorum sonitu adventus Spiritus Sancti aliquando nunciatus est, ut constat ex Actis. *Factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes . . . ., et repleti sunt omnes Spiritu Sancto* (3). Hic igitur ventus vehemens ut perflet Hortum suum, terram Judaeam, Sulammitha expetit; cujus Horti aromata, quae optat ut stillent, sunt Christi *bonus odor*, qui perflante Spiritu Sancto renideat oportet.

(1) Joann. VII. 38. 39.
(2) Eorum vaticinia vide in Libro de Apologia Capp. XIV, et XXII.
(3) Act. II. 2. 4.

Quod vero tam Dilectus, quam Sulammitha Judaeam pro se quisque appellet *Hortum suum*, id ex eo est, quia regio est utriusque patria: et praeterea quum terra illa ex dono Dei (*quae dona sine poenitentia sunt*) (1) propria sit Judaeorum, nullius tamen tam propria est quam ipsius Dilecti, qui et Deus est, et Rex Judaeorum. Ibi autem *esurus est fructum pretiosarum frugum suarum*, fructum scilicet e gratiis mysteriisque nascentem, quibus aeterna redemtione inventa Ecclesiam Sanctam suam cumulavit.

Dil. (CAP. V.) 1 *Venio in Hortum meum, Soror mea Sponsa, decerpam myrrham meam cum aromate meo, edam Favum meum cum melle meo, bibam Vinum meum cum lacte meo!*

Haec superiori declaratione magnam partem explicata sunt: sed duo praeterea sunt hic animadvertenda. Primum, haec quae sese facturum dicit, facere per socios, fratres, amicos suos, hoc est pios ipsos christianos viros, de quibus alibi ait, *Sine me nihil potestis facere* (2): ex quo sequitur, bona opera omnia fieri cum ipso, eaque et ipsum facere; atque hoc modo haec se facturum dicit. Alterum, Vinum quod sese hoc ipso quem diximus modo bibiturum ait, esse sacrosanctum ipsius Sanguinem, qui jam quater hactenus admirabili hoc carmine commemoratus est.

His dictis, Dilectus abit e scena laetissimus, quod tandem aliquando Hebraei, qui post tot saecula ipsius carnem et sanguinem nunquam gustaverunt, ad has sanctissimas delicias venient. Inter eundum autem haec quae sequuntur ait:

*Edite, Socii, bibite atque inebriamini, dilecti.*

Quibus Hebraeos alloquitur, non hos qui sunt in Deserto, sed longinquos, quorum permultis sub ipsum adventus sui

(1) Rom. XI. 29. (2) Joann. XV. 5.

diem gratiam conversionis tribuit, qua illius *Socii* et *dilecti* fiunt. *Edere*, *bibere*, *inebriari* quid sibi hoc loco velint, ab his quae nuper sunt dicta satis planum est.

## SCENAE III.

### DECLARATIONES.

Sulamm. 2 *Ego dormio, sed cor meum vigilat!*

Quae sese dormire, sed cor suum vigilare ait, ac oratione persequitur quae hactenus vidimus, visurique mox sumus, nae illa communem non dormit somnum, sed dormienti est similis, extasique correpta; ut ex hoc loco maxime pateat, sic esse inductam a Salomone Sulammitham.

*Vox Dilecti mei pulsantis erat.* = *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea!*

Tertia haec est Sulammithae narratio, cujus argumentum in Textu scenae praeposuimus. Quod autem Dilectus a Sulammitha (exigua domus Jacobi parte christiana effecta) vehementer optabat, illud erat, ut ipsa jam ostium aperiret, per quod ille in universam Jacobi domum ingrederetur. Id oportebat ut Sulammitha faceret curando reliquorum Hebraeorum conversionem; ad quam curam his eam verbis amantissime excitat.

*Nam caput meum plenum* est *rore, cirri mei nocturnis* pleni sunt *humiditatibus* =.

*Christi capilli rore madidi ii sunt quorum caritas tepuit*, inquit S. Augustinus Tract. 57. in Joannem (1). Et Menochius, *Ros et guttae noctium blasphemias et injurias significant haereticorum, et infidelium in Christum* (2).

(1) Calmet ad hunc loc. (2) Apud Pol. in Synopsi Crit. ad hunc loc.

Magnum illud totius orbis monarchicum imperium, de quo nonnulla dicta sunt in Apologia, et cujus octavus ac postremus princeps futurus est Benedictus natione Judaeus, is qui proprie Antichristus appellatus est, e diuturno et impio populari orietur dominatu, quum plurimorum maxime tepuerit caritas, *eritque plenum nominibus blasphemiae* (1). Quae vero hac narratione Sulammitha refert, ipsi acciderunt antequam Benedictus, qui bis imperium illud habiturus est, secundum suum auspicaretur regnum, et ante legem ab eo latam de interimendis omnibus qui ejus imagines non adorarent, neque in dextera manu, suisve frontibus characterem haberent, ex quo constaret, eos renunciasse Christo, faterique Antichristum esse ipsum Deum (2): quae lex initio secundi ipsius regni feretur, quod annos tres mensesque sex stabit; ut vulgo etiam est notum.

Haec eo quod diximus tempore accidere Sulammithae debere, inde manifestum est, quod a Vigilibus deprehensam palam de Domino nostro Jesu Christo loquentem, percusserunt illi quidem, vulneraverunt, male atque indigne habuerunt, non tamen occiderunt (3): quod sine dubio fecissent, si lex illa de interimendis iis, quos diximus, lata fuisset. Quamobrem quae hac tertia narratione dicuntur, paulo ante acciderint oportet Romae, quam ea quae secunda narratione Sulammitha descripsit. Haec erant praemonenda ut ordo rerum intelligeretur.

3 *Exui*, respondi, *tunicam meam, quonam modo induam illam? Lavi pedes meos, quonam modo eos inquinabo?*

*i i*

(1) Apoc. XVII. 3. et alibi.
(2) Apoc. XIII. 15. 16.
(3) Infra vv. 6. et 7.

Difficillimis etiam miserrimisque Benedicti primum regnantis temporibus vix palam cuiquam licebit esse Christiano; saevissimique omnium in Christianos hostes futuri sunt Judaei (1); quorum conversionem Sulammitha curari a se non posse existimabat, nisi sese christianam esse occuleret, primosque aditus ad suos ita praepararet, ut christianam non esse arbitrarentur, quae res fieri nullo modo potest. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (2). Eam autem perfidiam, qua tanquam tunica induta ipsa quoque fuerat, conversione sua totam exuerat, jamque sordes eluerat quas contraxerat dum suorum vestigiis insistebat. Hinc Dilecto ipsam ad suorum conversionem curandam excitanti, *Exui*, respondebat, *tunicam meam, quonam modo induam illam? Lavi pedes meos, quonam modo eos inquinabo?*

4 *Dilectus meus manum suam immisit e foramine, et viscera mea commota sunt super eum.*

Dilectus manum suam immisit e foramine ostii enitens amovere illius pessulum, sibique ipse ostium aperire: quo facto vehemens illius desiderium ingrediendi cognoscebatur. Hoc tanto illius desiderio magnopere commota fui. Pessulus autem (is enim mox commemoratur) est quidquid tam a Sulammitha, quam a ceteris Hebraeis objiciebatur impedimenti, quominus Dilectus in universam Jacobi domum ingrederetur. Quod quidem impedimentum duplex erat: alterum a Sulammitha, idque ille quem diximus error, quo existimabat, sese ad conversionem suorum aggredi nihil posse, nisi se fingeret ad ritus Hebraeorum adhaerescere, ac Christum odisse; alterum a ceteris Hebraeis, quod ipsa vetus eorum perfidia et pertinacia erat.

(1) Vide hac de re insignem Ezechielis locum Cap. V. in Apol. Cap. VIII. §. 4.

(2) Rom. X. 10.

*Et viscera mea commota sunt super eum*. Septuaginta καὶ ἡ κοιλία μου ἐθροήθη ἐπ' αὐτὸν, *et venter meus turbatus est super eum*: neque aliter verti potest עָלָיו nisi *super eum*, quum nemine dubitante praepositio sit cum pronomine affixo, nec esse aliud quidpiam possit. Hieronymus verbum exprimere de verbo noluit, dum posuit *ad tactum ejus*, quae nullo modo esse potest illius vocis significatio, ut in confesso est omnibus. *Viscera* מֵעַיִם, *mehaim*, propria est significatio, ut est apud Montaldum; ac הָמוּ *commota sunt*, apud eundem invenies (1).

5 *Surrexi ego ad aperiendum Dilecto meo, et manus meae stillaverunt myrrha, et digiti mei* stillaverunt *myrrha ingruente per manubria pessuli*.

Commiseratione igitur ego erga Dilectum meum commota (quae commotio effectus est majoris tributae tum gratiae tum caritatis) sollicita esse coepi, atque surrexi ad aperiendum Dilecto meo, curanda meorum conversione. Quam rem dum aggrederer, *manus meae stillaverunt myrrha ingruente per manubria pessuli*, hoc est ingenti perfusa sum suavitate, quae a gratia manabat quam Dilectus mihi tribuerat, quum manubria pessuli tetigit ut illum amoveret; quaeque mihi jam dulce ac facile reddidit, quod antea durum, et fieri a me non posse videbatur. Nam ille tactus manubriorum pessuli a Dilecto est ipsa infusio majoris caritatis et gratiae, qua Sulammithae impedimentum sublatum est.

6 *Aperui ego Dilecto meo, sed Dilectus meus sese subduxerat, abierat! Anima mea exivit, dum illum loquebatur: quaesivi illum, sed non inveni; vocavi eum, sed non respondit mihi!*



(1) Pag. 659., et 233.

Priora illa verba *aperui ego Dilecto meo* posterioribus explicat *anima mea exivit dum ipsum loquebatur*; qui Sulammithae de Dilecto sermo ipsa est praedicatio, quam jam palam instituebat ad suos, ut eos converteret. Sed Dilectus *sese subduxerat*, *abierat*, idest prope neminem eorum erat qui me audiebant. Nam nisi Dilectus gratia sua moveat audientium corda, praedicatio nihil assequitur. Hinc est quod Sulammitha illum apud hos pertinaces quaesierit, sed non invenerit; vocaverit, sed ei non responderit. Ubi animadvertendum est, pronomen *ego*, quod hoc, et superiore versu Hieronymus praetermisit, Septuaginta retinuerunt, non esse otiose positum; sed ad docendum, Sulammitham quidem, praedicatione suscepta, Dilecto suo aperuisse, non item alios Hebraeos qui eam audiebant.

*Anima mea exivit dum ipsum loquebatur*; idest ego (sic enim loqui solent Hebraei, ut notum est) statim suscepta de Dilecto praedicatione, de ipso loquens, ac illum nominans prodii foras, nec me intra eos parietes continui, quibus antea me concluseram, quum existimabam curare meorum conversionem non posse: Hieronymus *exeundi* verbum metaphorice accepit, ac propterea transtulit, *Anima mea liquefacta est*, *ut loquutus est*, causam deliquii tribuens sermoni Dilecti.

7 *Deprehenderunt me Vigiles circumeuntes Urbem: me percusserunt, me vulneraverunt! abstulerunt peplum meum custodes moenium.*

Benedicti primum regnantis milites, ut diximus, qui Sulammitham et in media urbe, et prope urbis moenia praedicantem deprehenderunt; ut intelligamus segnem non fuisse, verum alacri animo urbem percurrisse.

8 *Adjuro vos, Filiae Hierosolymae, si invenietis Dilectum meum, quid ei nunciabitis? Me aegram esse amore.*

Si praedicatione vestra invenietis Dilectum meum apud gentiles meos, aliosque apud quos ego invenire non potui, ne, quaeso, ibi dicatis, me percussam, vulneratam, indigne habitam ab hostibus ipsius fuisse, ut ne deterreantur. Hoc solum dicite, me, quae antea hostis eram illius infensa non secus atque ipsi, nunc aegram esse magnitudine amoris quo illum prosequor; ut exemplo meo sese ad eum convertant, et procurrant.

Filiae Hier. submissa voce. 9 *Qualis* est *Dilectus tuus prae* quolibet *dilecto, o formosissima mulierum? Qualis* est *Dilectus tuus prae* quolibet *dilecto, de quo sic nos adjurasti?*

Submissa voce Sulammitham alloquuntur Filiae Hierosolimae, ne illam excitent, hoc est ab extasi revocent.

*Qualis* in hebraico est *quid*, ut etiam apud Septuaginta; sed sententia prorsus eadem est, quam omnium interpretum optime Hieronymus hoc modo expressit.

*Dilectus ex dilecto*, quo modo etiam Septuaginta interpretantur, multum habet obscuritatis. Quum praepositio quae hic apud Hebraeos est, multa significet, ac *in oratione comparativa valeat prae* (1), cujusmodi est oratio hujus loci; sententia clarissima est, ubi more nostro id suppleatur quod comparatio postulat. Nam *dilectus prae* quolibet *dilecto* is est, cujus amore ita quis rapitur, ut alius qui plus ametur inveniri possit nemo.

Sulamm. 10 *Dilectus meus candidus* est *et rubicundus*, *erectus Vexillum prae myriade.*

Erectus in cruce (nam quae ad hunc locum adnotavimus, hic repetere juvat) erectus igitur in cruce, atque ita effectus Vexillum, ad quod sese quamplurimi recipiunt, qui abnegant

(1) Montald. pag. 617.

semetipsos, tollunt crucem suam, et eum sequuntur; ipse omnibus qui crucem ferunt multo insignior atque praestantior.

*Erectus vexillum prae myriade*, seu *decem millibus*, idest permultis; quo numero utuntur Hebraei, quum de magna loquuntur multitudine. Est autem illa ipsa sententia quam Isaias, et Paulus expresserunt. Isaias quidem his verbis: *In die illa radix Jesse, qui stat in Signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur* (1); ubi Signum apud Hebraeos est נֵס, *Vexillum* (2). Paulus autem his; *Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (gerentis crucem), *ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus* (3).

Hebraea vox דָּגוּל est participium passivae significationis a verbo דָּגַל vexillum erigere (4). Houbigantius quum rem quam Sulammitha dicit non assequeretur, mendum de more creat, pronunciatque *dagùl* esse *verbum sine re*, scribendum autem esse גדול *gadòl*, idest *magnus*, *procerus*. Ita ipse sacrorum Librorum *magnus* est corruptor.

11 *Caput ejus aurum est purissimum solidum*.

Idest, ut solidum purissimum aurum ceteris omnibus metallis praestat, sic Dilecti caput capitibus praestat omnium hominum.

*Comae illius* sunt *acervi*, *nigrae ut corvus*.

Tam spissae scilicet, atque aliae aliis superpositae, quam grana in acervis tritici.

Varie tamen vox תַּלְתַּלִּים *thalthalim* reddita est. Septuaginta βόστρυχοι αὐτοῦ ἐλάται, μέλανες ὡς κόραξ, *Cincinni ejus elatae*, *nigri ut corvus*. Vox autem ἐλάτη *elate*, tria significat, *abietem*, *extremam ac latiorem remi partem*, *novi et na-*

(1) Isai. XI. 10.
(2) Montald. pag. 768.
(3) Rom. VIII. 29.
(4) Montald. pag. 190.

*scentis in palma fructus involucrum* (1): qua ultima significatione adhibitam a Septuaginta fuisse, auctor est Hieronymus, qui ut eam explicaret, duo verba adjecit *sicut* elatae *palmarum*, ut in Vulgata leguntur; quae nec apud Hebraeos sunt, nec apud Septuaginta. Sed de voce hebraica vide Montaldum (2).

12 *Oculi ejus ut columbae* sunt *juxta rivos aquae lavantes sese in lacte, insidentes usque ad satietatem.*

Nigrae oculorum ejus pupillae in ipsarum albo tam laetae hilaresque sunt, et tam delectant inspectae, quam columbae juxta rivos aquae amoenissimos, quae sese in lacte, hoc est in aqua eorum purissima et limpidissima lavent, insidentes ripis usque ad satietatem.

13 *Genae illius ut areolae* sunt *aromatis, turriculae pigmentariorum.*

Tam gratae sunt aspectui, tam jucundae, atque suaves, quam sunt areolae ubi conseruntur aromata, quam sunt turriculae phialis unguenta pretiosa continentibus eleganter a pigmentariis structae. *Turriculae* מִגְדָּלוֹת de qua voce, deque Vulgati, et Septuaginta versionibus adi Montaldum (3).

*Illius labia* sunt *lilia; fluida stillant myrrha.*

Duplex ait hic Calmetus esse liliorum genus, candidum, et rubicundum. Sed si coloribus genera distinguenda sunt, multo plura erunt (4). Rubrum est, antequam omnino exclusum sit, illud quod a Linnaeo *Amaryllis atamasco* dicitur. Rubram item corollam habet illud quod ab eodem vocatur *Amaryllis formosissima*. His, aut horum similibus labia Dilecti Sulammitha comparat.

(1) Vide Dioscorid. Lib. I, 151.
(2) Pag. 1801.
(3) Pag. 151.
(4) Vid. Bomarii Dict. Histor. Nat. artic. Lilium.

14 *Manus ejus annuli* sunt *aurei repleti Tharsis*.

Hoc est tam formosae, quam annuli aurei elegantissimi, quales in urbe Tharsis fabrefieri, gemmisque compleri solent. Ad hunc locum haec notat Montaldus: *Septuaginta vertunt* τορευταὶ, *Vulgatus tornatiles. Eadem autem dictio, quae occurrit Esth.* 1. *v.* 6. *Septuaginta est* κύβοι, *cubi, Vulgato circuli. Alii utrobique vertunt orbes; Joanni Simoni* גְּלִילִים *sunt semper annuli; unde arbitrantur, explicationem vocis* גְּלִילִים *per* volubiles, *formae ejus repugnare* (1).

*Tharsis* nomen est et gemmae, et gentis seu regionis, et Oceani. Sed quae gemma, quae gens regiove sit, multiplex est Interpretum sententia, et quod magis cuique arridet, illud sequitur. Nobis nomen urbis visum est aptius, alicujus scilicet earum, quas illi commemorant, sive urbs Judaeae orientalis fuerit, sive sit Tartessus Hispaniae, aut Tarsus Ciliciae, aut Tunetum, aut Carthago urbes Africae; qua de re magnopere non sumus solliciti. Quanquam pro urbe veteris Phoenicum coloniae, quam Graeci *Tartesson*, ipsi Phoenices *Tharsis* appellabant, standum esse arbitraremur. Qui haec curiosius inquirunt, adeant Interpretes, et Montaldum invisant (2). Qui vero gemmam intelligere malunt, et in ea re Vulgatum sequi, sciant nos propterea vocem ipsam hebraeam retinuisse, ne id ipsis invideremus; quod etiam Septuaginta fecerunt, πεπληρωμέναι Θαρσὶς, *repletae Tharsis*. Quae sequuntur non egent declarationis.

15 . . . . *Forma illius* est *ut Libanus*, *selecta ut Cedri*.

Tantam prae se fert illius forma et species amoenitatem, quantam Libanus, quantam consiti cedris horti laetissimi. Cetera usque ad finem Capitis clarissima sunt.

( CAP. VI. ) Filiae Hierosolymae submissa voce, ut supra.

(1) Montald. pag. 167.

(2) Pag. 1489.

1 *Quo abiit Dilectus tuus, o formosissima mulierum? Quo abiit Dilectus tuus, et eum quaeremus tecum?*

Sulamm. 2 *Dilectus meus descendit in Hortum suum, in areolas aromatis, ad pascendum in Hortis, ad colligenda Lilia.*

Descendit in Judaeam, quo se proficisci dixit supra (1). Quae regio quum nondum tota Christiana esset, verum quaedam hic atque illic domus Hebraeorum jam invenirentur, quae, nuper accepta conversionis gratia, Christi *bonus odor* essent, idcirco Dilectus descendisse dicitur *in areolas aromatis*, in eas ipsas scilicet domus. Quod addit, *ad pascendum in Hortis*, idest in illis Judaeae locis, ubi domus erunt ejusmodi; quae loca ob insitam nuper enascentemque christianam religionem, Horti jam esse incipiunt. In his ipse Dilectus *pascit*, et *colligit Lilia*, viros scilicet fortissimos sanctissimosque Christianos, quos, saeviente adhuc Antichristi crudelitate, Dilectus ad se colligit martyrio coronatos.

3 *Ego apud Dilectum meum* sum, *et Dilectus meus apud me* est!

Ego ex hebraea gente ad Dilectum meum veni, susceptaque illius fide apud illum sum; et Dilectus meus ad me, ad gentem meam, in patriam meam Judaeam ivit, et apud Hebraeos christianos est. Quibus verbis clarius respondet, quo Dilectus abierit. Haec autem animo summopere laeto gratoque pronunciat.



(1) Cap. V. 1.

## SCENAE IV.

### DECLARATIONES.

Sulamm. *O qui pascis in Liliis!*

Eaedem sunt voces, quas supra ad Cap. II. v. 16. declaravimus. Hieronymus tum hic tum ibi passive interpretatus est *pascendi* verbum: Septuaginta utrobique active, ὁ ποιμαίνων ἐν τοῖς κρίνοις, *pascens*, vel *qui pascit in liliis*. Horum nota est frequentissima consuetudo nominativis loco vocativorum utendi; ut etiam eorum interpretatio transferri possit, *o qui pascis in liliis*.

Dil. 4 *Pulchra es, amica mea, ut Thirsa, speciosa ut Hierosolyma, formidabilis ut acies vexillis instructae!*

*Pulchra . . . . . ut Thirsa*. Montaldus ad vocem *Thirsa* haec adnotat: *Item nomen proprium civitatis in terra Chanaan notissimae, dictae* תִּרְצָה (Thirsa) *ab amoenitate*, a רָצָה, *quod latine sonat*, gratum et acceptum habere. Jos. 12. v. 24. *Fuit dein Jeroboami, et successorum ejus sedes regia usque ad Samariam conditam*, 1. Reg. 16. v. 17. etc. Sed כְּתִרְצָה Cantic. 6. v. 4. *a Vulgato redditur* suavis, *ab aliis ut Tirsa* (1).

Dil. 5 *Deflecte oculos tuos a me: ipsi enim me fortiter urgent.*

Haec verba, *ipsi enim me fortiter urgent*, Septuaginta verterunt ὅτι αὐτοὶ ἀνεπτέρωσάν με, *quia ipsi alas mihi addiderunt*, quo sensu Vulgatus dixit, *quia ipsi me avolare fecerunt*. Verbum autem illud graecum ἀναπτερόω obtinet in metaphoris usum, quum quis ab alio incitatur, ejusque animus ita erigitur, quasi addantur alae. Sed verbum hebraicum רָהַב pro-

(1) Pag. 1824.

priam habet suam *fortiter insistendi*, *urgendive* signi ficationem (1); quae clarior fortassis est ipsa metaphora. Intelligere hinc licet, cur supra ubi alii interpretantur, *oculi tui columbarum*, nos ex alia vocis significatione interpretati simus, *oculi tui vim faciunt*. Dicitur enim ibi hoc ipsum quod hic sine vocis ambiguitate dicitur. Nam hic nulla esse columba potest.

Quae sequuntur usque ad versum octavum declarata sunt Capite quarto.

8 *Sexaginta erunt Reginae*, *ac octoginta Matronae*, *et Virginum non* erit *numerus*.

Sexaginta, et octoginta sintne numeri definiti pro indefinitis, dicere non ausim. Rem declarabit eventus. Nam, ut in adnotationibus diximus, hic vaticinium est de statu ac dignitate Ecclesiae catholicae post Antichristum, quando universus terrarum orbis Christianam Religionem sanctissime colet. Quamplurimas enim tunc ubique gentium oportebit esse peculiares Ecclesias, e quibus alias majores, alias minores, sed omnes uni maximae ac praestantissimae omniumque magistrae Ecclesiae Romanae conjunctas. Earum Ecclesiarum quae ceteris auctoritate ac dignitate antecellunt, eae *Reginae* a Dilecto ipso nominantur; quae secundum obtinent ab iis locum *Matronae*, sive uxores secundi ordinis, quas veteres Hebraei *Concubinas* non inhonesto tunc nomine appellare consueverunt, nos *Matronas* diximus, ut honestam Sacri Auctoris mentem honesto etiam apud nos exprimeremus nomine. Quae denique postremo sunt auctoritatis dignitatisque loco, eae *Virgines* dictae sunt. Harum numerum, universo terrarum orbe effecto Christiano, longe maximum esse oportet, ut facile quisque intelligit. Idcirco dicitur, *et Virginum non erit numerus*.

*k k 2*

(1) Montald. pag. 1394.

Hanc de Ecclesiis explicationem Delrius, Sanctius, Calmetus ceteris omnibus anteponunt. Sed iidem mysticam esse putarunt, quum literalis sit; hoc est ea ipsa quam Salomon allegoria sua persequitur; non quam nos allegorice ipsius dicta interpretantes, quasi allegorica non sint, afferamus.

9 *Prima erit Columba mea, Immaculata mea: prima erit apud Matrem illius, Electa erit apud Genitricem ipsius.*

Operosam haec et satis longam postulant explicationem, quae alias, si Deus dederit, instituetur.

*Videbunt eam Filiae, et beatam praedicabunt; videbunt eam Reginae, atque Matronae, ac eam collaudabunt.*

Hebraeorum ecclesiam videbunt ceterae omnes ecclesiae, Filiae, Reginae, Matronae: videbunt, et beatam esse praedicabunt, unoque ore collaudabunt.

10 *Quae est ista*, dicent, *quae sese ut aurora exserit, pulchra ut luna, electa ut sol, formidabilis ut acies vexillis instructae?*

Sunt haec ipsa Ecclesiarum collaudantium verba. Hebraeorum autem ecclesia *sese ut aurora exserit*, quia statim incipit post densissimas tenebras Antichristiani temporis: eademque *pulchra est ut Luna* ob crescentem in dies illius ecclesiae splendorem; *electa ut Sol* ob summum splendoris ipsius gradum quo brevi perventura est: *formidabilis* denique *ut acies vexillis instructae* propter ea quae contra quosvis Dilecti hostes gestura est, quae Michaeas descripsit his verbis: *Erunt autem reliquiae Jacobi in medio Populorum multorum tanquam ros a Domino, tanquam stillae pluviae super herbam quae non expectet virum, neque desideret filios hominum. Imo erunt reliquiae Jacobi in Gentibus, in medio Populorum multorum, tanquam leo inter silvestres belluas, tanquam leo juvenis in gregibus ovium; qui si transierit, et proculcaverit, depraeda-*

*tusque fuerit*, *jam nemo qui eripiat erit*. *Manum tuam*, *Judaee*, *contra hostes tuos attolles*, *et omnes inimici excidentur tui* . . . . . . , *et hostes tuos vastabo* : *faciamque in ira*, *et in furore meo vindictam in Gentibus quae non audient* (1). His de causis *formidabilis erit ut acies vexillis instructae*.

Sulamm. 11 *In Hortum nucis descendam*, *ut inspiciam recentes Torrentis fructus*; *ut videam num Vinea fructum afferat*, *num mala punica floreant*.

*In Hortum nucis*, hoc est in Judaeam Hebraeis adhuc perfidis frequentem. Nam Hebraei patriis sedibus ad quingentos annos ante Antichristum, ut diximus, restituti, per totum illud tempus hostes Christiani nominis longe omnium infensissimi sunt futuri. Hac de causa Judaea illius temporis *Hortus nucis* dicitur, ducta ab hac arbore similitudine, quae vineis arvisque maxime noxia est (2), non secus atque tunc Ecclesiae christianae Judaea. Sed Dilectus nuper in hunc Hortum nucis *Torrentem* gratiarum effudit, quum Hebraeos ipsos alloquens, *Edite* inquit, *socii*, *bibite atque inebriamini*, *dilecti* (3). Hinc Sulammitha (quae semper in extasi est) desiderio flagrans popularium suorum conversionis, in Judaeam proficisci velle se ait, *ut inspiciat recentes* ejus *Torrentis* gratiarum *fructus*, *ut videat num Vinea* (ipsa Judaea) *fructum afferat*: quae valde, opinor, ab his quae diximus, prona et illustria sunt.

Quod addit, *num mala punica floreant*, animadvertendum est, *Rimmonim* hoc est *Malorum punicorum* nomine semper in Cantico sanctos Dei Dominique nostri Jesu Christi martyres appellatos esse. Et quum *Torrens* ille gratiarum effusus

(1) Mich. V in Apoc. Cap. XIV. §. X.

(2) Bomar. Diz. rag. di Stor. Natur. Tom. XXII. pag. 118.

(3) Supr. Cap. V. 1.

a Dilecto in Hebraeos sit saeviente adhuc immanissime Antichristo, florere jam apud eos debebant dum haec ait Sulammitha martyres: atque. id est quod ipsa inspicere tertio loco desiderat.

*Ut inspiciam recentes Torrentis fructus*: Septuaginta ἰδεῖν ἐν γεννήμασι τοῦ χειμάῤῥου *ut inspiciam in germinibus torrentis*, אֵב est *viror*, *virens*, *fructus recens* (1); et נַחַל est *vallis*, *torrens*. Hinc rationes interpretationis Vulgati licet agnoscere, qui recentes fructus *poma*, et torrentem *convalles* interpretatus est.

12 *Nescio: anima mea me currus ponit voluntarii Populi mei.*

Vide adnotationem ad textum. *Currus esse alicujus* ii dicuntur qui aliquo illum adducunt. Hic Sulammitha populares suos Hebraeos ad Dilectum cupit adducere hortando, monendo, quavis ratione adjuvando, ut et fidem suscipiant, et in fide suscepta perseverent, nec minis, tormentis, caedibus deterreantur, sed mortem ipsam oppetere perlibenter parati sint. Post torrentem illum gratiarum a Dilecto in Hebraeos effusum, permulti ex iis ad haec paratissimi esse debuerunt; novi nimirum et *voluntarii* milites Christi, iidemque nobilissimi, et amore in illum flagrantissimi. Hos Sulammitha *voluntarium populum suum* appellat, ac iis adesse cupit, ut fortes in martyrio ad Dilectum suum in caelos adducat.

Hunc locum satis varie interpretati sunt. Septuaginta Οὐκ ἔγνω ἡ ψυχή μου· ἔθετό με ἅρματα Ἀμιναδάβ. *Nescivit anima mea: posuit me currus* (vehicula) *Aminadab*. Ubi inest ambiguitas. Duplex enim esse potest intelligentia: scilicet *posuit me vehicula Aminadabus*; et *posuit me* (anima mea) *vehicula Aminadabi*. Aquila, Symmachus, et Quinta Editio,

(1) Montald. pag. 1.

ψυχή μου ἠπόρησέ με ἀπὸ ἁρμάτων λαοῦ ἡγουμένου, *Anima mea me dubium fecit propter quadrigas populi ductoris* (1). Hieronymus aliquid ab omnibus mutuatus est, interpretans, *Anima mea me conturbavit propter quadrigas Aminadab*. Nam verbis *me conturbavit*, ab Hebraeo, et Septuaginta recessit, qui habent *posuit*, et Aquilam, Symmachum, ac Quintam Editionem sequutus est, apud quos *dubium me fecit* habet eundem sensum ac *me conturbavit*. Id ipsum fecit in illis quoque verbis *propter quadrigas*, quae illi eodem sensu dixerunt ἀπὸ ἁρμάτων *a quadrigis*, seu *curribus*. Nam in Hebraeo et Septuaginta nulla est hoc loco praepositio *a* seu *propter*. At ab Hebraeo, Aquila, Symmacho, Quintaque editione recessit, ac Septuaginta sequutus est, quum nomen *Aminadab* proprium, quod isti attulerant, retinuit; cujus loco apud superiores illos duo sunt distincta nomina; quae apud Hebraeos sunt עַמִּי נָדִיב, *Hammi Nadib*, apud Graecos illos interpretes λαοῦ ἡγουμένου, *populi ductoris*.

Recentiores qui a Polo in Synopsi commemorantur, divisi et ipsi fuerunt. Quidam enim nomen proprium *Hamminadib*, sive *Amminadab* retinent; quanquam quis ille fuerit, nescire se confitentur, et solum conjectura ducti arbitrantur, ducem quendam fuisse, cui currus esset purpureus, ut ait Grotius, vel cujus quadrigae tunc essent celeritate percelebres, ut Mercerus existimat. Sed alii longe plures duo Hebraeorum nomina retinent, ac interpretantur, *Anima mea posuit me currus populi mei tributarii, nobilis, munifici, principis, ingenui, voluntarii*, quas significationes habet vox hebraea נָדִיב *nadib* (2). *Voluntarii* autem significationem ceteris anteferri oportere, a serie orationis, ipsoque argumento, et his quae hactenus declarata sunt, satis esse manifestum arbitror.

(1) Apud Calmet. hic. (2) Montald. pag. 709.

Quid accidat in Scena quum haec Sulammitha dicit, vide inter Textum.

Fil. et Virg. (CAP. VII.) 1 *Redi, redi, o Sulammitha; redi, redi, ut te intueamur!*

Sulamm. *Quid videbitis in Sulammitha? tanquam chorum duorum castrorum . . . . .*

Haec ad Textum explicata sunt.

Fil. et Virg. 2 *Quam pulchrae sunt cum calceis plantae tuae, Voluntarii Filia!*

Tota haec descriptio allegorica est, pulchritudinem, dignitatem, majestatem corporis Ecclesiae post conversionem Hebraeorum et omnium Gentium ostendens.

*Voluntarii Filia* nunc primum Sulammitha vocatur duplici de causa; et quia gratiis a Dilecto tributis promtissima paruit voluntate, ut diximus; et quia e Populo Hebraeo est, qui post similes gratias in eum a Dilecto nuper effusas, jam coepit esse *voluntarius* ejusdem cultor.

*Voluntarii Filia*, hebraice *Bath nadib*, illa ipsa vox *nadib*, de qua nuper est dictum. Septuaginta vocem ipsam retinuerunt, θύγατερ ναδάβ, *filia nadab*.

*Ambitus laterum tuorum sunt ut monilia, opus manuum praestantis artificis.*

*Ambitus* propria est hebraeae vocis significatio (1). Septuaginta ῥυθμοὶ, *rhythmi*. Nam a Graecis *juxta rhythmum* κατὰ ῥυθμόν esse dicitur, quod certo ordine, modoque constat; quae Salomonis sententia est. Idcirco addit *opus manuum praestantis artificis*, qui ab Hebraeis dicitur אָמָן *aman* (2).

Quae sequuntur in versibus tertio, quarto, et parte quinti, peculiaribus non egent animadversionibus. Nam quo referatur tota haec descriptio, supra dictum est.

(1) Montald. pag. 330. (2) Idem pag. 47.

5 . . . . *Oculi tui* sunt *ut piscinae in Hesebone ad portam Bath rabbim*.

*Hesebon*, ait hic Calmetus, *vetus et celebris urbs erat trans Jordanem ad Septemtrionem, et ad radices montium Phasga, sive Abarim, in tribu Ruben*. Idem existimat, piscinas Hesebonis a duobus fontibus aquas habuisse; et quia *fons* et *oculus* eodem gaudent apud Hebraeos nomine, inde ductam esse hanc comparationem. *Bath rabbim* nomen esse debuit portae Hesebonis, ad quam essent piscinae. Septuaginta, et Vulgatus significationes utriusque vocis transtulerunt, illi quidem *filiae multorum*, hic *filiae multitudinis*; quod alias in nominibus propriis fecerunt.

6 *Caput tuum supra te instar Carmeli* est; *et vitta capitis tui ut purpura* : *rex* est *alte-cinctus in cursibus*!

In hoc comparationum genere quid maxime spectandum sit, jam diximus. Quibus autem respondeant rebus in Ecclesiae corpore, ad quod proprie pertinent, apud Patres, ceterosque Enarratores abunde invenitur.

*Rex* est *alte-cinctus in cursibus* : scilicet caput tuum ornatum vitta tam decorum est aspectuque magnificum, quam rex cursu certaturus in stadio, qui alte quidem cinctus est, ut currere sine impedimento possit, sed regiam magnificentiam suam illis quoque vestibus ostendit.

Permulta, et longe inter se varia in hunc locum tentata et conscripta sunt, quae referre longissimi esset operis. Nos hebraeum textum sequuti sumus, et Septuaginta Interpretes. Sic enim apud Hebraeos et Septuaginta sunt distinctae sententiae, ut hic eduntur. Eorum versio est: Κεφαλή σου ὡς Κάρμηλος, καὶ πλόκιον κεφαλῆς σου ὡς πορφύρα· Βασιλεὺς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς: *Caput tuum ut Carmelus, et ornamentum capitis tui ut purpura* : *rex vinctus in transcursibus*; hoc est, ut equidem arbitror, in iis certaminibus, in quibus victor est qui

cursu alios superat, eosque transcurrit. Hebraea vox רהט raat, spectata illius radice, proprie *curriculum* significat, locum scilicet in quo certatur cursu; ut apud Horatium, *Sunt quos curriculo pulverem olympicum collegisse juvat*; quem locum Graeci stadium appellarunt. Ad eam Hebraeorum vocem haec Montaldus notat: *Ambulacrum per quod curritur et ambulatur, juxta quosdam. Aliis est canalis, a currendo dictus* Raat, *lacus, sive locus concavus in pratis, alveus, tubulus aquarum pluvialium, incile* (1). Adhibita igitur propria vocis significatione *curriculi*, cognitoque per eam certaminis genere, de quo hic sermo sit, ultro et sponte se prodit quid Salomon velit, dum מלך אסור, Βασιλέως δεδεμένου, *regis vincti* comparationem inducit. Rex enim ad certandum cursu paratus alte cinctus sit oportet, hoc est veste alte cingulis vincta, ne currentem impediat, iis quidem splendidis atque magnificis, ut regem decet. Huic igitur regi Sulamamithae caput vittis redimitum Filiae et Virgines comparant.

9 *Dixi: conscendam in palmam, capiam ramos ejus.*

Ut scilicet in te, Sulammitha, sim, tibique adhaeream.

*At sint, precor, mammae tuae ut botri vitis, et odor halitus tui ut* odor *pomorum*, 10 *palati autem tui ut* odor *Vini Bonitatis, quod it ad Dilectum meum recta, leniter irrepens labia dormientium*!

Ecclesiae mammas duo esse Testamenta diximus, quas similes esse botris vitis Filiae et Virgines cupiunt, ut ab iis caelestis doctrinae succus exprimatur qui corda laetificet hominum, juxta illud *Justitiae Domini rectae laetificantes corda* (2), quemadmodum a botris vitis exprimitur *vinum, ut laetificet cor hominis* (3).

(1) Pag. 1396.
(2) Psalm. XVIII. 9.
(3) Psalm. CIII. 15.

Tota haec oratio precantum et optantum est: Itaque his quae sequuntur verbis, *et odor halitus tui ut* odor *pomorum* sit, cupiunt ut quidquid ab ore Christianorum egreditur oleat semper redemptionis fructus atque mysteria, et paene nihil aliud exhalent. Nam *poma* redemtionis fructus ex arbore Malo, quae Crux est, decidentes appellari, satis luculente alibi cognitum est (1).

Eodem modo quae porro veniunt verba, *palati autem tui ut* odor *Vini Bonitatis*. His enim optant ut ora Christianorum nullum alium exhalent odorem nisi tremendi et Sacrosancti Sanguinis (idem de Carne dicito) super omnia dilecti Dei Dominique nostri Jesu Christi; quemadmodum qui largius communi indulgent vino illud plurimum olent. Est enim hic quintus jam locus in quo Sacrosanctus ille divinus Sanguis non mystice, sed proprie ac literaliter sub specie Vini commemoratur in Cantico. Ac ne dubitaremus quin hoc Dei *bonitatis Vinum* ille ipse inaestimabilis Sanguis esset, continuo subjecta sunt verba, *quod it ad Dilectum meum recta, leniter irrepens labia dormientium*, quibus admirabilis effectus describitur unius ejus Vini peculiaris et proprius, quem in viris Sanctissimis conspicere interdum licet, ut hic in Sulammitha conspicitur. Nam ut qui commune vinum turpiter ingurgitant, imperium mentis amittunt, quae nulla ratione vagans in eas cogitationes maxime fertur in quibus versari prae ceteris solebat, iidemque de illis ipsis rebus quae menti occurrunt fanda infanda miserabiliter loquuntur; sic qui sacrosanctum Dei *bonitatis Vinum* dignissime sanctissimeque bibunt, ceteras cogitationes omnino relinquunt, ac illud ipsum Vinum eos recta ad Dilectum rapit quo maxime delectabantur, et quocum versari semper antea jucundissime consueverant; qua profunda



(1) Cantic. Cap. II. 5.

meditatione gignitur extasis. Haec autem cum plura admirabilia facere solet, tum illud quoque ut qui ea correpti sunt, etsi cetera sine sensibus, et dormientium fereque mortuorum similes esse videantur; tamen dulcissime summaque cum ratione vigilent, loquantur, interrogantibus respondeant optime, sapientissime, altissime. Quae quum fiunt, et extasis ortum ab hausto *bonitatis Vino* habuit, tum illud Vinum *leniter irrepere labia dormientium* dicitur: quod hic, ut diximus, Sulammithae accidit. Loquitur enim continenter in extasi jam inde a Capitis secundi versu quinto; quae extasis illum ipsum habuit ortum quem diximus, ut initio Cantici cognitum est.

Ad interpretationem quod attinet, locus est valde perspicuus, sed quem Interpretes suis versionibus plurimum obscurarunt. Primi omnium Septuaginta, quos ceteri fere omnes sequuti sunt, orationem ita ut est apud Hebraeos in morem optantum et precantum non reddiderunt. Nam pro *At sint, precor*, interpretati sunt, Καὶ ἔσονται δὴ, *Et erunt sane*; particula נָא, *Na*, *quaeso*, *obsecro*, *precor*, habita tanquam expletiva δὴ, *sane*, quum non modo sit particula obsecrandi (1), sed illud etiam efficiat, ut futurum, quod saepe alias imperativi significationem habet, quandocunque cum illa particula conjunctum est, hanc solam habeat imperativi significationem, totaque oratio sit optantis, precantis, obsecrantis.

Iisdem interpretibus Syntaxis verborum mire perturbata est, effectumque ut quae nomina genitivo casu exprimi debuissent, *pomorum*, *gutturis*, *vini*, ea nominativo apud illos expressa legantur, *poma*, *guttur*, *vinum*; quo nihil aptius esse ad afferendam obscuritatem poterat. Ex quo illud etiam consequutum est, ut quum in Textu sermo sit tum de odore *nasi*,

(1) Montald. pag. 687.

hoc est halitus ab eo proficiscentis, tum de odore *palati*, ille vero similis odori pomorum, hic odori Vini bonitatis optetur; *odor palati* ab eorum versione prorsus exclusus fuerit.

Ad haec accessit exemplaris, quod habuere Septuaginta, vitium. Nam ab eorum versione manifestum est, pro יְשֵׁנִים, *jesenim*, *dormientes*, scriptum fuisse in illorum exemplari וְשִׁנַּיִם *vesenim*, *et dentes*; *jod* in *vav* descriptoris incuria facillime commutato. Qua scriptione necessario consequebatur ut vox constructa שִׂפְתֵי, *siphthe*, *labia*, jam non *siphthe*, sed שְׂפָתַי, *siphthai*, *labia mea*, ab iis pronunciaretur.

Hisce de causis totum hunc locum Septuaginta ita interterpretati sunt: Καὶ ἔσονται δὴ μαστοί σου ὡς βότρυες τῆς ἀμπέλου· καὶ ὀσμὴ ῥινός σου ὡς μῆλα, καὶ ὁ λάρυγξ σου ὡς οἶνος ἀγαθὸς πορευόμενος τῷ ἀδελφιδῷ μου εἰς εὐθύτητα, ἱκανούμενος χείλεσί μου καὶ ὀδοῦσιν: *Et erunt sane mammae tuae ut botri vitis, et odor nasi tui ut poma, et guttur tuum ut vinum bonum, quod it nepoti meo* (sic illi Dilectum interpretantur) *in rectitudinem, idoneum factum labiis meis et dentibus*. Ubi animadvertendum est, orationem apud Septuaginta esse continuam, non in binas periodos divisam, ut nunc est apud Hebraeos non recte.

Has obscuritatis causas fere omnes latinus Interpres retinuit, et alias praeterea adjecit. Nam non solum orationem in morem optantum ne ille quidem expressit, sed et particulam illam *Na* obsecrantis plane omisit ac neglexit, et orationem in duas periodos, omissa praeterea conjunctione, divisit; et quaedam immutavit, quaedam detraxit quae sunt in Textu, quaedam quae in eo non sunt adjecit. Immutavit verba *quod it ad Dilectum meum* his aliis *dignum Dilecto meo*, quae nec graecus, nec hebraicus Textus patitur. Detraxit quod Septuaginta interpretati sunt *in rectitudinem*, nos *recta*. Adjecit verba *ad potandum*, pronomen *illius*, verba *ad ruminandum*;

quae neque apud Hebraeos sunt, neque apud Septuaginta. Quamobrem Latina versio sic extat: *Et erunt ubera tua sicut botri vineae, et odor oris tui sicut malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, et dentibus illius ad ruminandum.*

*Quod it ad Dilectum meum recta*, הוֹלֵךְ לְדוֹדִי לְמֵישָׁרִים verbum de verbo expressum est, et *recta* illud ipsum est quod Septuaginta dixerunt εἰς εὐθύτητα, italice *in dirittura*.

*Leniter irrepens labia dormientium* דּוֹבֵב שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים. Montaldus ad verbum דָּבַב, *Joanni Simoni*, inquit, *aliisque Arabes sequutis est* leniter incessit, paulatim fluxit, perrepsit, irrepsit, *quod specialiter* de vino in cerebrum irrepente *dicitur* (1).

Sulamm. 11 *Ego apud Dilectum meum sum, et erga me illius desiderium est.*

Ego, pars hebraeae gentis effectae Christianae, sum apud Dilectum meum; et erga me, totamque gentem meam est desiderium Dilecti mei, quo et me in dies perfectiorem eique conjunctiorem, et gentem meam ad eum venire, illum agnoscere, recipere, suum esse Deum confiteri, eique sese conjungere, ac perfectam fieri summopere cupit. Quae Sulammithae verba consolationis laetitiaeque plenissima sunt.

Pro *desiderio*, aut *appetitu*, quae propria vocis תְּשׁוּקָה significatio est (2), Septuaginta quos latinus Interpres expressit, ἐπιστροφὴν, *conversionem* posuerunt. Hac voce Graeci, testibus Hesychio et Plutarcho apud Polum in Synopsi ad hunc locum, attentam curam studiumque significant: quod juvat adnotasse, ut cognita propria graecae vocis significatione, cognoscatur etiam non discrepare sententias.

(1) Montald. pag. 184. quem vide. (2) Montald. pag. 1587.

## SCENAE V.

### Declarationes.

In scena quid fiat, vide ad Textum.

Sulam. 12 *Veni, Dilecte mi, egrediamur in agrum, pernoctemus in pagis,* 13 *diluculo surgamus ad vineas, invisamus an pullulaverit vitis, an uvam primam excluserit, an mala punica floreant!*

Dilectum in scenam venientem invitat ad invisendam una cum ipsa quoquo terrarum Ecclesiam Antichristi immanitate dire vexatam; praecipue vero ad invisendam gentem Hebraeam, quae vitis est, de qua, post gratiarum torrentem a Dilecto in eam effusum, cupit cognoscere, an pullulaverit, an uvam primam excluserit, an mala punica apud eam floreant; scilicet an christiana fieri jam coeperit, martyrioque recens susceptam fidem tueri parata sit.

*Ibi dabo tibi amores meos.*

Ibi sollicitudine quam tecum, Dilecte mi, habebo de universa Ecclesia extra hoc Desertum, praecipue vero de gente mea Hebraea, ostendam tibi quanto amore te prosequar.

14 Invisamus *an mandragorae odorem emittant, et an ad fores nostras* sint *pretiosissimi quique fructus! Novos atque veteres, Dilecte mi, abscondam tibi.*

*Invisamus* e superiore oratione repetendum est. Pergit enim in eandem sententiam loqui. *Mandragorae*, ut tradunt Historiae naturalis Scriptores, ingratum ac graveolentem odorem emittunt, habentque imbuendi torporis lethargique vim. Hic perversi designantur Hebraei, quos Sulammitha cupit invisere ut discat, num Christiana fide suscepta graveolentem illum veterem odorem tandem aliquando a se depellant, quem

contra *Christi bonum odorem* christianos lethargo correpti, suisque erroribus indormientes tam diu retinent. Invisere praeterea cupit, an ad fores Ecclesiae sint pretiosissimi quique fructus tum poenitentiae, tum conversionis virorum ex omnibus gentibus in eam nunc vel primo, vel denuo ingredi cupientium; quos viros tam novos, quam veteres sese Dilecto suo custodituram servaturamque pollicetur.

Post haec quid fiat in Scena, inter Textum vide.

Sulamm. (CAP. VIII.) 1 *Utinam mihi tanquam frater fuisses, mammas Matris meae sugens!* Utinam *te foris invenissem, te osculata essem! Me quoque non contemsissent.*

Sulammitha hic maxime moerens calamitatem deplorat gentis suae, quae Dilectum nec quum apud eos erat amavit, aluit, coluit; nec quum a reliquis gentibus exceptus est, agnovit, quaesivit, coluit, quorum alterutrum ut Hebraei fecissent, maxime vellet.

*Utinam mihi*, et cetera. Qui sermonis Hebraei non callent idiotismos, quos non raro, ut hic, Interpretes retinent, hi facile existimabunt; nos hoc loco interpretando a Textus sententia discessisse, quia pro *Quis mihi dabit*, aut *det*, ut Latinus, et Septuaginta dixerunt, posuimus *Utinam*. Sed, ut notant hic apud Polum in Synopsi Criticorum Vatablus, Ainsworthus, Grotius, et passim Eruditi, atque ut ait in Lexico Montaldus, Quis dabit? *formula est optantis, unde a Septuaginta, Vulgato* (alibi), *aliisque redditur* utinam, o si, si (1). Ita quod verbis discrepat, sententia ipsissimum est, et nostris cognitu facilius.

*Mammas matris meae sugens*; sententia est, utinam ego te fratris loco habuissem, quum tu e gente mea nasci dignatus

(1) Montald. pag. 826.

mammas matris meae sugebas, hoc est corporeo gentis meae vescebaris cibo, filius illius effectus, ut ceteri Judaei. Quam quidem esse hujus loci sententiam, declarat illud quod sequitur *foris*, idest apud Gentes, in quibus Evangelium a Judaeis depulsum magno concursu acceptum est. *Matrem* in Cantico semper appellari Hebraeorum gentem, saepe jam monuimus. *Utinam* secundo loco e superiori oratione supplendum est. Pergit enim idem desiderium.

*Te osculata essem*, hoc est te summo prosequuta essem obsequio, cujus olim signum erat osculum, ut Eruditi apud Polum animadvertunt (1).

*Me quoque non contemsissent.*

Christiani jamdudum omnium Populorum cultissimi atque doctissimi me quoque, hoc est gentem meam Hebraeam non contemsissent, ut reliquos contemnunt populos, qui, Christiana religione neglecta, nulla re insignes sunt nisi ignoratione, morum turpitudine, feritate.

2 *Te adduxissem, te introduxissem in domum Matris meae; me docuisses!*

Si te foris, hoc est apud Gentes invenissem ac cognovissem antequam e patriis sedibus a Romanis pellerer, aut saltem postquam meis sedibus ante hos annos fere quingentos restituta fui; equidem te adduxissem ac introduxissem in sedem Gentis meae Judaeam, ut ibi ab omnibus colereris Hebraeis; tu vero me jampridem caelestem scientiam tuam docuisses, a qua summo meo cum dedecore detrimentoque semper abhorrui.

*Propinassem tibi de Vino conditurae, de succo mali punici mei!*

mm

(1) Syn. Crit. in Psalm. II.

Propinassem tibi Sacrosanctum Sanguinem tuum: Id enim est hoc loco *Vinum conditurae*, nempe vinum illud quod verbis consecrationis ita conditur, ut jam vinum non sit, sed fiat ipse verus Dei Dominique nostri Jesu Christi sacratissimus Sanguis. Sed praeter hunc sacrosanctum suavissimi Dilecti nostri Sanguinem, quem Sulammitha illi propinasset, sanguinem quoque Martyrum e sua ipsa gente illi obtulisset. Quae res verbis quae sequuntur *de succo mali punici mei*; quae ab iis quae alibi diximus, satis innotescunt.

Verba *adduxissem*, *introduxissem*, *docuisses*, *propinassem*, quorum temporum voces proprias non habent Hebraei, futuro sunt tempore in Textu. Sed quum de illorum lingua futurum dicimus tempus, valde καταχρηστικῶς loquimur. Unicum enim illud Hebraeorum futurum ex aequo non respondet futuro nostro indicativi temporis, sed multo latius patet, complectiturque omnes significationes quibus res enunciatur quae futura aut est, aut erat, aut fuit, aut fuerat, aut esset, aut fuerit, aut fuisset, et siquae sunt praeterea: Ex iis quam Scriptor adhibeat, e serie contextuque orationis eliciendum est. Hic dicitur quid *facturi fuissent* Hebraei, si Messiam apud Gentes regnantem agnovissent. Constat ergo quae sit hoc loco futuri significatio, nimirum haec ipsa quam illis verbis expressimus.

Atque hic sextus et postremus est locus in quo sacrosanctus Dilecti Sanguis commemoratus est in Cantico non mystice, sed proprie: quem quia Dilecto placuit, ut nos primi in lucem atque in conspectum hominum afferremus, et gratias quas possumus maximas agimus, et immortales semper habebimus.

Quae sequntur usque ad finem Scenae jam alibi explicata sunt; in qua quid fiat, monita in Textum consule.

## SCENAE VI.

### DECLARATIONES.

Praestig. 5 *Quaenam istchaec est quae sese erigit e Deserto, reclinata super Dilecto suo?*

Praestigiatores (de quibus infra dicemus ad versum tertiumdecimum) intuentes Sulammitham splendidissimis ornatam vestibus, nobilissimo in curru, ad dexteram Dilecti sui, qui eam castissimo amore paene deficientem complexabatur, obstupefacti haec secum ipsi submissa voce interrogant. Res enim prorsus nova et insolens erat in immani Antichristi persequutione atque tyrannide omnium aerumnarum et miseriarum ubique gentium plenissima, quidquam videre hujus rei simile; quum squalor, moestitia, luctus universum hominum genus dudum occuparent.

Sulamm. *Sub arbore Malo excitavi ego te! Ibi perdidit te Mater tua! ibi perdidit Genitricem tuam!*

Sulammitha, quae Praestigiatores submissa voce loquentes inter se non audierat, et nondum eos viderat, occasione a superioribus Dilecti verbis arrepta, quibus Filias Hierosolymae hortatus est ne ipsam ab extasi excitarent, in persona Gentis suae loquens, Ego, inquit, te ut sub cruce vigilares coegi. Totam enim illam noctem Dilectus duxit insomnem, quam postremam habuit in hac vita, Judaeis crucem illi parantibus, et eum vigilare cogentibus acerbissima illa passione, quae finem in ipsa cruce habitura erat. Ibi, sub ipsa cruce, et sub ipsum tempus quo cruci affigi debebas, Hebraea gens tua te perdidit, idest summis doloribus affecit, excidit, morti denique tradidit! Ibi perdidit Genitricem tuam, hoc est seipsam, quum injustissimae mortis tibi illatae poenam super se, ac filios suos poposcit, atque ut merita est, tam diu tulit.

*Perdendi*, *excidendi*, *vastandi* significationem, praeter aliam *enitendi* seu *parturiendi*, esse verbo חִבֵּל, *hhibbel*, testis est cum aliis Montaldus (1). Mercerus apud Polum in Synopsi Criticorum ad hunc locum ducit hoc verbum ab חֲבָלִים *hhabalim*, doloribus, ut, hac spectata origine, sit proprie *maximis afficere doloribus*, quibus quum partus foeminas afficiat, idcirco etiam *eniti* seu *parturire* significat, ut Septuaginta utroque hoc loco interpretati sunt. Houbigantius transtulit *oppignoravit*, inusitato in hac Conjugatione sensu. Alii *concepit*, *genuit*, *parturivit*, *peperit*. Sed planissimum est a rebus de quibus Sulammitha loquitur, aliam hujus loci significationem propriam esse non posse, nisi quam adhibuimus. Houbigantius in Vulgatum intemperans et effraenis est. Sic enim de illo scribit: *Ibi corrupta est mater tua*, est non modo foedum ac inhonestum, sed etiam a proposito prorsus alienum.

6 *Pone me instar sigilli super cor tuum, instar sigilli super brachium tuum!*

Verba sunt amoris plenissima petentis a Dilecto, ut ipsam semper in corde ac ante oculos habeat.

Fil. Hier. *Sane fortis est ut mors amor, durus ut sepulchrum zelus! Scintillae illius scintillae sunt ignis. Est flamma Dei!*

Admirantur et commendant Filiae his verbis magnitudinem amoris quo flagrat Sulammitha erga Dilectum suum. Caritas, inquiunt, ejus tam fortis et insuperabilis est, quam ipsa mors, qua nihil est magis invictum; tam flecti nescia, quam est sepulchrum. Scintillae quae in vultu illius emicant, sunt scintillae ignis! Sulammitha tota flamma est ab ipso Deo incensa!

(1) Pag. 280.

Dil. 7 *Aquae multae non poterunt exstiguere hunc amorem; nec flumina illum inundabunt.*

Hanc tantam Hebraeae gentis, quum ad me venerit, caritatem, ne innumerabiles quidem Gogi copiae poterunt extinguere, quae mille annis post Hebraeorum et omnium gentium conversionem per omne sceleris et flagitii genus debacchantes bellum Hierosolymae inferent. De Gogo videndus Ezechiel; Sed et Joannes in Apocalypsi haec memoriae tradidit: *Et quum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet Gentes quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog et Magog, et congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terrae, et circuierunt castra Sanctorum, et Civitatem dilectam* (1): Ipsam scilicet Hierosolymam, jam ab annis mille mirifice Christianam, itaque a Deo plurimum dilectam. *Aquas* et *flumina*, gentes et populos appellari prophetico stylo meminisse oportet: quam rem ipse Joannes alibi tradit: *Aquae quas vidisti ubi Meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguae* (2).

Virg. *Siquis pro amore omnem det domus suae substantiam, prorsus contemnent eam.*

Declarant Virgines, novae scilicet Ecclesiae, quanti caritatem faciant, cui comparari nulla res possit, ne ex illis quidem quae ad vitam maxime sunt necessariae. Contemnent omnem cujusvis vel opulentissimae domus substantiam hi qui pretium caritatis norunt; neque unquam hanc deserent, etsi ejusdem dispendio divitias, potentiam, imperium totius terrarum orbis sibi essent comparaturi.

Fil. Hier. 8 *Soror nobis parvula est, nec mammas habet: Quid faciemus de Sorore nostra, quo die per ipsam loquendum erit?*

(1) Apocal. XX. 7. 8.　　(2) Apocal. XVII. 15.

Quaestio est veterum Ecclesiarum satis elegans, et multis partibus opportuna, sed quae longioris explicationis egeat, qualem nostrae istae non ferunt angustiae.

Ad versionem quod attinet, quae verba imperitis facere negotium possunt, haec sunt: *Quid faciemus de Sorore nostra, quo die per ipsam loquendum erit?* quae in Hebraico sunt מַה נַּעֲשֶׂה לַאֲחֹתֵנוּ בַּיּוֹם שֶׁיְּדֻבַּר בָּהּ quae a Latino ita conversa sunt, *Quid faciemus Sorori nostrae in die quando alloquenda est?* ubi patet illud *per ipsam* omissum a Latino fuisse. Ea vero quin et singula, et sola, et ex propriis eorum significationibus a nobis fidelissime reddita sint, docti viri dubitare non possunt, qui oculis ipsis vident. Nam quod לַאֲחֹתֵנוּ diximus non *Sorori nostrae*, sed *de Sorore nostra*, id ex eo est quod litera *Lamed* non solum est nota genitivi, aut dativi casus, sed etiam significat *de* (1). In reliquis auctores habemus Septuaginta Interpretes, quorum versio hujus loci accuratissima est. Sic enim reddiderunt: Τί ποιήσομεν τῇ ἀδελφῇ ἡμῶν ἐν ἡμέρᾳ ᾗ ἐὰν λαληθῇ ἐν αὐτῇ; *Quid faciemus Sorori nostrae in die qua sermo habeatur in ipsa?* Quae quidem phrasis *in ipsa* idiotismus est Hebraeorum idem prorsus significans ac *per ipsam*; ut innumerabilia comprobant exempla, quorum unum vel ab ipso novo Testamento proferre sufficiat. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio* (2). Illud enim *in Prophetis* universa Ecclesia catholica in Symbolo Fidei clamat, idem prorsus esse ac *per Prophetas*, dum sese credere profitetur *in Spiritum Sanctum Dominum, qui loquutus est per Prophetas*.

Dil. 9 *Si murus erit, super eum aedificabimus Arcem ar-*

(1) Montald. pag. [illegible]

(2) Hebr. I. 1e

*genitam ; aut si janua erit, super eam compingemus Tabulam cedrinam .*

Quemadmodum superior quaestio nimis longam postulat explicationem, ita haec etiam Dilecti eidem quaestioni responsio. Et hanc igitur in aliud diferre tempus praestat.

Sulamm. ad Fil. Hier. 10 *Ego murus* ero, *et mammae meae, sicut turres* erunt. *Tunc ero in oculis ejus tanquam pacis inventrix.*

Suum quoque Sulammitha tuendae fidei studium, consilium, propositum declarat his verbis, *Ego murus* ero, quandocunque loqui debebit ad fidem contra hostes propugnandam: suum item studium, consilium, propositum ejusdem servandae declarat his aliis, *Et mammae meae*, quibus lac caelestis doctrinae praebebo, *sicut turres erunt*, seu propugnacula fidei munitissima, quandocumque docendo aperire januas Ecclesiae debebit his qui foris sunt. Qua vero via et ratione utrumque factura sit, his quae sequuntur explicat, *Tunc ero in oculis ejus* (scilicet Dilecti, nam Filias Harosolymae alloquitur) *tanquam pacis inventrix*, hoc est ita me geram, ut se gerat oportet, quae pacem omnium in omnibus expetat, omnesque pacis ineundae vias anquirat, rimetur, proponat; sed pacis quae digna sit *Dilecti oculis*, et quam ipse probare atque laudare in primis debeat.

Quod Vulgatus dixit *ex quo*, hebraice est אָז, *az*, quae vocula *tunc* significat (1). Septuaginta in exemplari suo אֲנִי pro אָז scriptum habuisse videntur; Verterunt enim ἐγὼ ἤμην, *ego eram*.

11 *Vineam habuit Salomon pro Domino multitudinis.*

Duobus qui sequuntur versibus Sulammitha declarat qua ratione imperium politicum gestura sit, diversa plane ab ea,

(1) Montald. pag. 18.

quam Salomon habuit. Hanc diversitatem ut explicet, a re notissima orditur, Salomonem imperium in Hebraeos habuisse loco, seu vice Dei domini universae multitudinis illius populi.

Hi duo versus in editione Latina obscurissimi sunt, in Hebraeorum textu, rebus rite perpensis, praeclarissimi. Prima obscuritatis causa, pro nomine proprio *Salomonis* posuisse significationem ejus nominis *pacificum*, contra atque fecerant Septuaginta, qui tam hic, quam versu sequente nomen ipsum *Salomonis*, quod in Hebraeo est, retinuerunt: hic quidem ita, Ἀμπελὼν ἐγενήθη τῷ Σαλωμὼν, *Vinea fuit Salomoni*, non autem *pacifico*, ut Latinus posuit. Altera obscuritatis causa est, verba בְּבַעַל הָמוֹן, *bebahal amon*, quae Septuaginta, excepta praepositione, ita ut sunt in hebraico dixerunt ἐν Βεελαμὼν, *in beelamòn*, reddidisse *in ea quae habet populos*; quae reddenda fuissent proprie *in domino multitudinis*. Sed quum praepositio ב apud Hebraeos multa significet, atque in iis *pro*, *vice*, *loco* (1), reddenda erant *pro domino multitudinis*. Ita perspicua erant omnia, ut hisce perpensis perspicua sunt apud Hebraeos. Nam imperium habere loco seu vice alicujus est in imperio ministrum illius esse; qualis, juxta Apostolum is est qui principatum gerit. *Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali . . . . Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes* (2). Quidam arbitrati sunt, *Baal amon* nomen esse proprium loci. Sed illius nulla est in Sacris Literis, neque apud quenquam commemoratio.

*Vineam dabat custodibus: unusquisque afferebat pro fructu illius millia argenteorum.*

Quibus dabat custodibus? nimirum illis qui vectigalia in aerarium principis afferrent: quod patet a verbis, *unusquisque*

(1) Montald. pag. 81.

(2) Rom. XIII. 3. seqq.

*afferebat pro fructu illius millia argenteorum* ; quaestoribus scilicet, publicanis, aliisque hominibus ejusdem furfuris. Salomonis imperium durissimum et gravissimum fuisse conquestae sunt decem Tribus, quae post illius mortem a Roboamo successore defecerunt, quia quod petebant, *Levius fac jugum, quod imposuit pater tuus super nos*, facere noluit (1). Cui defectioni occurrere statuit, *misitque rex Roboam Aduram qui praeerat tributis, et lapidaverunt eum filii Israel, et mortuus est* (2). E quibus verbis constat, praecipuam defectionis causam fuisse tributa, quae sunt fructus Vineae Salomonis qui hic commemorantur.

*Unusquisque*; Septuaginta, et Latinus *vir*, quae tertia est obscuritatis causa. Nam אִישׁ hoc loco distributive ponitur, quo modo *quisque*, *unusquisque*, *quilibet* significat (3). *Millia argenteorum*, *migliaja di monete* : quam esse hujus loci sententiam suadent et Salomonis immensae opes, et decem Tribuum querelae, et incredibile plane esse, ut aut tantae illae opes ab uno conflarentur viro qui afferret *mille* tantum argenteos, aut singuli quaestores hanc summam ipsam, non alius alio majorem minoremve in aerarium conferrent.

12 *Vinea mea*, *quum mihi* erit, *coram me* erit.

Vineam ego meam, hoc est Hebraeorum meorum rempublicam, quum eam habebo, non dabo custodibus, ut dabat Salomon, sed ego ipsa illam custodiam. Quo declarat, se imperii ministris non permissuram, ut cum populi damno abutantur potestate. Fieri quidem id non posse, plerique omnes nostrorum temporum politici existimabunt : quibus longe alia sententia succurreret, si quae futura sit post Antichristum im-

n. n

(1) III. Reg. XII.
(2) II. Par. X. 18.
(3) Montald. pag. 30.

perii ratio, constitutioque humanae societatis docentes Prophetas consuluissent.

Quarta hujus loci obscuritatis causa est, omissa ab interprete Latino hebraea vox שֶׁלִּי, hoc est *quum mihi*, et verbum substantivum semel ac tempore praesente. Multum etiam habent obscuritatis Septuaginta, qui praefixum illud שֶׁ (*quum*, aut *quando*, ut saepe integrum אֲשֶׁר cujus vices gerit) (1) omiserunt, ac verbum substantivum nullibi supplevere: Ἀμπελών μου ἐμὸς ἐνώπιόν μου· *Vinea mei mea coram me*.

*Ea millia tibi* sint, *Salomon*; *et duceni* sint *custodibus fructus illius*.

Concedentis aliis, et non curantis pecunias oratio, quam italice diceremus: *Abbiti le migliaja di monete, o Salomone; ed abbiansi a dugento a dugento le monete i custodi della rendita di essa*. Nam nec mihi, nec ministris meis ulla erit pecuniarum cura, ulla necessitas, ulla utilitas. Sed haec quae incredibilia videntur esse, non sunt nostrorum temporum, neque, si planius explicarentur, haec ferret aetas. Quae vero futurae sint post Antichristum rationes societatis humanae ubique gentium, a quibus rationibus incredibilia ista nascuntur, tunc et perfacilia et necessaria, illi demum intelligere incipient, qui postquam serio animadverterint, quae quantaeque sint homini ab homine calamitates, quarum arcendarum vias natura ipsa non modo monstraverat, sed etiam severissime praeceperat, maxima illa et valde nunc abdita diligentissime inquirant, quae Isaias de his ipsis rebus accuratissime est persequutus; quorum nihil post Antichristum futurum est (2).

In editione Latina hic locus sic exstat: *Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus*. In Graeca:

(1) Montald. pag. 1483.

(2) Isai. Cap. XXIV.

*Οἱ χίλιοι Σαλωμὼν, καὶ οἱ διακόσιοι τοῖς τηροῦσι τὸν καρπὸν αὐτοῦ.* Hinc obscuritatis causae sese ipsae eruditis facile produnt.

Dilectus ab extasi Sulammitham revocans,

13 *O quae in Hortis habitas, Praestigiatores vocem tuam auscultant: auditum me facito.*

O quae mente nunc in Judaeae versaris regionibus, agitasque rationes quibus illius imperium gestura es, Praestigiatores praecones superstitionis Antichristi te loquentem auscultant, et adsunt. Illis auditum me facito, et de me praedica, ut praestigiis, sceleribus Draconis, et illius Belluae nefario cultu relictis, ad me veniant.

De praestigiis Antichristi, Pseudoprophetae ejusdem, aliorumque perditorum hominum illius temporis praeclara sunt vaticinia. Satis hic sit unum ab Apocalypsi proferre. *Vidi de ore Draconis, et de ore Bestiae, et de ore Pseudoprophetae* (1) *Spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim Spiritus daemoniorum facientes signa* (2), per homines scilicet, quibus immundi Spiritus ab immunda illa trinitate communicabantur.

*Praestigiatores*. Duas habet verbum חָבַר significationes, alteram *sociavit*, alteram *incantavit* (3). Eam duplicem significationem nomen quoque חָבֵר, quod hic est, ab eo verbo derivatum retineat oportet, ut non modo sit *socius*, *sodalis*, *amicus*, verum etiam *incantator*, *praestigiator*; quemadmodum aliud item derivatum nomen חֶבֶר non solum est *societas*, sed etiam *incantatio* (4). Hanc illi nomini significationem hoc

nn 2

(1) Exsecrabilis haec eorum temporum trinitas totis instans viribus ut Sacrosanctam Trinitatem expellat a mentibus hominum, et in ejusdem locum succedat.

(2) Apoc. XVI. 13.

(3) Montald. pag. 282.

(4) Idem pag. 283.

loco tribuendam esse putamus, praesertim quum facile sit a Salomone pronunciatum fuisse חֹבְרִים, *hoverim*, non חֲבֵרִים, *haverim*, ut hodie sunt puncta. Nec vero aliter intelligendos esse Septuaginta, et Vulgatum existimamus, a quibus hi Praestigiatores *socii* et *amici* appellati sunt. Nam juxta eos dicendum est, Dilectum de hominibus perditissimis acerrimisque sui hostibus ita loqui, quemadmodum postea proditorem Judam alloquutus est, *Amice, ad quid venisti* (1)?

Ceterum Vulgatus verborum ordinem immutavit ubi dixit, *fac me audire vocem tuam*. Nam haec *vocem tuam* et in Hebraeo, et apud Septuaginta juncta sunt verbo *auscultant*: apud Hebraeos eo sententiae ordine, quem edidimus; apud Septuaginta vero ita: ἑταῖροι προσέχοντες τῇ φωνῇ σου, ἀκούτισόν με.

Sulamm. excitata. 14 *Fuge, Dilecte mi, et similem te facito capreae, hinnulove cervarum super montes aromatum.*

Excitatae ab extasi, suisque restitutae sensibus Sulammithae, quae prima occurrere debebat cogitatio, erat de periculo in quo Christiani versabantur. Nam et Praestigiatores, ut persuaderent Antichristum esse deum, ea signa faciebant, per quae, si fieri posset, in errorem inducerentur etiam Electi; et Antichristus tantam ubique gentium persequutionem in christianum nomen incenderat, ut nihil magis metuendum esset, quam ne Christiani praestigiis victi, et persequutorum immanitate deterriti, abjecta sanctissima religione, ad nefaria illius Belluae castra transfugerent. Horum nihil facturos esse, Sulammitha compertum habebat, modo sua gratia Dilectus illis praesto esset. Quod ut Dilectus faciat, his verbis plenissimis amoris ab eo petit, eundemque precatur ut quam celerrime ac

(1) Matth. XVI. 50.

in fugientis morem accurrat, et quasi insiliat *super montes aromatum*, illos ipsos invios et inaccessos montes, eorumque tetras cavernas, et horridas speluncas, in quibus *Christi bonus odor*, grex Christianus sese tueri ab hostium crudelitate studebat. Atque hic Scena clauditur.

Hic quoque finem declarationibus nostris imponimus: quae sicui videbuntur fuisse longiores: is quaeso animandvertat, cum alia quamplurima brevitatis studio, tum totam eam partem praetermissam esse, quae in refellendis aliorum sententiis versari potuisset. Quae quidem provincia etsi perfacilis fuisset, tamen plura, eaque ingentia volumina postulasset; nec nobis necessaria visa est. Totam enim *Trunco*, idest sacrosanctae Cruci reliquimus, cujus tantam vim tantamque virtutem fore speramus, ut qui liberali praestant ingenio, eodemque ad veritatem expolito, ac de divinis Libris ita ut par est existimante, ii rejectis commentis quibus sanctissimum hoc Salomonis opus turpissime dehonestatum est, nobiscum crucem tollere debeant, et una ipsius protagonistam Deum nostrum cruci confixum sequi.

---

# DE CRUCE VATICINIUM VI.

## Psalmus XLV.

## In quo Crux ter nominata est.



### ARGUMENTUM.

1 Quod Cantico Canticorum accidit, ut sacrosancta Dei Dominique nostri Jesu Christi crux verum, ut nobis quidem videtur, illius argumentum aperuerit, expuleritque sententias quae ab eo summopere abhorrebant; id huic etiam praestantissimo Psalmo accidat oportet, in quo illa ipsa divina Crux proprio suo *Trunci* nomine ter appellatur. Psalmi argumentum quin circa Messiam versetur, vix est qui dubitaverit; et in eam rem consentiunt plerique omnes interpretes tam Christiani, quam Hebraei, teste apud Polum in Synopsi Criticorum Muisio. Magnum tamen tam inter Christianos, quam inter Hebraeos dissidium est de ratione qua Psalmus ad Messiam pertineat. Nam, quibusdam Rabbinis exceptis quos fere Genebrardus sequitur, qui voluerunt Psalmum Mosi delectisque a Mose Senioribus cantatum fuisse a filiis Corae post grande illud miraculum quo, Cora pereunte, filii illius non perierunt (1); ea ceteris omnibus insedit opinio, Psalmum Epithalamium, hoc est nuptiale carmen esse. Hinc ortum dissidium est. Nam alii (qua sententia praeeunt Patres) Psalmum esse

(1) Num. XXVI. 9. seqq.

mere propheticum statuerunt, eoque celebrari spirituales dumtaxat Christi et Ecclesiae nuptias, ejusdemque argumenti esse ac Canticum Canticorum: alii historicum simul et propheticum esse: quae sententia recentioribus in primis arrisit. Sed de historia quam affingant Psalmo, constare inter illos Scriptores non potuit. Nam alii ad Abrahamum et Saram, alii ad Davidem et Bethsabeam, alii ad Salomonem et Pharaonis filiam, alii ad Assuerum Estheramque se contulerunt, veluti pro se quique obsecrantes, ut eorum nuptias celebrari hoc carmine velint jubeantque. In quo quidem ambitu illi majore ducti spe fuisse videntur qui Salomonem et Virginem Aegyptiam convenerunt; a quibus quo facilius impetrent, sese *duplicem sensum literalem afferre profitentur; alterum historicum qui mera rei figura sit, nuptias scilicet Salomonis cum regis Aegypti filia, alterum sublimiorem, qui res ipsa sit, cujus rei figura in Salomone, veritas in Christi et Ecclesiae nuptiis* exhibita est (1). Huic sententiae Calmetus, cujus ea verba sunt, adstipulator accessit; eaque est quam recentiores maxime probant.

2 Haec omnia regiarum nuptiarum somnia, ipsaque valde suspecta gemini literalis sensus commenta *Truncus* a Psalmo quam longissime arcet, perpetuoque exulare jubet. Idemque accidit Rabbinorum opinioni, qui Psalmum a Corae filiis Mosi Senioribusque cantatum fuisse voluerunt. Multum etiam *Truncus* de opinione delet eorum qui Epithalamium esse existimarunt. Nam Patrum sententia, qui non regias hominum, sed spirituales tantum Christi et Ecclesiae nuptias in Psalmo agnoverunt, verissima quidem est, et eos, relictis recentioribus debito ante honore cumulatis, sequi gloriamur duces; angustior tamen est quam quae totum complectatur argumentum

(1) Calmet. hic.

Psalmi. Illud etiam optime verissimeque dictum est, Psalmum esse mere propheticum, et ejusdem argumenti ac Canticum Canticorum. Nam, quod vel oculis ipsis cernere licebit, hic Psalmus, excepto titulo, et prooemio, *Canticum est Dilectarum*, hoc est earum ipsarum Personarum, quae in Cantico, praeter Dilectum et Praestigiatores, afferuntur in scenam, quarum praecipue gratia conscriptus est, ut Ecclesiae quae, Antichristo saeviente, in Deserto commorabuntur, hoc potissimum carmine Dei Dominique nostri Jesu Messiae concinant laudes, suas ad eum preces effundant, ac sese suavissime recreent ac consolentur.

3 Sed quo propius argumentum inspicere possimus, tota Psalmi analysis paucis explicanda est. Sunt igitur Psalmi partes tres: Titulus, Prooemium, Canticum Dilectarum.

Titulo monstrantur tria, Principio is cui Psalmus inscribitur, qui Dominus noster Jesus Christus est. Nam is unus semper in titulis Psalmorum *Victoris* seu *Vincentis* nomine, hebraice *Lamnatzeah*, nuncupatur. Recentiores enim qui hac hebraea voce *Praefectum*, seu *Praecentorem* significari autumarunt, hoc est virum qui aut modos musicos faceret, aut choro canentum praeesset, longissime a veritate abiisse constabit, siquando de omnibus Psalmorum titulis disserere poterimus; quod fere jam est desperandum.

Alterum quod titulo monstratur, Factum est Messiae, cujus facti occasione Psalmus illi inscribitur. Id factum (quod probe velim legentes animadvertant) duo complectitur. Primum est peculiaris illa cura, quam Dominum Jesum habiturum esse a Cantico vidimus sanctissimorum eorum Christianorum hominum, quorum fides, patientia, constantia in atrocissima illa Antichristi persequutione mirifice sese prodent: cujusmodi viros excellentissimae sanctitatis a sacris Scriptoribus appellari *Lilia*, in Cantico item demonstratum est. Alterum

est gratia conversionis, quam eundem Deum ac Dominum nostrum Jesum permultis Hebraeis largiturum esse, adhuc saeviente Antichristo, ab eodem Cantico vidimus. Hi Hebraei quibus conversionis gratia tribuitur, semper in Psalmorum titulis ( quod diligenter attendendum est ) *Filii Corae* appellantur; quippe quibus illud ipsum *grande miraculum* accidere debeat quod filiis Corae accidit, ut pereuntibus ipsorum patribus, ipsi non pereant in Antichristi suorumque excidio. Sic enim de filiis Corae in Libro Numerorum scriptum est: *Isti sunt Dathan, et Abiron principes populi, qui surrexerunt contra Moysen, et Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt: et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii illius non perirent* (1).

Quod denique tertium Titulo monstratur, natura ipsa est Psalmi, quem *Canticum Dilectarum* esse, ipse docet titulus. Sed jam illius verba proferre licet, quae ab his quae dicta sunt, satis erunt perspicua. Sunt autem haec: *Victori circum Lilia, Filiis Corae intelligentiam tribuenti. Canticum Dilectarum.*

4 Altera Psalmi pars Prooemium est. Eo Psalmi auctor narrat, qua occasione ipsi divinitus afflatum fuerit hoc Dilectarum Canticum; dum scilicet alia sua item divinitus afflata de Messia Opera meditaretur. Ex quo facile colligimus, auctorem Psalmi Salomonem esse. Hujus enim et alia complura exstant gravissima vaticinia de Messia, et illud eximium quod toto Cantico Canticorum jam declaratum est; cujus hic Psalmus est quaedam veluti appendix, quae locum in eo habere optime potest. Quamobrem illud qui meditabatur Salomon, ei fere ex



(1) Num. 9. XXVI. 10. 11.

ipsa rerum ibi scriptarum natura consequebatur, ut haec etiam quae sunt in Psalmo revelarentur.

5 Pars tertia est *Canticum Dilectarum*, quo commorantes in Deserto Ecclesiae laudes concinunt Dei Dominique nostri Jesu Christi, cui super Trunco morienti Deus in perpetuum benedixit (1). Quamobrem quo tempore Antichristus ceterique hostes Messiae maxime dant operam, ut, eversa et excisa radicitus illius religione, hanc benedictionem irritam faciant, illum enixe rogant, ut tota sua majestate praeclarissimus veniat, seseque in corda omnium populorum, atque adeo ipsorum hostium suorum immittat (2). Causas rogandi sumunt primum ab ipsa regni Messiae natura, quod non modo perpetuum ac sempiternum est, verum ctiam rectissimum, justissimum, a quavis improbitate plane remotum; quae sane regni virtutes sunt maxime omnibus expetendae (3): deinde ab ipsa benedictione, quam illi super Trunco morienti Pater impertitus est. Nam Pater tunc maxime dilectum Filium suum laetitia cumulavit, quum atrocissimis laniatus doloribus in Trunco moriebatur; concesso propter acerbissimae passionis mortisque merita permagno electorum hominum numero, pro quibus tam dignum redemtionis pretium sic accepit, ut illi ipsi electi homines socii Messiae filii sui, salvique in perpetuum futuri essent (4); quo nihil Filio hac ipsa de causa potissimum morienti jucundius, nihil optatius erat. Quo loco Dilectae ipsa Patris recitant verba, quibus morientem in Cruce Filium, dum illi benediceret, est alloquutus. Ubi de Gentibus quae crediturae essent, ac de conversione populi Hebraei, futurisque cum Ecclesia hebraea Messiae nuptiis, et insigni ejusdem Ecclesiae sanctitate, quae socias omnium gentium Ecclesias habitura

(1) Vers. 3.
(2) Vers. 4. 5. 6.
(3) Vers. 7.
(4) Vers. 8.

sit, multa et praeclara dicuntur (1). Verbis Patris una recitatis, Dilectae Cantico finem imponunt hoc ordine. Primae Virgines solae (quibus novas post Antichristum futuras Ecclesias gentium repraesentari diximus) quum superioribus Dei Patris verbis futuram earundem gentium jam tum promissam fuisse conversionem intellexissent, enixe precantur Deum, ut haec conversio maturet, eaeque gentes summo cum ipsarum gaudio in Ecclesiam Jesu Christi Domini nostri afferantur. Virginibus conticentibus, Filiae Hierosolymae solae (quas saepe dictum est veteres esse Ecclesias) Sulammitham, Christianos scilicet hebraeos Ecclesiae in Deserto conjunctos, moestissimos ob acerbissimum suorum una cum Antichristo jam proximum casum et excidium, consolantur, et excitant, proposita magna dignitate, quam illorum pereuntium filii, relictis parentum suorum teterrimis consiliis, susceptaque sanctissima christiana fide, ubique gentium sunt consequuturi (2). Tandem Sulammitha sola canticum claudit prece, petens ut tum ipsa, hoc est gens Hebraea, perpetuo memor sit nominis Domini Dei nostri Jesu Christi, tum omnes populi eum juxta Crucem perpetuo collaudent ac celebrent (3). His argumentum Psalmi totaque continetur oeconomia.

6 Psalmus est rerum magnitudine, dignitate, praestantia nobilissimus, et tam apta dispositione perfectus et numeris omnibus absolutus, ut frustra quidpiam simile quaeras apud eos prophanos Scriptores, qui condendorum poematum laude maxime floruerunt. Eum a quibusvis regiarum nuptiarum ineptiis, quibus illum recentes Scriptores infercire conati sunt, omnino abhorrere, hi qui attente legent, studioseque medita-



(1) Vers. 9. usque ad 16.
(2) Vers. 16. 17.
(3) Vers. 18.

buntur ( quod maxime hortamur, et petimus ) perfacile videbunt. Nostrae autem interpretationis ac declarationis laudem, sicui laudi est locus, sacrosanctae Cruci, Viroque Deo, qui pro omnibus in ea mori dignatus est, tribuunto. Inde enim hoc totum est quod afferimus, si quid afferimus boni (1).

# PSALMUS

## HEBRAEIS XLV. LATINIS XLIV.

### *I. TITULUS.*

1 Victori circum Lilia, filiis Corae intelligentiam tribuenti. Canticum Dilectarum.

### *II. PROOEMIUM.*

2 Ferbuit cor meum optimo verbo, meditante me Opera mea de Rege, Sermonem meum celeris Scriptoris stylo *exaratum*.

### *III. CANTICUM DILECTARUM.*

3 Pulcherrimus es filiorum Adami! Diffusa est gratia in labiis tuis! Super Trunco benedixit tibi Deus in perpetuum!
4 Accinge gladium tuum circa femur, Fortissime; decorem tuum, ac majestatem tuam! 5 Et majestate tua irrue, equita contra pestem Fidei, oppressionemque Justitiae; ac ejaculetur te terribiliter dextera tua! 6 Acutae tui sagittae *sunt* Populi subtus te *stantes*: irruant in cor inimicorum Regis! 7 Thro-

(1) Jac. I. 17.

nus tuus, Dee, perpetuus ac sempiternus *est*. Sceptrum rectissimum *est* sceptrum regni tui. 8 Diligis justitiam, odioque habes improbitatem. Super Trunco unxit te, Dee, Deus tuus unguento laetitiae a sociis tuis *manaturo*! 9 Myrrha, *inquit*, et Santali, casiae *erunt* omnia indumenta tua, de Templis eburneis *profectae* ab his qui te exhilarabunt. 10 Filiae regum *erunt* inter caras tuas: astabit Regia-conjux ad dexteram tuam in auro Ophirio purissimo. 11 Audi, Filia, *dicam*; et aspice, et aurem tuam inclina; et obliviscere Populi tui, et domus patris tuis. 12 Et adamabit Rex decorem tuum: nam ipse Dominus tuus *est*; jam illum adora. 13 Et filia Tyri cum munere *aderit*: vultum tuum deprecabuntur divites *ejus* populi. 14 Tota honorabilis *erit* Filia Regis intrinsecus: ex intertextis auro *erit* vestis illius. 15 In acupictis vestibus adducetur ad Regem: Virgines pone ipsam Sociae ipsius *erunt*, ad Te adductae.

*Virgines solae.*

16 Adducantur cum gaudiis et exultatione! veniant in Templum Regis!

*Filiae Hierosolymae ad Sulammitham.*

17 Loco patrum tuorum erunt filii tui: eos constitues principes in universa terra.

*Sulammitha sola.*

18 Memor sim nominis tui in omni aetate ac aetate! Juxta Truncum Te populi celebrent in perpetuum ac in aeternum!

## DECLARATIONES.

1 *Victori circum Lilia, filiis Corae intelligentiam tribuenti. Canticum Dilectarum.*

Quae sit hujus tituli sententia, in argumento explicatum est. Nunc de versione pauca dicenda sunt. Septuaginta, quorum fidei Vulgatae Psalterium ab Hieronymo restitutum fuit, eum sic reddiderunt: *In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core ad intellectum, canticum pro dilecto*. Quam versionem, obscurissimam illam quidem, difficile non esset ostendere illam ipsam habere sententiam quam expressimus. Aliter tamen tam veteres, quam recentiores interpretati sunt. Aquila, ut est apud Calmetum, vertit: *Vincenti pro liliis filiorum Core, scientis canticum amoris*. Symmachus, *Triumphus pro floribus filiorum Core, intelligentiae canticum in dilectum*. Hieronymus, *Victori pro liliis filiorum Core, eruditionis canticum amantissimi*. E recentioribus Marinus, *Praefecto super liliis, filiorum Core intellectus, canticum dilectionum*. Houbigantius, *Praecentori super lilia, filiis Core intelligentiam dans canticum amoris*. Calmetus exponit; *Carmen erudiens, inscriptum magistro cantorum filiorum Core, canendum ad hexachordon*; et alii fortasse aliter.

*Victori*, hebraice *Lamnatzeah*. *Mnatzeah* participium est verbi, cujus prima propria significatio est *vicit* (1); et eam Hieronymus quoque, et Aquila expresserunt, quos ut sequeremur, Truncus effecit. Is enim perspicua totius orationis serie textuque docet, Psalmum uni inscriptum esse Messiae, cujus character *Victoris* est sine dubio notissimus. Nam, ut cetera mittamus, illum ipse sibi tribuit, quum animum Apo-

(1) Montald. pag. 783.

stolis addens, *In Mundo*, inquit, *pressuram habebitis : sed confidite*; *ego vici mundum* (1). Et alibi suos ad vincendum alliciens, *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (2). Praeterea in Apocalypsi hoc ipsum *Vincentis*, seu *Victoris* nomen illi tribuitur : *Ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit Vincens ut vinceret* (3). Et in eodem libro ubi de praelio Domini Jesu in Antichristum et socios ejus reges est sermo, scriptum est : *Hi* (reges) *unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam Bestiae* (Antichristo) *tradent. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum* (4). Quando igitur Truncus docet Psalmum inscriptum esse uni Messiae, et certum est *Victoris* nomen unum esse e Messiae nominibus; non videtur esse dubitandum, quin *Victoris* interpretatio ceteris sit anteferenda.

De Liliis, et Filiis Corae jam alibi dictum est.

*Intelligentiam tribuenti*, hebraice מַשְׂכִּיל, *maschil* : participium est verbi significantis *intelligentia imbuit*, *erudiit*, *instruxit*, *informavit* (5). Intelligentiam et cognitionem sui Dominus noster Jesus Christus Hebraeis largitur quum eos ad se convertit.

*Dilectarum*, יְדִידוֹת, *jedidòth*, plurale nomen est foeminei generis, cujus singulare masculinum יְדִיד, *jedid*, unice significat *dilectus*, ut est apud Montaldum, qui hunc ipsum locum vertit *dilectarum* (6).

2 *Ferbuit cor meum optimo verbo, meditante me Opera mea de Rege, Sermonem meum celeris Scriptoris stylo* exaratum.

(1) Joann. XVI. 33.
(2) Apoc. III. 21.
(3) Apoc. VI. 2.
(4) Ibidem XVII. 13. 14.
(5) Montald. pag. 1633.
(6) Idem pag. 414.

Meditanti Salomoni opera sua Deo dictante de Messia conscripta (quem fere semper Regem dumtaxat vocat) quid sibi acciderit hoc prooemio narrat, nempe cor suum prophetico Spiritu correptum ferbuisse optimo verbo, scilicet hoc ipso Dilectarum cantico, quod statim aggreditur.

*Ferbuit cor meum optimo verbo*. Etsi verbum רָחַשׁ *rahhas*, hoc tantum loco inveniatur, consentiunt tamen omnes *ebulliendi* seu *effervescendi* significationem habere (1). Ab ea Septuaginta ipsi sumserunt *eructandi* significationem, quia vasa ebullientia liquorem eructant.

*Meditante me*. Verbum אָמַר, *amar*, quod est hoc loco, significat quidem *dixit*, *loquutus est*, et similia: sed *quando ad cor refertur*, inquit Montaldus (referri autem hoc loco est planissimum) *est*, *cogitavit*, *statuit apud se* (2): quae cogitatio quum diuturnior est atque profundior, et in rebus versatur quas continent libri, sacri praesertim, ut haec Salomonis, meditatio dicitur. Quamobrem *meditandi* significationem hujus loci propriam esse, ostendit ipse textus. Verti etiam potest, *recitante me opera mea de Rege*: quae significatio propius ad principem illam *dicendi* accedit; sic tamen ut *meditatio* semper intelligatur esse conjuncta. Haec de significatione.

De tempore quo vox hebraea vertenda sit, nunc est dicendum. Nam quod Septuaginta transtulerunt *dico ego*, apud Hebraeos participium est אֹמֵר אָנִי, *omèr anì*, *meditans ego*. Hoc autem participio utuntur Hebraei non solum loco praesentis temporis indicativi modi, quo carent; sed et loco aliorum quoque non paucorum temporum, et ejus etiam quem Latini *ablativum absolutum* dicunt, eo prorsus modo quo Itali, qui *meditante me* non alia ratione dicere per participium possent nisi *meditando io*. Sic igitur etiam Hebraei loquebantur, et

(1) Montald. pag. 1434.

(2) Montald. pag. 48.

quidem necessario, quum aliis verborum vocibus carerent: quae loquendi ratio hic a Salomone adhibita est. Latinius dici debuisset, *meditantis mei*: Sed *melius est*, inquit praeclare Augustinus, *ut clament grammatici*, *quam ut non intelligant populi*.

*Opera mea de Rege, Sermonem meum celeris Scriptoris stylo* exaratum.

Quod est ante omnia hic animadvertendum, est continuatio sententiae; quae quum una hoc toto versu sit, eam Septuaginta in duas diviserunt ob adhibitam vocis לְשׁוֹן significationem *linguae*, quae non videtur hujus loci esse. Nam ea vox *non solum*, inquit Montaldus, *membrum corporis* (linguam), *sed etiam significat sermonem* (1). Qua quidem significatione idem valet atque Graecorum λόγος, quum hi de conscriptis operibus loquuntur. Communi enim nomine λόγους hoc est *Sermones* appellant. Itaque Salomon hic facit quod solent scriptores Hebraei, qui rem unam duobus modis ut plurimum efferunt, et posteriore membro explicant id quod praecessit. Quamobrem quum priore membro commemorasset *opera sua de Rege*, hoc explicat quaenam illa opera sint, addens *Sermonem meum celeris scriptoris stylo* exaratum: hoc est illa opera quae ipse prophetico afflatus spiritu tachygrapho scriptori dictavi. Nam ad haec scripto excipienda velocissimo opus erat scriptore. Qui enim hujusmodi opera dictat, is moras non facit, ut illi qui non divina dictant, sed sua. Hi namque antea secum ipsi perpendant oportet quid et quomodo dicant, et saepe vertere stylum jubent: quorum nihil afflatis divinitus scriptoribus accidit. Cujus rei testis est apud Jeremiam Baruchus, qui docens quo modo scripsisset quae Jeremias illi dictaverat, *Ex ore*, in-



(1) Pag. 614.

quit, *suo loquebatur quasi legens omnes sermones istos: et ego scribebam in volumine atramento* (1).

His constitutis, illud manifestum est עֵט סֹפֵר ablativo casu positum a Salomone fuisse, et idcirco vertendum esse: *calamo* seu *stylo* velocis scriptoris.

Ubi alia proprietas animadvertenda est hebraei sermonis. Nam participia monstrantia unde aliquid est, aut actionem ipsam qua illud efficitur, aliaque hujusmodi, plerunque silent Hebraei: quae si nos quoque interpretando conticeremus, magnam profecto parerent legentibus obscuritatem. Quamobrem *exaratum* aliis literis addendum fuit.

Quod denique Septuaginta dixerunt *Regi*, nos diximus *de Rege*, Messia scilicet: qua ratione verterunt etiam Marcus Marinus in Notis, Junius et Tremellius, Piscator, Gejerus, Ainswortus, Vatablus; et hujus significationis literae *Lamed* laudantur exempla non pauca, quorum multa videre apud Polum licet (2). His rationibus nostra hujus loci interpretatio nititur, quae nativam illam et mirabilem exhibere videtur Hebraei textus tum dignitatem, tum perspicuitatem.

3. *Pulcherrimus es filiorum Adami! diffusa est gratia in labiis tuis! Super Trunco benedixit tibi Deus in perpetuum!*

Dilectarum canticum incipit a Messiae laudibus, cujus pulchritudinem a superabundante ipsius gratia per sermones ejusdem maxime manifestatam celebrant; commemorantque benedictionem quam illi confixo in cruce Deus impertitus est. De qua benedictione duo sunt animadvertenda. Primum, consuevisse Deum illis benedicere, quorum sacrificia ipsi gratissima essent. Ita Nohae, Abrahamoque benedixit. Ac Nohae quidem statim atque ab arca egressus *aedificavit altare Domino, et tollens de cun-*

(1) Jerem. XXXV. 18.

(2) Synops. Crit. hic.

*clis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis .... benedixitque Deus Noe, et filiis ejus* (1). Abrahamo autem postquam Isaacum obtulit filium suum. *Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de caelo dicens: Per memetipsum juravi, dicit Dominus: Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi* (2). Et quum Deo nullum esse gratius sacrificium possit eo quo Filius ipse Dei sese Patri obtulit in cruce, illi super Trunco morienti uni omnium effusissime Pater benedixerit oportet. Secus enim gratiora Deo fuisse Nohae Abrahamique sacrificia dicendum esset; quod cum impium, tum blasphemum est dictu.

Alterum quod animadvertere oportet, est Deum benedictiones illas semper retulisse ad incrementum magnumque numerum illorum qui ad eos pertinerent quibus benedicebat. Quamobrem de Noha, et filiis ejus scriptum est, *Benedixitque Deus Noe, et filiis ejus, et dixit ad eos: Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (3); de Abrahamo autem: *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et velut arenam quae est in litore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae* (4). Ejusdem generis est etiam benedictio qua Deus et Pater morienti Filio suo in cruce benedixit. Magnum enim illi numerum promisit eorum, qui carissimum Filium suum sequerentur: quae res et ab aliis sacrorum Librorum locis, et ab hoc ipso Psalmo est permanifesta. Ut cetera praetereamus, insigne



(1) Gen. VIII. 20. IX. 1.
(2) Gen. XXII. 15. 16.
(3) Gen. IX. 1.
(4) Gen. XXII. 16. 17. 18.

Isaiae vaticinium vidimus, quo Pater de Filio suo sic loquitur: *Pro Trunco impertiar illi multos, et Fortium dividet spolium; propterea quod effuderit in mortem animam suam, et cum praevaricatoribus annumeratus fuerit; ipseque peccatum multorum assumserit, ac pro peccatoribus intercesserit* (1). Ipsa illa benedictio Abrahami, cui dictum est, *et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*, ad Messiam maxime pertinet. Nam, ut docet Apostolus, *Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus* (2). Is igitur multiplicandus est in suis Fidelibus instar stellarum caeli, et arenae, ac possessurus est portas inimicorum suorum, omnesque gentes terrae in eo benedicendae sunt; conversionis gratia primum per partes ac vicissitudines multis, deinde integre omnibus, ipsisque Judaeis aliquando tributa. Harum rerum magnam partem Dilectae hoc carmine persequuntur. Atque haec est benedictio, quam morienti super Trunco Filio suo Deus impertitus est; quam Dilectae canunt *in perpetuum* fuisse tributam, propter perpetuum Ecclesiae aliquandiu militantis, deinde semper triumphantis statum.

Haec latius persequi necesse fuit, ut quae sit hujus loci sententia plane ab omnibus intelligeretur. Est enim hic primus in hoc Psalmo locus, in quo nomen illud *Chen*, *Truncus*, occurrit.

4 *Accinge gladium tuum circa femur, Fortissime, decorem tuum, ac majestatem tuam!* 5 *Et majestate tua irrue, equita contra pestem Fidei, oppressionemque Justitiae; ac ejaculetur te terribiliter dextera tua.* 6 *Acutae tui sagittae* sunt *Populi subtus te* stantes: *irruant in cor inimicorum Regis!*

(1) Isai. LIII. 12.　　(2) Gal. III. 16.

Tribus his versibus Dilectae Jesum Christum rogant, ut tota sua majestate decorus ad delendam pestem Fidei, oppressionemque Justitiae Antichristum veniat. Justitiam dici a Prophetis Christianam religionem, alibi a nobis demostratum est (1).

*Gladium* nemo putet verum quendam ensem fore, quo Dominus noster armatus futurus sit. Gladius enim quem veniens *circa femur* habiturus est, sunt illa suis carissima, hostibus maxime formidanda potentissima verba *Rex regum, et Dominus dominantium*, quae scripta in vestimento et in femore suo habiturum, Joannes in Apocalypsi nos docuit. Locum integrum hic juvat afferre. Nam ad hos versus intelligendos non modo opportunus, sed etiam necessarius est. *Vidi caelum apertum, et ecce Equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur Fidelis et Verax, et cum Justitia* (2) *judicat, et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen ejus VERBUM DEI. Et exercitus qui sunt in caelo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: et ipse calcat torcular vini furoris irae Omnipotentis. Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium* (3). Ex hoc loco intelliguntur omnia quae Dilectae duobus primis versibus canunt. Ac primo quidem, gladium Messiae *circa femur* esse illa verba *Rex regum, et Dominus dominantium*. Deinde intelligitur quo Dilectae respiciant canentes, *Accinge . . . . . decorem tuum ac majesta-*

(1) De Apolog. Cath. Relig.

(2) Graec. *in Iustitia*.

(3) Apoc. XIX. 11. seqq.

*tem tuam*, illum scilicet instrue magnificum apparatum et comitatum omnium Caelitum, qui te venientem sequuturi sunt *in equis albis, vestiti byssino albo et mundo*; quo apparatu et comitatu nihil certe magnificentius, nihil illustrius, nihil accommodatius esse potest ad manifestandam mortalibus praestantissimam Regis regum Jesu Christi nostri majestatem. Intelligitur tertio, idque planissime, quid illa sibi velint verba, *Ac majestate tua irrue, equita contra pestem Fidei, oppressionemque Justitiae*, Antichristum, et ejus adjutores ac socios, qui Fidem radicitus perdere conabuntur, Christianam religionem miserrime affligent et opprimem; contra quos Dominus noster magnificentissimo illo comitatu venturus est.

Quae vero sequuntur verba, *ac ejaculetur te terribiliter dextera tua*, hoc est potestas, pertinent et ad conversionem plurimorum illa ipsa die magnifici adventus, et ad terrorem hostium. Nam veniens Dominus noster Jesus sese per agnitionem sui, tribuendam omnibus, terribilissime ejaculabitur in animos tam eorum quos convertet, tam illorum quos in perfidia et scelere relinquet ac deseret. Illis enim maxime terribilis futurus est propter ante patratorum scelerum conscientiam; quos tamen spes veniae recreabit; his et propter eandem causam, et propter desperationem ac praesens et inevitabile ipsorum exitium, miserrimumque aeternae mortis proximum imminensque supplicium. Per hanc omnibus revelatam agnitionem ipsius Rex regum noster sese terribiliter ejaculatur, hoc est citissime ac instar acutissimi teli in animos omnium immittit.

Sed praeter agnitionem sui, qua veniens ipse per sese Rex regum in animos hominum se ejaculaturus est, alias etiam acutissimas sagittas est habiturus quae idem faciant. Quasnam? *Populos subtus ipsum stantes, exercitus qui sunt in caelo, qui eum sequentur in equis albis vestiti byssino albo*

*et mundo* (1), *omnes Sancti*, *qui cum ipso erunt* (2) quorum innumerabilis multitudo in varios distributa alios aliis sublimiores ordines et coetus (3) permagnum illum et magnificentissimum Montem effectura est, cujus in vertice fulgentissimus ipse ac inenarrabili majestate praeclarissimus augustus Rex noster Jesus futurus est (4). Hinc turba haec magna Sanctorum, quam dinumerare nemo poterit ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis stantium ante Thronum, et in conspectu Agni (5) dicuntur *Populi subtus venientem Regem nostrum stantes*, quia scilicet ipse supra omnes futurus est.

Qua ratione autem hi Populi *sagittae* futuri sint sanctissimi Regis nostri, explicat libri Sapientiae auctor. Nam *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum* (6). *Hi videntes, turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii! Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore! Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis!* (7). Qui Sol, quae Via, quod lumen justitiae est ipse Rex noster augustissimus Dominus Jesus. *Sol enim et clypeus est Dominus Deus*, ut dicturos esse de Jesu Christo

(1) Ex Apoc. XIX. 14.

(2) E Zachar. XIV. 5. quem totum in Apolog. vide Cap. XXII.

(3) E Psalm. LXXXIV. quem ibidem consule Cap. XVIII.

(4) Vid. omnino citatum Zachar. vaticinium in Apol. Cap. XXII.

(5) Ex Apoc. VII. 9.

(6) Qui eo tempore sunt Antichristus, ejusque innumerabiles Socii, et adjutores. Est enim tempus, quo Dominus venit *judicare vivos*.

(7) Sap. V. 1. seqq.

qui tunc convertentur ex hostibus, vaticinium extat (1): et ipse de se testatur, *Ego sum via, veritas, et vita* (2); et alibi *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* (3).

Harum igitur tot tantarumque rerum subita hominibus tributa, et hostibus maxime terribilis cognitio per manifestationem tam magnifici adventus sanctissimi Regis nostri (4), ea est, qua et ipse sese terribiliter ejaculatur in eorum animos; et Sancti qui eum comitabuntur, *sagittae* sunt in eosdem acutissimae. Quae res ut jam fiant, Dilectae summopere optant et precantur his verbis, *irruant in cor inimicorum Regis*. O immensam hoc loco rerum praeclarissimarum segetem, quam angustiae coercent et prohibent, etsi copiosius videatur esse demessa!

Nunc de ratione interpretationis dicendum est. Atque ad primos duos quod attinet versus, quatuor paucis animadvertenda sunt. Multa enim in hunc locum Critici tentarunt, quae omnia referre longum et operosum esset; et qui nosse volent, Poli Synopsin, et aliorum Commentarios adibunt.

Primum igitur est continuatio sententiae illis in verbis, *Accinge gladium tuum circa femur, Fortissime; decorem tuum, ac majestatem tuam*. Cujus rei auctorem gravissimum habemus Hieronymum, qui vertit, *Accingere gladio tuo super femur, Fortissime: gloria tua, et decore tuo*: atque ita veterum plures fecisse, auctor est in hunc locum Calmetus. Ita etiam Marcus Marinus, cui postrema illa verba sunt *ad gladium appositio*, ut inquit in Adnotationibus.

Altera animadversio in illa verba est, *Ac majestate tua*

(1) Psalm. LXXXIV. 12. in Apol. loc. cit. ubi vide.

(2) Jo. XIV. 6.

(3) Idem VIII. 12.

(4) E II. ad Thess. II. 8. E Psalm. quoque LXXXIX. 20. in Apol. Cap. IX.

*irrue*, *equita*: quae Septuaginta verterunt, Καὶ ἔντεινον, καὶ κατευοδοῦ, καὶ βασίλευε, hoc est, *Et intende*, *et prospere procede*, *et regna*: quo loco prima conjunctio *et* a Vulgata videtur excidisse. Haec Hieronymus transtulit, *Decore tuo prospere ascende*. Ita unicum nomen, et unicum verbum Hieronymus posuit; nullum nomen, sed tria verba posuerunt Septuaginta; et apud Hebraeos unicum nomen est, verbaque duo. Quod ergo pro καὶ ἔντεινον, *et intende* dixerimus *ac majestate tua*, quantum attinet ad conjunctionem *ac* consentiunt Septuaginta, qui eam ut apud Hebraeos est expresserunt: quod vero spectat ad nomen *majestate tua*, consentit Hieronymus, qui והדרך *decore tuo* vertens, nomen esse וַהֲדָרְךָ, *vahadàrcha*, non verbum agnovit, ut nunc etiam Hebraei punctis vocalibus additis agnoscunt.

Duorum porro verborum, quae sunt in Textu, alterum est צְלַח, *tzelahh*, alterum רְכַב, *recab*. Primum *varia*, inquit Montaldus, *significat secundum varia objecta*, *ad quae refertur*. *Si ad locum*, pertransiit, processit, pertigit, pervenit: *si ad personam*, insiliit, irruit, invasit, pervasit (1). Hic ad personam, scilicet Antichristum ejusque socios refertur, in quos Dilectae petunt, ut veniens Rex noster *majestate sua irruat*: jure igitur haec a nobis selecta est significatio. Alterum verbum proprie significat *equitavit*, *insedit equo*, ut cum ceteris Montaldus tradit; qui praeterea monet, Septuaginta *regnandi* significationem huic verbo *metaphorice* tribuisse (2).

*Contra pestem Fidei*, *oppressionemque Justitiae* tertiam postulant animadversionem. אֱמֶת, *emeth*, non modo *veritatem*, sed etiam *fidem* significare, testis est Montaldus (3);

q q

(1) Pag. 1178.
(2) Pag. 1439.
(3) Pag. 47.

et עַנְוָה, *hanvà*, non solum est *mansuetudo*, sed etiam *afflictio*, *humiliatio*, *scilicet activa*, ut idem ait (1); quae nobis est *oppressio*. Sed על דבר plura significat. Nam si pronunciatur עַל דְּבַר, *hal debàr*, tunc aut simpliciter significat *propter*, quemadmodum Septuaginta, Vulgatus, Hieronymus, Arabs, Aethiops, aliique verterunt; aut *super verbo*, seu *propter verbum*, ut Pagninus, Marcus Marinus, aliique complures. Sed si pronunciatur עַל דֶּבֶר, *hal deber*, tunc significat *contra pestem*. *Deber* enim est *pestis*; *dabar*, et in Syntaxi *debar* significat *verbum* (2). Priori modo pronunciant, et jampridem scribunt Hebraei; nec equidem repugnem, sic tamen ut nolim hanc aliam pronunciationem excludi; quum utramque Spiritus Sanctus unica scriptione sine punctis attulerit. *Pestis* autem *Fidei*, *oppressioque Justitiae*, hoc est Christianae religionis, ut saepe dictum est, quo jure meritoque Antichristus cum tota sua perditorum hominum caterva dicatur, nemo non intelligit. Conjunctionem *et* ante nomen *Justitiae* non habet Textus, nec eam expressit Hieronymus, qui transtulit *propter veritatem et mansuetudinem justitiae*.

Postremo loco animadvertenda sunt verba *ac ejaculetur te terribiliter dextera tua*; quae Septuaginta *et deducet te mirabiliter*, Hieronymus *et docebit te terribilia dextera tua* interpretati sunt. Soli autem sunt Septuaginta qui verbo יָרָה *deducendi* significationem tribuerunt. Habet enim proprias *ejaculandi atque docendi*, teste Montaldo (3). Sed adhibitam a Salomone *ejaculandi* significationem, *sagittae* quae statim sequuntur, satis videntur declarare. Quamvis autem hoc verbum futuro sit apud Hebraeos tempore, tamen imperativo accipiendum esse declarant duo verba quae praecedunt imperativa *ir*-

(1) Pag. 994.
(2) Montald. pag. 187. 188.
(3) Pag. 492.

*rue*, *equita*. Nam a verbis quae praecedunt, suam pleranque significationem mutuantur apud Hebraeos verba quae sequuntur. *Terribilia* denique pro *terribiliter* (quod clarius visum est) graecorum more dicunt Hebraei.

De tertio versu trium quos conjunctim recitavimus, nunc dicendum est, qui est Psalmi sextus, *Acutae tui sagittae* sunt *Populi subtus te* stantes: *irruant in cor inimicorum Regis*! Ubi primo animadvertendum est, hoc loco חִצֶּיךָ proprie non significare *sagittae tuae*, sed *sagittae tui*, quamvis utrumque significet. Discrimen autem est hoc, quod *sagittae tuae* significat sagittas quas quis habet aut gestat, jacitve: sed *sagittae tui* significat *sagittae quae te ejaculantur*; eo prorsus modo quo dicerentur *sagittae veneni*, quae secum venenum in vitreis ferrent tubulis maxime fragilibus; quae tamen a venenatis sagittis essent diversissimae. Posteriori modo ut accipiantur sagittae quae hoc loco nominantur, postulat contextus; et ita graeca verba Septuaginta τὰ βέλη σου intelligi possunt; quum ipsa etiam utrumque significent, scilicet *sagittae tuae*, et *sagittae tui*.

Secundo animadvertendum est Hebraeos sententias non satis apte hoc loco distinxisse, non animadvertentes consuetas ellipses verbi substantivi, quod bis supplendum erat, ut fecimus; ex quo mira orta est contextuique consentiens perspicuitas, quae infinitam illam eliminat violentissimarum versionum varietatem, quam videre quisque in Synopsi Criticorum poterit. Qui meminerint Hebraeos imperativa futuris persaepe exprimere, ii ab ipso verborum positu rectam sententiarum distinctionem perfacile deprehendent. Nam in Libris Hebraeorum sic verba sunt posita: *Sagittae tui acutae Populi subtus te irruant*: *in cor inimicorum Regis*. Quotusquisque hinc non intelligit, distinctionem ante, non post verbum *irruant* ponendam esse? Quod quidem verbum hebraice est יִפְּלוּ cujus pro-

priam quoque esse *irruendi* significationem (hic omnium aptissimam) Montaldus est testis (1).

7 *Thronus tuus, Dee, perpetuus ac sempiternus* est!

Pergunt Dilectae alloqui Deum, pulcherrimum illum filiorum Adami, cujus in labiis gratia diffusa est, cui super Trunco Deus benedixit, Fortissimum illum qui majestate sua irruet ac equitabit contra pestem Fidei oppressionemque Justitiae, qui sese agnoscendum terribilissime praebebit, subtus quem stant innumerabilium Sanctorum populi. Qui Jesum Christum nostrum hinc suavissime nunc non agnoscit, is pecudem se, non hominem esse fateatur.

Sed cur Dilectae perpetuum ac sempiternum esse commemorant augustissimi Regis nostri Dei Jesu Christi thronum? Nimirum ut firmissimam fidem suam profiteantur contra blasphemias Antichristi, qui fere per quadriennium Jesu Christi thronum tunc temporis funditus evertendum, perpetuoque delendum esse docebat per se suosque ubique gentium, et permultis, falsis illis quidem, sed ad seducendum ac decipiendum efficacissimis miraculis confirmabat. Quae sane fides et propter hanc causam tunc temporis erat perdifficilis, et quia Jesu Christi thronus paene jam eversus ab antichristo erat: ac nisi Jesus cito venturus esset, brevi corruisset; juxta illud, *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro* (2).

Multa hic comminiscuntur, et frustra laborant Hebraei, et quotquot Christi divinitatem impugnant Haeretici, ne אֱלֹהִים, *Elohim*, Deus, hoc loco vocativus sit. Nam vix sunt qui negare audeant, etsi negare maxime cupiant, Psalmum de Messia loqui. Sed quum videbunt, Psalmum non modo de Messia, sed de illo solo, et nihil prorsus de Salomone, aut

(1) Pag. 775.

(2) Matth. XXIV. 22.

alio quovis homine loqui, omninoque proprie ac litteraliter loqui tantummodo de Viro, cui super cruce Deus benedixit, quem super cruce Deus unxit oleo laetitiae a sociis ipsius manaturo, de quo flagrantissime optatur ut eum omnes Populi perpetuo celebrent juxta ipsius crucem, quem ipse Psalmus asserit esse Dominum, *Adonai*, Hebraeorum, et jubet adorari ab Hebraeis; ac semel hoc nomine *Adonai*, bis nomine *Elohim*, hoc est Dei appellat; eum autem de quo talia Psalmus proferat, alium esse posse neminem nisi Jesum Christum, secus alium ipsi proferre debebunt, quod certe nullo modo poterunt; quid putas esse facturos? Illud scilicet quod ultimo deprecabimur de cruce vaticinio: atque utinam soli sint! Nam incredulos se illis adjuncturos, et ne hos quidem fortasse solos, quotusquisque non videt?

*Sceptrum rectissimum est sceptrum regni tui.*

*Sceptrum rectissimum* in Textu est *Sceptrum rectitudinis*; sic enim Hebraei loquebantur. Hieronymus vertit *Sceptrum aequitatis*.

8 *Diligis Justitiam, odioque habes improbitatem.*

Justitiam, hoc est religionem tuam Christianam (sic enim eam Prophetae appellant, ut pluries dictum est) sine dubio maxime diligis, *odioque habes improbitatem*, hanc scilicet novam idololatriam omnium scelerum et improbitatum sentinam, quam Antichristus ubique terrarum loco sanctissimae religionis tuae statuere conatur. Summa, inquiunt Dilectae, regni tui rectitudo, quod sine dubio solum est dignum quod stet perpetuo incolume, nunc autem fere collapsum est; amor tuus erga institutam a te sanctissimam religionem; et odium tuum in hanc immanem hujus belluae tam atrociter debacchantis improbitatem, permovere te, Dee Rex noster Jesu carissime, debent ut venire properes. Et vero istis de causis breviabuntur dies illi.

*Super Trunco unxit te, Dee, Deus tuus unguento laetitiae a sociis tuis* manaturo.

Alter hic est locus, ubi nomen est *Chen*, *Truncus*, non adverbium. Ea re cognita, illud quoque statim cognoscitur, literam *Mem* in nomine מֵחֲבֵרֶיךָ non servire comparationi. Nam Jesus omnes Christianos non habuit reipsa in cruce *socios*; quanquam alia ratione omnes cum ipso crucifixi et consepulti fuerimus; quemadmodum cum ipso resurreximus, sed reipsa nondum. Itaque praepositio communiorem suam ope crucis patefacit *a*, *ab*, *e*, *ex*, *de* significationem, vertendaque est *a sociis tuis*. Qua quidem sola praepositione Hebraei Scriptores sacri utuntur (ut saepe animadvertimus, saepe enim occurrunt exempla) ad eas loquutiones quas nos exprimimus participiis monstrantibus unde aliquid oritur, aut oriturum est. Sed hae nobis insuetae ellipses magnam parerent obscuritatem. Ex quo necessitas oritur, dum interpretamur, subindicandi ea participia, quibus more loquendi nostro uteremur; quod aliis literis facimus. Aliud ejusdem phraseos sequente versu exemplum est.

Qua ratione Deus Deum super cruce unxerit unguento laetitiae a sociis ipsius manaturo, Dilectae statim commemorant, ipsa Dei Patris ad Filium suum recitantes verba.

9 *Myrra*, inquit, *et santali*, *casiae* erunt *omnia indumenta tua*, *de Templis eburneis* profectae *ab his qui te exhilarabunt*.

Hebraei Scriptores veteres, ut alias a nobis animadversum, et exemplis ostensum est, plerunque dum personas loquentes inducunt, non ponunt verba illa *inquam*, *inquit*, *inquiunt*, quae non raro etiam a Scriptoribus aliarum gentium omittuntur; ut in dialogis a Platone saepe factum est. Hebraeis enim satis est ante indicasse genere ipso dicendi, illa quae sequuntur verba oportere esse personae inductae; ut hoc

loco. Nam si Deus morientem in cruce Filium suum affecit laetitia quae profectura erat a futuris passionis et mortis ejusdem meritis in ipsius sociis (quod superiore versu perfacile evincitur) profecto eum laetitia affecit praedicando praenunciandoque ipsi res eas quas Filii passio et interitus in sociis illius gignere in posterum usque ad consummationem saeculi debebat. Verbis igitur quae illas ipsas res praedicarent ac praenunciarent, laetitia Filium affecit. Nam res ipsae tunc nondum extabant, quum ne ipsi quidem extarent socii, qui simul auctores et cooperatores earundem rerum esse debebant. Hac ratione superiori versu indicatum est, haec quae sequuntur esse ipsa aeterni Patris verba, quibus laetitia morientem in Cruce Filium suum affecit; quae sextodecimo versu desinunt.

Nunc ad ipsam sententiam hujus versus accedendum est. His itaque verbis, *Myrrha et santali, casiae* erunt *omnia indumenta tua, de Templis eburneis* profectae *ab his qui te exhilarabunt*, laetificat Pater Filium enarrando pollicendoque cultum quem is christianis in Templis post passionem mortemque suam habiturus esset. Illa enim odoramenta e myrrha santalis casiisque conflata, quibus illius vestes sic essent perfundendae, ut paene ex iis constare viderentur (nam metaphora ducitur a consuetudine hominum perfundendi liquidis vestes odoribus) illa igitur odoramenta nihil aliud sunt nisi *orationes Sanctorum*, docente Joanne in Apocalypsi. *Quatuor animalia, et viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum* (1). Has igitur Pater morienti super cruce pollicetur Filio.

Pollicetur autem profecturas *de Templis eburneis*, hoc est

(1) Apoc. V. 8.

mundissimis atque opulentissimis, qualia sunt tum Sancti viri Christiani (1) gratiarum ope, tum fabrefacta eorundem Templa, pretiosa quavis supellectile splendida atque magnifica; et profecturas *ab his qui Filium suum exhilarabunt*. Hi quinam sunt nisi illi, quorum causa caeli, et qui habitant in eis laetantur? Quorum autem causa caeli eorumque incolae laetantur? Nimirum et eorum *qui vicerunt diabolum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem* (2); et eorum qui poenitentiam agunt, justique sunt, et faciunt in omnibus voluntatem Patris. Nam de illis, quia vicerunt, scriptum est, *Propterea laetamini, caeli, et qui habitatis in eis* (3); et de his, quia poenitentiam agunt, justique sunt, et jam Patris voluntatem faciunt, scriptum est: *Quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia* (4). Quod quidem gaudium is excitat qui *vadit ad ovem quae perierat donec inveniet eam. Et quum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens* (5) qui est Dominus Jesus; a quo illud iter ad oves quae perierant, tunc coeptum est, quando in mundum venit; et totam illam ovium quae perierant sarcinam tunc maxime in humeros suos imposuit, quando in cruce pro illis mortuus est. Eorum igitur quos diximus orationes, et quae sejuncta esse a veris sincerisque orationibus non possunt sanctissima quaeque religionis et caritatis officia dum Filio pollicetur Pater, omnem illi tam interiorem, quam exteriorem pollicetur cultum; qui in his ipsis praestandis officiis positus est.

(1) I. Cor. III. 19. et VI. 19. II. Cor. VI. 16.
(2) Apoc. XII. 11.
(3) Ibidem 12.
(4) Luc. XV. 7.
(5) Idem ibid. paul. supr.

Sic igitur atque his dictis coepisse Patrem afficere laetitia Filium suum super cruce, Dilectae canunt.

*Erunt omnia indumenta tua* כָּל בִּגְדוֹתֶיךָ. Vocem *omnia* Septuaginta omiserunt, addideruntque praepositionem *a*, cujus loco Hieronymus addidit *in*, vertens *in cunctis vestimentis tuis*. Sed quum in Textu nulla sit praepositio, indicium id est, supplendum esse verbum substantivum. Marinus vertit, *Myrrha, et aloe, casia omnia vestimenta tua*, retinens ellipsin; similique ratione omnes recentiores.

*De Templis eburneis* profectae, casiae scilicet, santali, myrrha, hoc est odoramenta iis conflata. Est hic consueta illa participii ellipsis, de qua dictum est ad superiorem versum. הֵיכָל est proprie *palatium*, *regia*, templum (1).

*Ab his qui te exhilarabunt*. Hic Hebraei, omnesque recentiores sententiam claudunt. Verbum שִׂמַּח in conjugatione *Pihel*, ut est hic, significat *laetificavit*, *laetitia affecit*, *exhilaravit* (2). Hebraea phrasis est *ab exhilararunt te*, quae animadvertenda est. Nam, ut alibi diximus, paucissimas quidem habent Hebraei verborum suorum voces, illis tamen omnia exprimunt quae aliae vel abundantissimae illarum vocum linguae multo pluribus exprimere solent (3). Cujus rei exemplum insigne in hoc loco est. Exprimitur enim adamussim quod Graeci participio praeteriti perfecti dicerent ἀπὸ τῶν ἱλαρωκότων σε: cujus participii vocem quum ne Latini quidem habeant, coguntur dicere *ab his qui te exhilararunt*. Sed Hebraei ne ullum quidem exprimunt pronomen, quum a Latinis pronomina exprimantur duo; et quasi vox sit participium simile Graecorum, ajunt *ab exhilararunt*. Praeterea quum hic sermo



(1) Montald. pag. 227.
(2) Idem pag. 1682.
(3) De Apolog. Cap. III. §. IV.

sit non de praeteritis, sed de futuris tunc temporis rebus, futuri significationem praeterito tribuunt. Voces enim verborum apud Hebraeos aoristae sunt, ut loco citato diximus.

Houbigantius quum hanc Hebraeae linguae proprietatem non animadvertisset, quae ipsi multum exhibuit negotii, magnam de more sacri Textus lanienam apparavit, qua corruptissimam hanc, et omnibus suffragiis respuendam protulit sententiam, *Myrrha et aloe, et casia vestes omnes tuae, ex vasis eburneis vasis unctionis tuae*. Plurima etiam toto reliquo Psalmo corrupit interpres minime omnium attendendus; quae quia singula proferre brevitatis studio minime potuimus, satis sit ea de re hoc loco monuisse.

10 *Filiae regum* erunt *inter caras tuas*: *Astabit Regia-Conjux ad dexteram tuam in auro Ophirio purissimo*.

Filiae regum, hoc est nationes quae regibus exteris parent, eosque tanquam parentes colunt, paulo post mortem tuam in iis erunt, quas maxime diliges. Quam rem comprobavit eventus. Paraphrastes Chaldaeus id ita exponit: *Regiones regnorum venient ut suscipiant faciem tuam, et honore te afficiant*.

Hucusque caelestis Pater morienti in cruce Filio suo carissimo Domino nostro Jesu de proxima gentium conversione loquutus est. Peccatorum autem conversione nihil habet Dominus noster Jesus jucundius, nihil gratius, nihil optatius, nihil quod majore laetitia illum afficiat. Ex quo valde fit perspicuum quod superiore versu Dilectae dixerunt, *Super Trunco unxit te, Dee, Deus tuus unguento laetitiae* (quod scilicet laetitiam afferat) *a sociis tuis* manaturo.

*Inter caras tuas* ביקרותיך. Marcus Marinus, qui his ipsis interpretatus est verbis, ad hunc locum haec adnotat. *Nomen hebraeum est tam adjectivum, quam substantivum. Hebraeis est adjectivum, et plurale: Inter caras, pretiosas puellas, in-*

*clytas, gloriosas. Nostri substantive; In pretiositatibus; in tua aula pretiosa, in tuo comitatu gloriae, et majestatis pleno. Idem fere sensus.*

*Astabit Regia-Conjux*: שֵׁגַל (Segal) *dicitur tantum de augusta, sive regina, aut regia conjuge* (1). Haec autem est ipsa futura Christiana Hebraeorum ecclesia. Sermo enim jam est de conversione Hebraeorum. Illa igitur *astabit ad dexteram* Dei nostri Jesu, *in auro Ophirio purissimo*, quod omnium praestantissimum erat, hic autem metaphorice sumitur pro nobilissimo quarumcunque praeclarissimarum virtutum ornatu.

Septuaginta eandem habent sententiam, sed locum paraphrastice reddiderunt his verbis ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ περιβεβλημένη, πεποικιλμένη; *in vestitu deaurato circumdata, variegata*. Indene orta sunt illa Vulgatae, *circumdata varietate*? Sed pro his quae Septuaginta paraphrastice, Hieronymus vertit, *in diademate aureo*; et ita Marcus Marinus quoque. Propria tamen כֶּתֶם significatio *aurum* est, et quidem insigne atque purissimum (2).

11 *Audi, Filia*, dicam, *et aspice, ac aurem tuam inclina, et obliviscere Populi tui, et domus patris tui*.

*Quia nemo potest venire ad me*, inquit Rex noster Jesus, *nisi fuerit ei datum a Patre meo* (3), idcirco Pater haec sese Hebraeis dicturum pollicetur. Quibus quidem caelestis Patris ad Hebraeos dictis finem habiturum est illud quod iis annunciare jussus Isaias fuit his verbis: *Vade, et dices Populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor Populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis*,

r r 2

(1) Montald. pag. 1545.

(2) Montald. pag. 579.

(3) Jo: VI. 66.

*et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Et dixi: Usquequo, Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quae derelicta fuerat in medio terrae* (1). Illa *donec desolentur*, et cetera, epocham designant Antichristiani temporis. Quae vero sequuntur, *Et longe faciet Deus homines*, excidium Antichristi ejusque sociorum respiciunt. Tandem reliqua, *Et multiplicabitur*, ad Ecclesiam pertinent Christianam quae *derelicta* propemodum ab omnibus Antichristi tempore per illam *apostasiam* de qua Paulus ad Thessalonicenses (2), exciso denique Antichristo, *multiplicabitur in medio terrae* (3). Exeunte itaque Antichristiani temporis epocha caelestis Pater filiae Sionis daturus est ut audiat et videat, ac tandem obliviscatur et veterem Populi sui legem (futurorum quae jamdudum evenerunt umbram) et ipsam domus Abrahami patris sui circumcisionem. *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides quae per caritatem operatur* (4): quam fidem tunc tandem omnes Hebraei sunt amplexuri.

*Dicam* subintelligendum est. Silent enim has voces, ut diximus, scriptores Hebraei, et his verbis causam caelestis Pater affert, cur regia Conjux ad dexteram astabit Filii sui. Dicet, et fiet.

12. *Et adamabit Rex decorem tuum: nam ipse Dominus tuus* est; *jam illum adora*.

Rex regum Jesus Messias, quum illum audies, intelliges, cognosces, teque ad illum convertes, et oblita veterem Populi

(1) Is. VI. 9. seqq.
(2) II. Thess. II. 3.
(3) Vid. Calmet. in Psalm. 73. v. 13. et ad Ezech. XXXVIII. 12.
(4) Gal. V. 6.

tui legem, atque circumcisionem domus patris tui, susceptaque fide ac caritate sanabere; Rex, inquam, Jesus novum hunc ornatum et decorem tuum mirifice adamabit, eoque maxime delectabitur. Nam is ipse *pulcherrimus filiorum Adami* Jesus cui super Trunco benedixi, quem super Trunco unxi, a quo tu, filia Sionis, tam diu atque tantopere abhorres, is, inquam, est ipse Dominus tuus, ipse Deus patrum tuorum Abrahami, Isaaci, Jacobi: jam illum tandem adora. Utinam Hebraei nunc etiam saperent, et intelligerent! Nam quid esse his praeclarius potest ad evincendum, Regem nostrum Jesum esse ipsum Deum? Perfidis autem, atque Incredulis, et omnibus haec tam praeclara negligentibus, atque adeo contemnentibus, quid esse magis formidandum potest? Siccine optimarum rerum nulla cura est, quum tanto studio aliena et nihil profutura petuntur?

*Jam illum adora*. Ne multus sim, nam valde declarationes excrescunt, satis sit horum verborum testem habere Hieronymum, qui adamussim ut sunt in Textu vertit, *quia ipse est Dominus tuus, et adora eum*. Ab hoc maxime versu luculentissime constat, quantum ii falluntur, qui humanas nuptias ad hoc praestantissimum vaticinium attulerunt.

13 *Et filia Tyri cum munere* aderit: *vultum tuum deprecabuntur divites* ejus *populi*.

Filia Tyri, hoc est Tyrus, pro qualibet gente alienigena. Quum tu, filia Sionis, Jesum Dominum tuum adorabis, tantam ab ipso dignitatem consequere, ut ad te praeclarissimam omnes gentes allaturae sint munera, et ditissimi viri quorumcunque populorum vultum tuum deprecaturi sint. Eandem rem Moses vaticinatus est his verbis: *Laetare, Zabulon, quum tu egredieris, ac tu, Issachar, in tentoriis tuis. Populi Montem petent: ibi sacrificabunt sacrificia Justitiae. Idcirco marium divitias sugent, et tectos arenae thesauros*. Qui locus alibi

a nobis declaratus est, atque ibi videndus, ne nimii simus (1).

Hieronymus pro צר, *tzor*, Tyrus, pronunciavit צור, *tzur*, *rupes*, *fortis*, vertitque, *Et o filia fortissimi, in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi*. Marinus Syntaxin admodum violentam inducit, vertitque, *Et filiae Tyri in munere, vultum tuum deprecabuntur divites populi*: tum adnotat, *Ordo inversus. Construe sic: Divites populi filiae Tyri*. Houbigantius de more descriptoris errorem, et mancam periodum somniat, quam sic restituit, hoc est corrumpit: *Filiae Tyri in muneribus tibi coram supplicabunt, tibi coram supplicabunt divites populi*. Alii aliter, quos in Synopsi Criticorum vide. Has omnes varietates abigebat consueta illa verbi substantivi sive simplicis sive compositi ellipsis, quam Chaldaeus, et Kimchius subodorati sunt, loco *aderit* supplentes *ad te veniet*.

14 *Tota honorabilis* erit *Filia Regis intrinsecus: ex intertextis auro* erit *vestis illius*.

Hebraeos saepe filios suos appellat Dominus, et notum est illud Isaiae referentis haec Dei verba: *Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit* (2). Ita etiam paulo ante Dominus Hebraeam gentem filiam appellat, *Audi, filia, et aspice*. Sed hic eadem gens *filia Regis* dicitur ab ipso caelesti Patre. Cujus Regis? Illius scilicet, de quo nuper dixit, *Et adamabit Rex decorem tuum. Nam ipse Dominus tuus est: jam illum adora*. Hic vero Jesus noster est, quem Hebraei nondum agnoscunt esse Dominum suum, nondum adorant. Pater igitur ut Hebraeis ostendat, hunc esse Deum et Dominum, gentem Hebraeam illius esse filiam docet; ex quo

(1) De Apol. Cap. XI. §. VII. (2) Is. I. 2. 3.

necesse est, ut Jesus illius gentis sit pater; qui esse nulla ratione potest, nisi una illi eademque ac Patri natura sit atque divinitas. Nam ceterae omnes rationes quibus aliquis dici potest cujusdam gentis pater et auctor, Jesu Christo simpliciter ut homini, quantum ad Hebraeos attinet, convenire nullo pacto possunt. Nam ne ipsi quidem Increduli, qui Jesum Deum esse negant, fatenturque illum Christianorum patrem et auctorem esse, Hebraeorum patrem et auctorem dicerent. Eorum igitur ut pater sit (nam esse testatur hic locus) una illa ratio superest qua Deus est. Itaque hic aliud habemus ab hoc Psalmo pulcherrimum pro divinitate Christi argumentum.

Pretiosae illae vestes, quae hic et infra commemorantur, metaphoricae sunt, ac spiritualem tantummodo declarant, eumque pulcherrimum ornatum. Id potissimum ab illis constat verbis, *Tota honorabilis* erit *filia Regis intrinsecus*.

15 *In acupictis vestibus adducetur ad Regem: Virgines pone ipsam sociae ipsius* erunt, *ad te adductae*.

Hebraea natio rediens ad Dominum excellentissima flagrabit caritate, quae sine multiplici virtutum omnium comitatu esse non potest. Hinc de oriente Hebraeorum ecclesia dicitur, *In acupictis vestibus adducetur ad Regem*. Et quum eodem tempore, statim scilicet post Antichristi excidium, omnes prorsus Gentes venire ad Ecclesiam debeant, idcirco additur, *Virgines*, hoc est novae gentium Ecclesiae, ut saepe diximus, *pone ipsam sociae ipsius erunt*, *ad te adductae*, o Rex Jesu. Est enim *ad Christum Regem apostrophe*, ut ait in hunc locum Marcus Marinus; eaque necessaria erat. Hac enim oratio clauditur, quam caelestis Pater habuit ad Filium in cruce morientem, et Dilectae una recitarunt.

Varietas distinctionis sententiarum oritur ab Hebraico textu, in quo ita distinctae sunt, et ita eas exhibent Marcus Marinus, ceterique omnes qui ab hebraico interpretati sunt,

duce ipso Hieronymo, qui hunc versum sic reddidit. *In scutulatis ducetur ad regem, virgines sequentur eam, proximae ejus ducentur tibi*. Pro *ducentur*, aut *afferentur* in hebraico est מוּבָאוֹת, *mubaòth*, *adductae*, participium plurale passivum, ut notat etiam Marcus Marinus.

16 *Adducantur cum gaudiis et exsultatione! veniant in Templum Regis!*

Occasione superiorum verborum, *Virgines pone ipsam sociae ipsius erunt, ad te adductae*, Virgines ipsae in Deserto enixe precantur, ut faustissimum hoc laetissimumque conversionis omnium gentium eventum maturet, eaeque jam veniant in Templum Regis Jesu Christi, quae est ipsius Ecclesia, ut Apostolus docet his verbis: *Jam ergo non amplius estis hospites et advenae, sed concives Sanctorum, Deique familiares; inaedificati in fundamento Apostolorum, et Prophetarum, exsistente summo angulari lapide ipso Jesu Christo, in quo totum Aedificium concordi aptaque ratione compositum crescit in Templum Sanctum in Domino* (1).

17 *Loco patrum tuorum erunt filii tui: eos constitues principes in universa terra*.

Totius Hebraeae gentis conversio quum post Antichristum futura sit, illis quidem Hebraeis qui regnante Benedicto sese converterant, est optatissima, sed habet rem iisdem tristissimam, quamplurimorum Hebraeorum una cum Antichristo exitium; nempe illorum qui hanc immanem belluam sequebantur, et Deum esse atque Messiam sibi persuaserant. At eorum plerisque filiis, praesertim post exitium illius belluae, conversionis gratia tribuenda est. Itaque fiet illud *grande miraculum, ut pereuntibus* cum Antichristo *ipsorum patribus, ipsi non pereant*; quemadmodum olim accidit filiis Corae. Quae causa est,

(1) Ephes. II. seqq. e graeco.

tur in Psalmorum titulis Hebraei, temporum de quibus loquimur, *filii Corae* appellentur, ut in argumento dictum est.

At is tot Hebraeorum una cum Antichristo tam miserabilis interitus, et manifesta eorundem ad aeternos ignes ab ipso Domino Jesu Christo palam declarata condemnatio, filiis jam credentibus, et tantam parentum suorum jam imminentem calamitatem certissime expectantibus, permagno moerori dolorique sit necesse est. Quamobrem Hierosolymae filiae Sulammitham, hoc est Hebraeos qui crediderant, et in Deserto erant, his verbis consolantur, *loco patrum tuorum erunt filii tui*: his vero quae sequuntur, eosdem erigunt et recreant, *eos constitues principes in universa terra*; hoc est praecipuos praeclarosque verbi Dei praecones, fere ut olim Apostoli fuerunt; quemadmodum Michaeas copiose vaticinatus est; quod vaticinium in Apologia nostra diligenter videndum est (1).

Scio alias afferri hujus loci explicationes, quas equidem laudo, iis exceptis quas auctores ad regias nuptias retulerunt. Haec mihi ab ipsa rerum et temporum de quibus toto Psalmo agitur natura, videtur proficisci.

*Erunt filii tui*, Quod in Vulgato legitur *nati sunt tibi filii*, est e versione Septuaginta Interpretum ἐγεννήθησάν σοι υἱοί. Hieronymus Hebraeorum sequutus est textum, vertitque, *Pro patribus tuis erunt filii tibi*; ubi Editores adnotarunt pro *tibi* legi in hebraico *tui*.

Animadvertendum est autem, duo haec pronomina *tuorum* et *tui* masculini esse apud Hebraeos generis, quamvis sermo sit cum Sulammitha, quae paulo ante *Filia*, et *Filia Regis*, et *Regia-Conjux* a Deo appellata est. Id facere Prophetae solent, ut ostendant sese non de vera quadam foemina,



(1) Cap. XIV.

sed per prosopopoeiam loqui. Quod ut doceant, Syntaxin quae inductae personae conveniret, alicubi deserunt, et eam usurpant quae rei convenit cujus loco personam induxerant. Haec res hic loci est populus Hebraeus, cujus personam Sulammitha sustinet. Hac de causa tribuuntur Sulammithae pronomina ejus generis quae populo conveniunt. Quam rem si animadvertissent qui puellam Aegyptiam in Psalmum intruserunt, eam illico expulissent; modo uxorem hermaphroditam Salomoni tradere non placuisset. Quid est enim quod illis placere non possit?

18 *Memor sim Nominis tui in omni aetate ac aetate! Juxta Truncum te populi celebrent in perpetuum, ac in aeternum!*

Jesum Sulammitha suspiciens, et amantissime alloquens haec verba pronunciat, quibus Hierosolymae filiabus respondet, ostendens jam sibi nihil antiquius, nihil optatius esse, quam ut deinceps Nominis Jesu perpetuo memor ipsa sit; ceterique populi juxta Jesu crucem illum perpetuo concelebrent ac laudent.

Hic jam tertius est hujus Psalmi locus, in quo *Chen non* est adverbium, sed nomen.

Quod Septuaginta *memores erunt* dixère tertia personâ plurali, apud Hebraeos est prima singularis. Soli autem sunt Septuaginta qui sic interpretati sunt. Nam et Hieronymus, et ceteri omnes prima interpretantur: et fortasse ipsi etiam Septuaginta scripserunt μνησθήσομαι, quod postea facili mendo μνησθήσονται evaserit.

# DE CRUCE VATICINIUM VII.

## Isaiae Caput LII.

## In quo Crux quater nominata est.

### ARGUMENTUM.

1 Vaticinii partes sunt quatuor. Earum prima gementi sub Antichristi tyrannide Hierosolymae proximam libertatem Propheta pollicetur, eam excitans ad conversionem, et sanctitatem, qualem decet urbem brevi posthac Messiae in Judaea principem, neque amplius imposterum a profanis contaminandam.

2 Altera parte explicat, quae servitus, quaeque libertas sit ea de qua superiori parte vaticinatus est. Ac servitus quidem est Antichristiani temporis. Ipsa enim Dei recitat verba reprehendentis injustissimam Antichristi etiam in Hebraeos tyrannidem, declarantisque multo iniquiorem, et in Deum contumeliosiorem esse, quam vetus illa fuerit Aegyptiorum in eosdem inhumanitas. Libertas autem christiana est, quippe quam Hebraei consequi nullo ab ipsis persoluto pretio debeant; consequi autem ope agnitionis nominis Dei Dominique nostri Jesu Christi, manifestata de caelo sacrosancta ipsius Cruce, quo die ad interimendum Antichristum, liberandasque ab illius tyrannide omnes gentes venturus est.

3 Tertia parte, occasione commemorati hujus adventus, describit Propheta quam gratus, quam laetus, quam faustus fu-

turus sit nuncius, quum primum, apparente jam Domino Jesu de caelo, nunciabitur ab his qui eum primi videbunt magnificentissimus ipsius adventus.

Ubi maxime insignis est locus de speculatoribus, hoc est iis Antichristi militibus qui in editioribus Hierosolymae locis excubias agebant. Nam hi venientem tanta majestate conspicientes Deum, subitaque gratia donati atque correpti, et jam voto effecti christiani, quanta maxima possunt voce Christianos abditissimis in locis Hierosolymae miserabiliter commorantes evocant, invitant, alliciunt ad gaudendum, ad plaudendum, ad occurrendum Domino, eumque comitandum, omni timore deposito, quandoquidem ad eos ipse congregandos colligendosque jam venit.

4. Quarta denique parte Deus ipse unigeniti Filii Pater loquens testatur, servum suum Messiam rerum ante dictarum intelligentiam vel ipsis suis illius temporis hostibus tributurum. Tum orationem ad ipsum Messiam convertens, explicat qui esse debeant Crucis effectus, postquam ingens Christianorum multitudo excisa propter odium in Jesum ab Antichristo fuerit, ipsaque crux certum fuerit exitium per impium quemlibet antichristianum cuicunque afferendum homini, penes quem conspicua, vel quavis forma deprehensa fuerit.

Vaticinium est praestantissimum, quod omnes ut attentissime non modo legant, verum etiam meditentur velim. Spero enim haec qui fecerint, aliquando esse dicturos, *Ecce crucem Domini, fugite partes adversae*. Nam jure mihi videor hoc posse dicere, ab his adversis partibus deceptos fuisse plerosque scriptores Judaeos; quibus, ut item ceteris aliarum gentium, quum augusta Jesu Christi crux e Prophetis nondum apparuisset; tamen quod alii, uno excepto Grotio, non fecerunt, exterminare ab hoc vaticinio Messiam conati sunt. Itaque illis quod debuit accidit. Neque enim invenire unum aliquem

hominem potuerunt, quem communi sententia fuisse ab Isaia designatum fatebantur. Qui enim aut Abrahamum, aut Mosem, aut Zorobabelem aut Esdram attulerunt, jampridem vel ab ipsis Judaeis deserti sunt. Qui tamen nihilo prioribus fuerunt feliciores. Aliis enim *Servus Dei*, quem Isaias affert, est Israelitarum populus, aliis est quilibet vir justus, aliis Josias rex, aliis Jeremias: in quam postremam sententiam concessit Grotius, magnum hominis secum ipso pugnantis exemplum relicturus. Est enim ubi diserte affirmaverit, intelligi hanc partem vaticinii non posse de quopiam alio, nisi de Messia (1); ipsum autem vaticinium explicare aggressus, Messiam depulit, Jeremiam cum Judaeis intrusit. Quamobrem jure vapulavit ab omnibus. Sed qui vana hujus et Judaeorum molimina strictim eversa videre volent, Synopsin adire Criticorum poterunt. Quorum ad argumenta erunt haec addenda quae de Cruce sunt in hoc vaticinio, quae omnem prorsus dubitationem, nisi me fallit opinio, tollunt. Nam et Crux in vaticinio quater ac definite nominata est, et quae de Cruce in illo dicuntur, ita sunt unius Dei Dominique Jesu Christi crucifixi propria, ut praeterea neminis; et facilius sit contendere, duo ad duo addita non esse quatuor, quam illud inficiari. Quaestionem igitur, quam Polus in Synopsi *nobilissimam et* πολυθρύλλητον nominat, de quonam agatur hoc vaticinio, conspecta Cruce finiendam esse, jure mihi videor posse polliceri.

(1) Grotius de Verit. Relig. v. 19.

## ISAIAE CAPUT LII.

### I.

1 Evigila, evigila, indue robur tuum, Sion; indue vestes ornatus tui, Hierosolyma, civitas Sancti! Non enim venturus est amplius in te incircumcisus et immundus. 2 Excute te a pulvere, surge, sede, Hierosolyma: dissolve vincula colli tui, captiva filia Sionis!

### II.

3 Sic enim dixit Dominus: Gratis venditi estis, et non redimemini argento. 4 Nam sic dixit Adonai Dominus: In Aegyptum descendit Populus meus initio, ut moraretur ibi: at Assyrius (1) illum sine causa opprimit. 5 Nam nunc quid mihi hic *est* (dictum est Domini) quamobrem captus sit Populus meus gratis? Qui dominantur in eum, ululant (dictum est Domini) et jugiter quotidie nomen meum spernitur. 6 Per Truncum agnoscet Populus meus nomen meum, per Truncum in die illa! Nam ego ipse qui loquor, ecce ego *adero*.

### III.

7 Quam grati erunt super montes pedes annunciantis, auditam facientis pacem, annunciantis bonum, auditam facientis salutem, dicentis Sioni, Regnat Deus tuus! 8 Vocem Speculatores tui attollent, voce simul conclamabunt, quum oculo ad oculum videbunt, quando convertet Dominus Sionem.

(1) Antichristus.

9 Perstrepite, *inquient*, personate simul, vastitates Hierosoly-
mae! 10 Detexit Dominus Brachium sanctum suum oculis
omnium gentium, videntque omnes fines terrae salutem Dei
nostri! 11 Recedite, recedite, exite inde, immundum ne
tangite: exite de medio illius, mundamini qui fertis vasa Do-
mini! 12 Non enim cum trepidatione exibitis, nec cum fuga
incedetis: nam praecedit vos Dominus, et qui colligit vos *est*
Deus Israelis!

## IV.

13 Haec intelligere faciet Servus meus: exaltabitur, extol-
letur, efferetur valde. 14 Postquam vastati fuerint propter
Te multi, Truncus exitio *fuerit* per quemlibet aspectu suo,
formâque sua per filios hominum; 15 Truncus asperget gen-
tes multas, contra ipsum reges occludent os suum. Nam hi
quibus narratus non fuerat, viderint; et qui non audiebant,
consideraverint.

## Declarationes.

1 *Evigila, evigila, indue robur tuum, Sion; indue vestes ornatus tui, Hierosolyma, civitas Sancti. Non enim venturus est amplius in te incircumcisus et immundus.*

Psalmo quarto Messias Hebraeos ad suam religionem vocans, cum alia multa, tum ista inquit, *Cum animo vestro de Cubili vestro loquimini, et obmutescite*; atque ibidem vaticinium est de Hebraeorum pertinacia, statuentium pro se quisque errores suos retinere his verbis, *In pace unanimiter cubabo, et dormiam*: quorum declarationes in Apologia nostra videndae sunt. Ab hoc eos turpissimo somno Propheta his verbis excitat, *Evigila, evigila*, suadetque *ut induant novum*

*hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et Sanctitate veritatis* (1); unde omne verum robur exsistit, omnisque pulcher ornatus exoritur. Hoc robur, atque has vestes olim habuerunt Hebraei, sed eas, repudiato Messia, turpissime deposuere. Idcirco Propheta ut redeuntes ad Deum robur *suum* vestesque *suas* induant hortatur. Nam quod Sionem, ac Hierosolymam compellet, meminisse decet ejus quod saepe alias dictum est, Hebraeos aliquot seculis ante excidium Antichristi patriis sedibus restituendos esse: quod alias, si benigne Deus annuerit, ostendetur.

Hierosolyma praeterea *Civitas Sancti*, hoc est Messiae dicitur tum per prolepsin, quia statim post Antichristum urbs sanctissima futura est; tum quia illa ipsa vinea est, in quam Paterfamilias misit servos suos, sed eos agricolae occiderunt; *novissime autem misit ad eos Filium suum . . . . . et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt eum* (2). Is autem filius haeres patrisfamilias erat: et quum ipse Sanctus sit, hoc est Messias qui hac parabola est adumbratus, *quem Deus constituit haeredem universorum* (3); idcirco ad eum haereditario jure Hierosolyma pertinet; eaque de causa etiam *Civitas Sancti* dicitur, etsi adhuc inimicissima illius, et perfida sit.

Postrema verba, *Non enim venturus est amplius in te incircumcisus et immundus*, manifestissime ostendunt, hoc vaticinium ad Hierosolymam christianam post Antichristum pertinere. Nam veterem Hierosolymam immundi Romani diu post Isaiam et habuerunt, et perdiderunt. Quae nunc stat, a perfidis adhuc immundisque Judaeis instauranda et diu retinenda est, deinde ab immundissimo Antichristo capienda, et in illius

(1) Ephes. IV. 24.
(2) Matth. XXI.
(3) Hebr. I. 2.

impurissimo imperio futura. Necesse est igitur ut vaticinium respiciat tempus post Antichristum: de qua epocha quamplurima vaticinia docent, Hierosolymam nunquam amplius esse contaminandam.

2 *Excute te a pulvere, surge, sede, Hierosolyma: dissolve vincula colli tui, captiva filia Sionis!*

Dormientem, suo robore destitutam, squalida opertam veste, incircumcisis immundisque hominibus refertam, in pulvere prostratam, catenis vinctam, captivam Hierosolymam alloquitur Propheta, ut a superioribus, et ab his verbis patet. Quis ille somnus sit, nuper explicavimus: sed omnia haec attendenda sunt diligenter. Nam iis quae sequuntur adjuncta, permanifesto illud quod diximus demonstrant, vaticinium ad Antichristiana pertinere tempora.

3 *Sic enim dixit Dominus: Gratis venditi estis, et non redimemini argento.*

*Gratis venditi estis*, idest sine ulla vestra, aut cujuspiam utilitate in hanc indignam Antichristi servitutem compulsi estis. *Et non redimemini argento*, nec vestris scilicet, nec alienis opibus ab hac tam indigna servitute liberabimini. Ego ipse redimam veniens.

4 *Nam sic dixit Adonai Dominus: In Aegyptum descendit Populus meus initio, ut moraretur ibi: at Assyrius illum sine causa opprimit.*

Comparat Deus vexationes quas ab Aegyptiis initio habuerunt Hebraei cum iis quas ab Antichristo post captam ab eo Hierosolymam sunt habituri, aitque tolerabilem quandam causam odio prosequendi Hebraeos Aegyptiis fuisse, Antichristo nullam. Antichristum enim Prophetae, quum de rebus post ortum Messiae futuris vaticinantur, *Assyrium* nominant; ut a Michaeae capite quinto planissimum est; quod vide in Apologia. Ac Aegyptiis tolerabilem quandam causam odii fuisse in

Hebraeos, hinc manifestum est. Hebraei namque pastores initio fuerunt, genus hominum Aegyptiis invisum (1), *et possessionem in Aegypto in optimo terrae loco* sibi quaesiverunt (2); et aucto mirum in modum ipsorum numero metum Aegyptiis attulere (3). Harum similis causa nulla Antichristo est, qui Populum meum sine causa opprimit.

Carpit acriter Vulgatum Houbigantius hoc loco, quod באפס verterit *absque ulla causa*. In quo crimine nos etiam deprehendimur, et socios habemus Pagninum, Calasium, Tigurinae versionis auctores, Tremellium et Junium, Piscatorem, et alios, qui literalissime vertunt *pro nihilo*; idque illo plane sensu quo Itali dicimus *per niente*; ut Kimchius quoque explicat, interprete Malanimeo, *pro nihilo absque jure*: quod *pro nihilo* Latinos olim dixisse *absque ulla causa*, *sine causa*, vel pueri sciunt. Socios item habemus Tigurinam iterum, et Vatablum, qui eodem sensu *temere* posuerunt, in primis autem Munsterum, qui eisdem verbis *absque causa* transtulit. Horum neminem cur reprehenderet, unum Vulgatum carperet, alii viderint. Ipse vertit *ultimo tempore*, et qui sic vertat solus est. Nam ne illi quidem qui post eum gallice sunt interpretati, Pastores et Professores Genevenses, gallum hominem sunt sequuti (4).

Carpendi porro Vulgati causas sibi finxit Houbigantius quatuor; quas omnes ex falso esse, et nihil nisi plurimum inconsiderationis et praecipitantiae habere; ut facile, sic longum esset demonstrare hoc loco. Earum prima est significatio *finis*, quam vox אפס, *ephes*, habet: quasi eam unus ipse norit; Vulgatus, et alii quos nominavimus, ignoraverint. Qui nimi-

(1) Gen. XLVI. 34.
(2) Ibidem et XLVII. 11.
(3) Exod. I. 9.

(4) *Mais les Assyriens n'ont point eu de prétexte pour l'opprimer.* Aptius si *l'Assyrien* dixissent.

rum. quindecies, ut minimum, eam adhibent, sed huic non convenire loco judicarunt. Altera causa est, nullum se repe-risse illius quam Vulgatus adhibuit significationis exemplum. Ubi quantum sit inconsiderationis, vix dici potest. In ceteris, quum certissimum sit, nullum esse prorsus exemplum quod monstret, *ephes* significare *ultimum tempus*; meminisse illius Horatiani oportuit, *Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum*. Tertia, illud *sine causa* conciliari cum historia non posse. Quod si verum sit (non enim omnes facile concedent, et Hieronymus, aliique omnes se conciliavisse arbitrantur) tamen si verum sit, ostendet, non Vulgatum et ceteros perperam interpretatos esse; sed vaticinium quod ad Antichristi futura tempora pertineat, ut nostra fert opinio, perperam ad veteres traduci sacras historias, quibuscum conciliari nequeat. Quarta denique causa est, Vulgati hac interpretatione *deceptum* fuisse Forerium, qui eam *nimium incaute* sequutus sit. *Decepit*, inquit, *Forerium Vulgati haec interpretatio, ut crederet* „ „ *Assurum hic vocari Pharaonem, propter potentiam et cru-* „ *delitatem. Erat enim veluti in proverbio nomen* Assur *ea* „ *tempestate; ut ex lectione Prophetarum apparet, qui ho-* „ *stes populi Dei illorum populorum nominibus solent appel-* „ *lare qui Judaeis infensi fuerant* „. *Haec nimium incaute Forerius; cujus erroris causam ut ostendimus, ita eum errorem Lector*, qualis sit, facile videt.

Detur hoc tenuitati ingenii mei, ut haec postrema verba, *ita eum errorem Lector, qualis sit, facile videt*, non intelligam. Ne illud quidem satis intelligo, cur unum Forerium nominaverit, quum Cajetanus, Emmanuel Sa, Menochius, Tirinus eadem quae Forerius, testibus Polo atque Calmeto, senserint. De *Assyrio* qui nominatur hoc loco, quis ille sit, video plures esse sententias. Nam, ut est in Anglicanis adnotationibus, referente Polo, *De sensu loci Interpretes admodum*

*discrepant*. Forerius de sola servitute aegyptia sermonem esse censuit (1). Haec vera solaque causa est, cur *Assyrium* hujus loci Pharaonem esse putaverit, Erraverit, si ita libet (neque enim judex ego sum) unam illam aegyptiam servitutem cogitans Forerius. Sed eum errorem quisnam alius praeter Houbigantium tam perverse ratiocinetur, ut sibi persuadeat, *causam* ab interpretatione Vulgati *absque ulla causa* habere potuisse? Nihil enim habet Vulgati et aliorum ea interpretatio cum illo errore commune, neque cum eodem sic colligata est, ut, ea recepta, Forerii quoque sententia recipienda sit. Junius, qui, ut diximus, eodem plane Vulgati sensu una cum Tremellio transtulit, duo hic exempla conferri censuit, alterum aegyptiae, alterum babyloniae servitutis, et *Assyrius* ipsi non Pharao, sed babylonius est. Idne censere potuisset, si Vulgati interpretatio in Forerii opinionem necessario traheret? Sanctio Vulgatum sequnto *Assur* est babylonius, Nabuchodonosor. Calmeto idem facienti est *Salmanasar*; *Sennacherib*, *Nabuchodonosor*. Anglicanae adnotationes, *Assur*, inquiunt, *hic totam seriem regum illorum ante memoratorum, populumque Dei opprimentium, comprehendit*. Alii praeterea etiam aliter accipiunt: et nobis denique, novissimis et minimis omnium, *Assyrius*, hoc est, babylonius, hujus loci, Antichristus est; quia Propheta non de ulla vetere historia, sed de rebus longo post mortem Messiae in *Trunco* futuris vaticinari visus est, ut in argumento diximus, ac declarationes ostendent; et Antichristus *Babylone*, urbe illa quam Petrus et Joannes nominarunt, imperaturus est, Hanccine tantam sententiarum varietatem afferre Enarratores potuissent, si Forerii opinio de una aegyptia servitute, de qua necessario natus est *error* (si Houbigantium audimus) putandi *Assur* Pharaonem esse, adeo cum

(1) Synops. Criticor. All.

interpretatione Vulgati colligata esset; ut, ea recepta, Forerii sententiam rejicere nullo modo possemus? Atqui nisi ita colligata sit, Vulgatus Forerium decipere certe non potuit. Id enim quo quis deceptus fuerit, in verbis ejus sit oportet qui deceperit. At in illis verbis *absque ulla causa* quidquamne est quod *Assyrium* Pharaonem esse cogat affirmare, ut qui non affirmet, is a Vulgato discedat? Ne hilum quidem est. *Causa* igitur sive opinionis, sive, ut urbanitate galli loquar interpretis, *erroris* Forerii nullo modo Vulgati est interpretatio. Sed quid ego et argumentis utor, et aliorum auctoritate, quum ipse Vulgatus interpres, qui hoc loco est Hieronymus, totam hanc putidam Houbigantii calumniam funditus evertat? Ille in commentariis ad hunc ipsum locum, quo *absque ulla causa* interpretatus est, *Arguit*, inquit, *populum Judaeorum, et ventura praedicit. Quod qui voluntate sua in Jacob descendit ad Aegyptios, et tempore necessitatis ac famis peregrinatus est in terra Gessen: postea ab Assyriis, quos in nullo laeserat, calumniam sustinuerit: et in Babylonem captivitate translatus sit.* Quibus verbis perspicuum est, binas ab eo servitutes commemoratas esse, alteram aegyptiam, alteram babyloniam; et *Assyrium* ipsi esse babylonium captivitatis auctorem, Nebuchadnesarem. At Forerius *Assyrium* esse Pharaonem, et solam aegyptiam servitutem commemorari credidit. Quomodo igitur *Forerium Vulgati haec interpretatio decepit*, ut ita crederet? aut potius quonam Houbigantii animus aufugerat, quum ea scriberet? Ecce tibi quam abunde cautus sit qui alium nimium incautum appellat. Sed quod valde mirandum est, gallus ille *versionis Latinae* auctor *ad notas criticas*, idest pessime, *factae*, Vulgatum, Ecclesiae ac tot sapientissimorum virorum judicio tam multis a seculis probatum, *deceptoris* nomine; Forerium hominis *nimium* erga illum *incauti* titulo decorat, et utrumque demum *erroris* insimulat: ipse tam illibe-

ralis et invidus est, ut nec quem esse illum *Assurum* tenere sine *errore* debeamus nos doceat, nec quale sit suum illud *ultimum tempus* ullis declaret verbis. Nihil sua fortassis intererat haec facere: satis, ut apparet, habebat artificiose edicere, *Qui decipi et errare non vult, qui satis cautus esse desiderat, Vulgati versionem abjiciat, meam teneat*. Nihil enim nisi hoc olet ista hominis censura. Specimen hoc sit *Notarum criticarum* illius interpretis, ad quas versionem suam elaboravit: quod longius fortasse quam oporteret persequutus sum, etsi dici multo plura iis quae dixi potuissent. Sed in viam redeundum erat.

5 *Nam nunc quid mihi hic est (dictum est Domini) quamobrem captus sit populus meus gratis?*

Scilicet, quemnam ego fructum capio ab hac tam indigna servitute, qua Populus meus per Antichristum oppressus est?

*Qui dominantur in eum, ululant (dictum est Domini), et jugiter quotidie nomen meum spernitur.*

Qui dominantur in Populum meum, Antichristus ejusque Satellites, ululant contra me verum Deum. *Homo* iste *peccati, filius perditionis, adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in Templo meo sedeat, ostendens se tanquam sit Deus* (1). Iste *flagitiose stultus* de me *in corde suo dixit, Non est Deus* (2). Ipse, et qui eum sequuntur, *perdite egerunt, abominandum opus* excidendae radicitus Christianae religionis meae *aggressi sunt* internecione nominis Christiani: *Unusquisque illorum contra me rebellavit, foetidi unanimiter facti sunt: nemo eorum est qui boni quidquam operetur; ne unus quidem est* (3), *et jugiter quotidie*

(1) II. Thess. II. 3. 4.
(2) E Psalm. 14. in Apol. Cap. XVI.
(3) Ex eod. Psalm. ibidem.

*nomen meum* Jesu quovis contumeliarum, et blasphemiarum genere *spernitur*. Quemnam ergo fructum ego ab his hominibus, seu potius belluis, capio, ut ad cetera etiam summa ipsorum scelera hoc adjungere debeant, quo Populus meus tam dira, tam immani, tam atroci servitute sine ulla tolerabili causa opprimitur? Quamobrem quod ipsis molestissimum futurum est, quod maxime abhorrent, quod totis viribus, et omni scelere impedire conantur, *per Truncum agnoscet Populus meus nomen* Dei *meum*, *per Truncum in die illa*, qua veniam ad has furentes belluas excidendas, perdendas, interimendas, aeterna morte puniendas. *Nam ego ipse qui* nunc per Prophetam *loquor*, *ecce ego* cum mea Cruce adero.

6 *Per Truncum agnoscet Populus meus nomen meum*, *per Truncum in die illa! Nam ego ipse qui loquor*, *ecce ego* adero.

Hic primus est hujus vaticinii locus, ubi sacrosancta Crux bis nominatur, et est nomen *Chen* conjunctam habens literam *Lamed* in hunc modum לָכֵן, *lachèn*: quae litera varias exprimit praepositiones, in quibus *per*, *propter* (1). Illa ipsa vox, quum *Chen* adverbium est, non nomen, significat etiam *propter hoc*; qua significatione Septuaginta, et Vulgatus interpretati sunt: illi quidem his verbis, διὰ τοῦτο γνώσεται ὁ λαός μου τὸ ὄνομά μου ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ: Vulgatus autem, *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa*. Sed quum vox ea *Lachèn* bis hoc loco in Hebraico sit, Septuaginta et Vulgatus semel tantum eam expresserunt, omissa repetitione, quae ad emphasin qua Deus hic loquitur, adhibitaque *Trunci* significatione, quam apta sit, quam deceat, quantam vim habeat, planeque postuletur, latere neminem posse arbitror.

Ceteros omnes interpretes hic locus quamplurimum fati-

(1) Montald. pag. 583.

gavit, ut hi qui eos consulent cognoscere facile poterunt; quod minime mirandum est. Non enim Crucem adorarunt, quam bis Deus hic fixit.

7 *Quam grati erunt super montes pedes annunciantis, auditam facientis pacem, annunciantis bonum, auditam facientis salutem, dicentis Sioni, Regnat Deus tuus?*

Occasione superiorum verborum, quibus Dominus adventum suum ad excidendum Antichristum pollicitus est, describit Propheta summum gaudium quod per montes Judaeae (in quibus etiam pauci Christiani ab Antichristi crudelitate sese abdiderant) primus de veniente Domino Jesu Christo nuncius allaturus est. Quanta sit ob tantam rem ea die futura commotio, quis est qui possit describere?

*Regnat Deus tuus*; hoc est ad regnandum venit. Rex Sionis jam ipse est, non amplius Antichristus, et ipse dimissum jamdudum Sionis regnum denuo assumit, quod in posterum ab hac die per viros Sanctissimos usque ad interitum hominum habiturus est. Error enim est divinis Literis maxime contrarius eorum qui existimant, Dominum Jesum aliquando, multoque tempore, necnon spectabili forma in terris regnaturum esse. Veniet quidem Dominus *ad judicandos vivos*, hoc est *ad interficiendum spiritu oris sui Antichristum*, et qui cum Antichristo flagitiose ac perdite insanient (1), et veniet tota sua majestate conspicuus (2), atque universa stipatus pariter conspicua Caelitum innumerabili multitudine (3), diuque *ante judicium mortuorum* (4). Sed hoc magnificentissimo contra illam Belluam adventu nec Dominus Jesus, nec caelitum

(1) II. Thess. II. 8. Apoc. XIX. 17. seqq. etc.

(2) Psalm. LXXXIII. in Apolog. pag. 240. seqq.

(3) Zachar. XIV. 5. in Apolog. pag. 313. seqq. Apoc. XIX. 11. seqq. etc.

(4) Psalm. Hebr. XC. 4. Apoc. XX. per tot.

quispiam, humi pedem figent (1), nec tempus quo se spectandum suosque exhibebit, unico est die diuturnius (2). *Illustria* quaedam de his omnibus rebus divina testimonia obiter a nobis alias explicata sunt. Sed multo plura extant, ac utraque peculiarem postulant tractationem, quae in angustias harum declarationum conjici nequit.

Apostolus ad Romanos quum ex Joele illam sententiam attulisset, *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*; multa continuo enumerat, quae nisi praecesserint, fieri nequeat ut nomen Domini quis invocet. Sic enim pergit: *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent in quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* (3). Quo Apostoli testimonio non est dubitandum, quin hoc Prophetae loco sit sermo de praedicantibus, eorundemque missione; secus enim ad rem nihil locus faceret.

Quaeret ergo fortasse aliquis, quosnam hic praedicantes afferat Propheta, iidemque a quo juxta ipsum, et qua ratione mittantur: quae omnia satis perspicua sunt. Praedicantes enim illi ipsi sunt, quos diximus Christiani, qui sese in montibus abdiderant Judaeae. Nam hi statim atque apparere nova illa et ingens *vespertina lux* venientis Domini coepit, quum intelligerent, afferri jam ab ipso palam et summam illam Ecclesiae tam dire vexatae pacem, et maxima illa toti humano generi miserabiliter profligato fereque perdito bona, et praeclaram maximeque optandam omnibus hominibus salutem, constituique

*u u*

(1) Zachar. loc. cit.

(2) Idem loc. cit. v. 7. Psal. LXXXVIII. v. 17. in Apol. pag. 65.

(3) Rom. X. 13. seqq.

Sione cum gaudio universae terrae sanctissimum ipsius per eos viros, quos nuper innuimus, regnum; quae ab eo mox afferenda esse, divinis edocti oraculis speraverant ac crediderant; e latebris erumpentes laetitiae plenissimi, occurrentesque venienti, continere voces suas non poterant, quin haec ipsa tam secum ipsi gratulabundi, quam ad obvios quosque hostes, plurimum attonitos, quammaxime liberrimeque vociferarentur. Erat igitur haec ad istos vociferatio admodum praeclara praedicatio; ut oppido perspicuum est. Nec minus est evidens, sanctissimos illos viros, tot antea per Antichristum gravia passos, ab ipso Domino uberrimis gratiae suae divitiis ad haec eos concitante ac propemodum impellente mitti; mitti autem *illustratione adventus sui*. Quamobrem quae tria quaerere quis poterat, habeatne Isaias hoc loco, quosdam scilicet praedicantes, eum a quo missi, et qua ratione missi sint, luculentissime adesse manifestum est. Ex quo patet, quam apte Apostolus ad astruendam illam de qua scribebat necessitatem, divino hoc Prophetae testimonio uteretur. Vix enim aliud est in vetere Testamento illustrius.

8 *Vocem Speculatores tui attollent, voce simul conclamabunt, quum oculo ad oculum videbunt, quando convertet Dominus Sionem.*

Alloquitur, ut patet, Propheta Sionem, arcem Hierosolymae, in qua post urbem ipsam captam milites Speculatores suos, ita ut fit, Antichristus habiturus est. Hac de causa hi milites *Speculatores Sionis* appellantur. Qui *quum oculo ad oculum videbunt* venientem Dominum, subita gratia correpti *vocem attollent, et una conclamabunt*, eaque dicent quae usque ad tertiumdecimum versum sequuntur.

9 *Perstrepite*, inquient, *personate simul, vastitates Hierosolymae!*

Familiae scilicet, ac domus Hierosolymae (ubi regnante

Antichristo . insignes Prophetae duo Christianam religionem mirifice praedicabunt.). (1) quotquot ob Christianam fidem vastatae, perditae, pessumdatae crudeliter estis ab Antichristo; quarum quae superstites estis et tyranni furorem evasistis, in abditis, horridis, subterraneis, teterrimis urbis locis miserrimam vitam agitis, perstrepite jam, personate simul prae laetitia.

10 *Detexit Dominus Brachium Sanctum suum oculis omnium gentium, videntque omnes fines terrae salutem Dei nostri!*

*Detexit*, ostendit, revelavit (ut Septuaginta ἀποκαλύψει) *Brachium Sanctum suum*, nempe Filium suum, *Verbum Dei* (2), *per quem omnia facta sunt*; qui propterea *Brachium Dei* dicitur, ab hominibus ducta similitudine. Hunc igitur Dominus τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, hoc est *illustratione*, *apparitione*, *manifestatione adventus sui* (3) *detexit oculis omnium Gentium*, *videntque omnes fines terrae salutem Dei nostri*; quam scilicet Deus ac Dominus noster Jesus Christus primo adventu suo attulit, et cui nunc iterum ad Antichristum excidendum veniens, *testimonium in aethere verissimum* exhibet (4). Hanc salutem omnes fines terrae nunc vident, nunc intelligunt, nunc sine ulla dubitatione perspiciunt tam magnifico illius adventu illustratae.

11 *Recedite, recedite, exite inde, immundum ne tangite: exite de medio illius, mundamini qui fertis vasa Domini!*

Speculatores alloqui pergunt *vastitates Hierosolymae*, Christianos scilicet viros in subterraneis teterrimisque Hierosolymae locis ob Antichristi crudelitatem latentes. Eos igitur compel-



(1) Apocal. XI.
(2) Vid. Apoc. XIX. 11. etc.
(3) II. Thess. II. 8.
(4) Psalm. LXXXVIII. 38. in Apol. Cap. IX., ubi totum vide.

lantes, *Recedite*, *recedite*, inquiunt, exite de locis ubi occultimini, exeundoque cavete nequid hujus novae Antichristi spurcissimae idololatriae tangatis: exite de medio, idest de subterraneis Hierosolymae latibulis, quae media subtus inter exstantes domos, et earum solum excavata sunt: squalidas vestes quibus vix contecti estis ponite, atque mundamini, et sacras induite, o vos qui fertis vasa Domini, sancti Sacerdotes; cruces scilicet, imagines, ipsa illa sacra vasa in quibus *Panem Dominum* habetis (1); et cum his omnibus; praecipue vero cum illo Sacrosancto Pane, omni timore deposito, venienti Domino occurrite.

Nihil certe carius, nihil jucundius, nihil suavius habere poterunt sanctissimi illi Christiani viri ab Antichristi atrocitate superstites intuentes venientem Dominum suum, quam illi obviam undique procurrere vasis et instrumentis instructos testantibus sese in ipsius fide mansisse. Sed quod nulla dicendi vis consequi potest, summum illud gaudium erit, lacrymis plenissimum amoris, obviam eundi gestantes, comitantes, effusissime adorantes sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum, in quo sub Speciebus Panis et Vini esse illum ipsum Dominum certissime a fide sciunt, quem tanta majestate procedentem intuentur. O beatam diem, cujus unius diuturnae illae ac crudelissimae Antichristi persequutiones dignum esse non possunt pretium!

12 *Non enim cum trepidatione exibitis, nec cum fuga incedetis: nam praecedit vos Dominus, et qui colligit vos est Deus Israelis.*

Non enim timidi et trepidantes exibitis, nec fugam semper comitem habebitis, ut hactenus vobis faciendum fuit imminente ubique cervicibus vestris tyranno qui vos ad necem

(1) Vid. Psal. XIV. in Apol. Cap. XVI., et Psalm. LIII. ibidem Cap. XVII.

sagacissime conquirebat. Quae sequuntur, *Nam praecedit vos Dominus*, et cetera, praeclara sunt de Christi divinitate confessio. Is enim, inquiunt Speculatores, quem oculis nostris venientem intuemur (1), quem Jesum Christum esse certissime per Triumphum ipsius, perque ipsa sacratissima vulnera, quibus Trunco confixus fuit, et quae in eo maxime splendent, agnoscimus (2), illum ipsum quem tyrannus Deum esse negat (3); is qui vos nunc adventu suo praecedit ac colligit, is ipse est Dominus, יהוה, Deus Israelis. Hic Speculatorum verba desinunt.

Observent autem Judaei, et qui negandae divinitatis Jesu Christi Judaeos habent auctores ac magistros, hunc virum *Servum Dei*, cui notae a Propheta hic etiam tribuuntur, quae sine ullo dubio unius sunt Jesu Christi propriae, et praeterea neminis, nomine tetragrammato appellari; quod nomen unius esse Dei proprium, tum Judaei, tum ceteri prorsus omnes confitentur, et constanti perpetuaque sacrorum Librorum consuetudine certissimum est. Tum in neganda illius divinitate, si cum ratione poterunt, persistant.

13 *Haec intelligere faciet Servus meus: exaltabitur, extolletur, efferetur valde.*

Harum rerum quae nuper commemoratae sunt, subitam permultis intelligentiam tribuet veniens Servus meus Jesus Christus, et ob eam causam exaltabitur, extolletur, summis efferetur, et excipietur laudibus. Caelestis Pater est, ut diximus, qui hac quarta loquitur parte.

Duo hic animadvertere juvat. Primum scriptionem הנה, quam et Rabbini, et Interpretes adverbium esse existimarunt

(1) Supr. v. 8.

(2) Supr. v. 6. et Psalmos vide in Apol. Capp. XVI. et XVII. versib. 4. et 5.

(3) Ibidem versib. 1. et 2.

(eam enim pronunciant הִנֵּה, *hinne*, hoc est *ecce*.) videri potius esse pronomen plurale e singulari הִיא, et pronunciandam esse הֵנָּה, *henna*, *haec*, *ista*. Nihil quidem variat diversa pronunciatio sententiam: haec tamen posterior eam illustriorem facit et consequentiorem. Sic enim his verbis explicatur causa, qua fiet, ut ipsi hostes Christianae religionis infensissimi, quales esse oportet Antichristi milites, admirabili subitaque animorum conversione, quae unius Dei opus esse potest, in eas prorumpant voces quas Propheta recensuit.

Alterum quod animadvertere juvat, est, ab hoc Isaiae loco petendam esse intelligentiam vocis מַשְׂכִּיל, *maschil*, quae in quorundam Psalmorum titulis invenitur, ubi a Septuaginta Vulgatoque redditur *intellectus*, ac tantopere vexat incertosque habet Interpretes. Sunt autem Psalmi qui eam vocem in titulo habent tredecim (1). Hi vel de ipso secundo Domini nostri adventu aut omnino, aut aliqua ex parte loquuntur, vel de aliis quibusdam rebus ad eam epocham pertinentibus. Eam epocham Prophetae illa etiam voce designant, respicientes hanc admirabilem intelligentiam conversionemque animorum, quam permultis hostibus suis tunc temporis Dominus largiturus est, et per Isaiam hoc loco atque his verbis pollicetur הֵנָּה יַשְׂכִּיל, *Henna jaschil*, *Haec intelligere faciet*, sive *horum intelligentiam tribuet Servus meus*. Ubi animadvertendum est, vocem illam *maschil* participium esse praesentis temporis activum hujus ipsius verbi, cujus futurum *jaschil* hic Isaias adhibet, quo loco perspicuum in primis est, Prophetam de illa quam diximus intelligentia et conversione loqui. Illa itaque vox interpretanda est *Intelligentiae largitor*, aut *intelligentiam tribuens*, aut *intelligere faciens*; semperque Domino nostro Jesu tributa est, sive sola sit, sive cum *Victoris* nomine conjuncta. Superiore

(1) Psalm. 32. 42. 44. 45. 52. 53. 54. 55. 74. 78. 88. 89. 142.

Vaticinio declaratus est titulus Psalmi XLV. eam habens vocem. Sed de hac re plura ne dicamus prohibent angustiae, neque nunc est de titulis Psalmorum disserendum.

14 *Postquam vastati fuerint propter Te multi, Truncus exitium* fuerit *per quemlibet aspectu suo, formâque sua per filios hominum;* 15 *Truncus asperget gentes multas; contra ipsum reges occludent os suum. Nam hi quibus narratus non fuerat, viderint; qui vero non audiebant, consideraverint.*

Orationem caelestis Pater ad Deum-Virum, Filium et Servum suum convertit, praedicens admirabiles crucis effectus post Antichristi persequutionem; et haec usque ad finem Capitis.

Multos propter Dominum nostrum Jesum Christum ipsiusque Fidem ab Antichristo vastandos esse, vulgo etiam notissimum est; et res esset longissimi temporis huc omnia sacrorum Librorum de hac re testimonia conferre. Satis sit commemorare legem ab ipso loquentum Antichristi imaginum ore promulgandam de adorandis ipsis illius teterrimae Belluae imaginibus, deque poenis in eos qui palam gestare insignia novae atque stultissimae superstitionis recusabunt. *Datum est illi* (Pseudoprophetae, summo Antichristianae idololatriae pontifici) *ut daret spiritum imagini Bestiae* (Antichristi) *et ut loquatur imago Bestiae, et faciat, ut Quicunque non adoraverit imaginem Bestiae occidatur. Et faciet omnes pusillos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos habere Characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, et Nequis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen Bestiae, aut numerum nominis ejus* (1).

Hac tanta impietate atque immanitate ubique terrarum debacchante, putamusne permissum iri, ut a Christianis cruces

(1) Apoc. XIII. 10. seqq.

seu privatim domi, seu publice ac palam habeantur, adorentur, ullo modo sub aspectum cadant, quum Apostolus doceat, perditissimam hanc Belluam *adversari extollique supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur?* (1).

Quid igitur? Eritne credendum, veros illius temporis Christianos, viros sine dubio sanctissimos, augustam crucem, qua nihil habent carius, abjecturos, atque eodem loco habituros esse, quo infensissimi hostes Dei et divinarum omnium rerum sunt habituri? Nihil minus: quinimo exploratum est, eos, quovis contemto periculo, illam, ut reliqua divina, diligentissime, quoad ejus fieri poterit, custodituros atque culturos. Sed perditis quibuslibet hominibus nihil certe antiquius futurum est, quam ut ubique rimentur et pervestigent, nuncubi abditae serventur et colantur cruces, aut earum effigies, et quovis modo delineatae formae. Quas ubi penes aliquos deprehenderint (deprehedent autem certe apud plurimos, quinetiam multi sponte illas proferent, aut, si hoc non poterunt, se ipsi cruce signabunt) eos jubebunt, abjecta confestim et abjurata cruce, allatam adorare Belluae imaginem. Nolent certe Christiani nefarium scelus ullo modo admittere, et, suis relictis castris, transfugere ad apostatas. Itaque perditi homines ex Lege quae recitata est, *Quicunque non adoraverit imaginem Bestiae occidatur*, impetu in illos facto, statim occident. Ita Truncus miserrimo tempore ubicunque ab improbis *conspectus* et quavis *forma* deprehensus apud Christianos fuerit, horum *exitium* erit. Quae admodum praeclare divinus Isaias praenunciat his verbis: *Postquam . . . . Truncus exitium fuerit per quemlibet aspectu suo, formâque sua per filios hominum*: quo nomine homines improbissimos et a Deo divinisque rebus aversos in sacris Literis appellari, notissimum est.

(1) II. Thess. II. 4.

Sed haec quoadusque insaniet flagitiosissima illa Bellua; Hac vero jam jam peritura, quid futurum est? Primo Truncus cum ipso veniente Deo Dominoque Jesu conspiciendus *asperget Gentes multas*; quotquot scilicet antea non credebant. Epocha enim est conversionis omnium Gentium. Has Truncus asperget Sanguine Domini nostri, pretio redemtionis; quod pretium ab ipso pro omnibus in cruce moriente persolutum, hoc tempore omnes prorsus Gentes congregat in *Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (1). Deinde *contra ipsum* Truncum *reges* qui, Antichristo duce, antea blasphemiis atrocissimis debacchabantur, *occludent os suum*, quo edicta legesque Antichristi contra Truncum, et mortuum in ipso Dominum crudelissime urgebant; jamque immanis illa terribilisque persequutio plane atque omnino cessabit; nemine in posterum de servandis illius Belluae legibus contra Christianam religionem audente quidquam dicere; quinetiam omnibus ubique gentium eam admirantibus, et brevi amplectentibus, sanctissimeque colentibus. Quam rem, praeter innumerabiles sacrarum Literarum locos, verba etiam quae continuo sequuntur, praeclare demonstrant.

Alter hic est hujus vaticinii locus, in quo bis est nomen *Chen Truncus*; qui mihi visus est, spero item ceteris, omnes difficultates et controversias depellere, quas huc permultas Enarratores attulerunt. His enim, ut ait in Synopsi Criticorum Polus, *difficilis satis locus est, et non parum controversus*. Ceterum nihil ego de sententiis Catholicorum hominum detractum velim, et suo quisque uti judicio poterit. Sed ne huc allatas controversias attingam, impediunt angustiae. Itaque satis erit, opinor, huc rationes afferre interpretationis nostrae,

x x

(1) Act. XX. 28.

ut ex propriis significationibus ductam esse intelligere omnes possint.

*Postquam* igitur diximus, ubi Septuaginta ὃν τρόπον, Vulgatus *sicut* posuerunt. In Textu vox est כַּאֲשֶׁר, quae haec quoque significat. Sed praeterea, inquit Montaldus, *ipsa dictio* אֲשֶׁר *saepissime particulas exprimit, ut adverbia temporis, videlicet*; cum, quando, postquam; *idque exprimit quandoque sine ullo praefixo* . . . . . . . *quandoque vero cum praefixo* כ *ut Gen. XII. 10. XVIII. 33. Exod. XVII. 11. Deuter. II. 16.* (1). Hoc loco est cum illo praefixo.

*Vastati fuerint*, Septuaginta ἐκστήσονται, *stupebunt*, Vulgatus *obstupuerunt*, Hebraice שָׁמְמוּ; de quo verbo Montaldus, שָׁמַם, *vastus fuit, vel factus est, desolatus, vastatus est, et active desolavit*: *Item metaphorice, quum ad animum refertur*, obstupuit, *quasi dicas, mente vastatus, et disturbatus est* (2).

*Propter te*, Septuaginta ἐπὶ σὲ, quod multas interpretationes patitur, atque in iis etiam *propter te*; Vulgatus *super te*: Hebraice עָלֶיךָ, quod item multas interpretationes habet, et in iis *propter te* quoque (3).

*Truncus*, Septuaginta et Vulgatus οὕτως, *sic*, adverbium esse existimantes; Hebraice כֵּן, *Chen*, nobis non adverbium, sed nomen, de quo jam pluries est dictum.

*Exitium* fuerit: in hebraico est תֹאַר quam vocem Septuaginta interpretantur ἀδοξήσει, Vulgatus eos sequutus, *inglorius erit*, quorum auctoritate liquet, ellipsin hic esse verbi substantivi. Vox enim hebraea nomen est; et Septuaginta verbum adhibuerunt; quod ellipsin supplet; quum ἀδοξήσει idem sit ac ἄδοξος ἔςαι, *inglorius erit*.

(1) Montal. pag. 75.
(2) Idem pag. 1686.
(3) Montald. pag. 965. seqq.

Punctorum auctores illam vocem pronunciandam esse מִשְׁחַת *mischath*, statuerunt; cujus significatio recentioribus hoc Isaiae loco permotis est *corruptus* (1). Rectene, an secus ea pronunciandi ratio constituta fuerit; non ausim dicere. Certum est eas ipsas literas pronunciari posse primo מַשְׁחִית, *maschith*, ut pluraliter extat in Genesi XIX. 13. atque ita significat *corrumpens*, *perdens*; et substantive *corruptio*, *perditio*, *internecio*, *exitium* (2). Secundo מֶשְׁחֶת, *mesècheth*; quae vox has ipsas habet postremas significationes (3). Tertio מָשְׁחָת, *moschat*, *corruptum*: item *corruptio*, *corruptela* (4). Itaque si punctorum auctores non admodum recte (quod non est insolens) pronunciandum esse *mischath* definierint, quaelibet e tribus aliis pronunciandi rationibus praeferatur, eidem certum est *exitii* significationem convenire, quam adhibuimus. Sed demus, recte definivisse. Ullane idcirco erit probabilis causa, cur *exitii* significatio voci *mischath* non conveniat? Nulla profecto erit. Nam cur reliquis conveniat tribus, ea causa est, quod a radice שָׁחַת oriuntur, cujus significatio est *corrupit*, *perdidit*, *peremit*, *interfecit* (5); a qua ipsa radice *mischàth* quoque originem habet suam; et ubi causa eadem est, iidem oriantur effectus oportet. Sive igitur recte, sive non item, prima illa pronunciandi ratio fuerit constituta; non est dubitandum, quin recta sit *exitii* significatio.

*Per quemlibet aspectu suo, formâque sua per filios hominum.* Ad vitandam ambiguitatem et obscuritatem, quae orta esset, si dixissemus *a quolibet aspectu suo, formâque sua a filiis hominum*, praepositionem *per* loco alterius *a* usurpavi-



(1) Montald. pag. 1617.
(2) Idem pag. 1614. et 1616.
(3) Idem pag. 1616.
(4) Idem ibid.
(5) Montald. pag. 1612.

mus; quod Latine licere, notum est. Ita sunt omnia clarissima. Docet enim Propheta, qua de causa Truncus exitio multis esse debeat, et a quibus hominibus exitium multis illis afferendum sit. Causa est aspectus Trunci, aut cujuslibet ejusdem formae apud Christianos deprehensae; quod argumento sit, ab iis non *imaginem Bestiae*, sed Jesu Christi imaginem adorari: homines a quibus exitium, sunt sceleratissimi quilibet antichristiani, quibus imago Bestiae loquens edixerat, *ut quicunque non adoraverit imaginem Bestiae occidatur*. Ex quo perspicuum est, sumenda vertendaque fuisse ablativo, non nominativo casu nomina illa *aspectu suo*, *formâque sua*, et pronomina suffixa referenda esse ad *Truncum*, non ad *Servum Dei*, vertendaque esse *suo*, et *sua*. Sunt igitur omnia clarissima; et, ni fallor, egregie depellunt omnes illas summas difficultates quas Interpretes et Enarratores deprehendebant; et oriri necesse erat. Loquitur enim Propheta de Trunco, de quo illi non loquebantur. Quid Judaei posthac facturi sint hoc loco, scire vehementer cupio.

*Per quemlibet . . . . . . per filios hominum*, hoc est per quemlibet filiorum hominum. Nam אִישׁ *vir*, *mas*, *maritus*: *distributive quisque*, *unusquisque*, *quilibet* significat (1): quo modo accipere hic oportet. Sic enim edictum postulat imaginis Bestiae.

*Truncus asperget*, Septuaginta οὕτω θαυμάσονται, *sic mirabuntur*; Vulgatus *Iste asperget*; Hebraice; כֵּן יַזֶּה; ubi nomen *Chen* est; quod quum nusquam alibi significet *iste*, Vulgatus hanc interpretationem duxisse videtur ab exemplari graeco, in quo pro οὕτως, *sic*, scriptum esset οὗτος, *iste*.

*Occludent*, Septuaginta, et Vulgatus συνέξουσι, *continebunt*, quod idem est. Est autem proprie קָפַץ *occlusit*, *obdi-*

(1) Montald. pag. 30.

*dit*, *contraxit*, *constrixit* (1). Praepositio autem עַל quam septuaginta ἐπ' αὐτῷ, Vulgatus *super ipsum* verterunt, multa significat, in quibus etiam *contra* (2).

His interpretationis ratio reddita sit.

*Nam hi quibus narratus non fuerat, viderint; qui vero non audiebant, consideraverint.*

Hi quibus Truncus narratus, hoc est praedicatus non fuerat e regibus et populis eorum temporum, eum in aethere cum veniente Domino viderint; hi vero quibus narratus quidem et praedicatus fuerat, sed fidem respuentes non audiebant, non attendebant, aspernabantur hujusmodi praedicationes, conspecto denique venientis Dei Trunco, consideraverint et quam male se gesserint, et quam vera, quam justa, quam sancta essent quae de Cruce praedicabantur. Itaque utrosque Truncus asperget, efficietque ut ad Christianam religionem studiosissime convolent.

Eadem est Septuaginta Vulgatique sententia; qui περὶ αὐτοῦ, *de eo*, quod non est in Textu, addiderunt.

(1) Montald. 1288. (2) Idem 965. seqq.

# DE CRUCE VATICINIUM VIII.

## PSALMUS XLVIII.

## In quo Crux ter nominata est.

### ARGUMENTUM.

1 Psalmi titulus apud Hebraeos his verbis descriptus est: *Canticum est Psalmus Filiorum Corae*: quo nomine appellari Hebraeos, quibus conversionis gratia temporibus Antichristi tribuitur, supra declaratum est (1). Hi toto hoc Psalmo loquentes inducuntur. Canunt enim Deo Dominoque nostro Jesu Christo epinicium ob relatam ab eo de Antichristo victoriam. Itaque Psalmus respicit proximum ipsum ab Antichristi excidio tempus, quum Hebraei (quotquot ab illo excidio supererant) praesentem adventu suo Dominum Jesum Christum jam viderant, agnoverant, susceperant, ac excisa propemodum a tyranno Christiana religio summa omnium gentium exsultatione et incredibili studio plausuque tam Hierosolymae, quam in tota Judaea, et ubique terrarum restituebatur.

2 Epinicii partes sunt tres. Prima summam suam declarant Hebraei laetitiam, quod Dominus Jesus et agnoscatur, et colatur, et summis laudibus Hierosolymae celebretur; totaque Judaea ob susceptam illius fidem et religionem gaudio sit universo terrarum orbi; et Hierosolyma ipsa urbs sit maximi hujus Regis regum, et Domini dominantum.

(1) Vatic. VI. in argum.

3 Altera parte victoriam narrant; cujus narrationis partes sunt duae. Nam primo paucis, sed graphice, describunt tum quid Antichristo conjunctisque cum ipso regibus acciderit statim atque Crucem venientis Domini conspexerunt, tum quomodo Antichristus et reges excisi fuerint: deinde ipsa eorum regum recitant verba, quibus conspecta Cruce, tandem sed sero intelligunt, verissima esse omnia quae Christiani de sua religione praedicabant. Nam sese, quemadmodum a Christianis futurum audierant, Crucem in triumphante venientis Dei ecclesia vidisse: illam Ecclesiam, contra atque sibi persuasissent (1), perpetuam et sempiternam a Deo fuisse constitutam: se in media ipsa militante Ecclesia religionem quam Deus ineffabili misericordia constituisset, exstirpare conatos esse: vere Jesum Christum esse Deum, eique Crucem ubique terrarum laudi fuisse, ac Christianam religionem ipsius manu fuisse constitutam. Haec Antichristum, et socios ipsius reges, quum perimebantur, aegre et invito animo confessos esse, ac more Daemonum credidisse atque contremuisse, Hebraei jam christiani hoc Psalmo commemorant.

4 Tertia denique parte Sionem omnesque Judaeae civitates ad laetandum quammaxime ob tantam victoriam invitant et excitant: has autem hortantur, ut monumenti tropaeique loco Sionem collatis viribus magnificentissime instaurent: quo monumento tropaeoque posteris in omne tempus constet, Jesum Christum esse Hebraeorum Deum perpetuum ac sempiternum, eundemque Hebraeis, et omnibus qui ipsi paruerint, esse totius salutis auctorem, datorem, ducem.

5 His in rebus versari Psalmum, qui nostram interpretationem legent, et cum Hebraico diligenter conferent, dubitare nullo modo poterunt. In hanc sententiam confluunt Patres,

(1) Vide de Apol. Cap. XVII. §. VIII.

qui, teste Calmeto, *de gentium vocatione, Jesu Christi ex errore et prophano cultu victoria, Ecclesiae christianae gloria, pulchritudine, ac virtute explicarunt* (1). At ceteras aliorum enarrationes, quas idem Calmetus commemorat, quorum *alii de Davide hostium insidiis liberato, atque pacatam imperii sui administrationem gerente; alii de Josaphato fusis Ammonitis, Moabitis, et Syris, qui versis in se armis mutuis vulneribus ceciderunt; alii de Achaz metu regum Syriae et Israelis soluto; quidam denique de Sennacheribi exercitu divinitus caeso interpretantur* (2); ipsamque Calmeti, et quorundam aliorum sententiam de Judaeis captivis Babylone reversis, de caede Cambysis, de secundi Templi, et veteris Hierosolymae laudibus, Truncus in Psalmo ter nominatus tam procul ab illius argumento repellit, quam mors Domini nostri in Cruce, et illius cum cruce magnificentissimus ad Antichristum interimendum adventus absunt a temporibus quibus illa omnia contigerunt. I nunc, atque has quas vocant *literales et historicas* recentiorum explicationes, ut minimum valde suspectas, admirator (3).

(1) Calmet. in argum. Psalm. XLVII.

(2) Calmet. ibidem.

(3) Vid. De Apol. Cap. XXV. §. 8.

# PSALMUS

## Hebraeis XLVIII. Latinis XLVII.

### *TITULUS.*

1 Canticum *est* Psalmus Filiorum Corae.

I.

2 Magnus *est* Dominus, et valde laudatus in Civitate Dei
nostri, Monte Sancto ejus! 3 Pulchra regio gaudium *est* uni-
versae terrae! Mons Sion, latera septemtrionalia, Urbs ma-
gni Regis *sunt*! 4 Deus in palatiis ejus agnoscitur Propu-
gnator.

II.

5 Nam ecce! Reges convenerant, una evanuerunt! 6 Ipsi
viderunt Truncum! mirati sunt, attoniti fuerunt, trepidarunt!
7 Tremor eos occupavit ibi, dolor ut parturientis! 8 Orien-
tali vento confracta est unaquaeque navium Tharsis! 9 Quemad-
modum audiveramus (*dixerunt*) Truncum vidimus in Civitate
Domini exercituum, in Civitate Dei nostri! Deus eam in per-
petuum constituit, in perpetuum constituit! 10 Excidere co-
nati sumus, Dee, misericordiam tuam in medio Templo tuo!
11 Vere nomen tuum Deus *est*, Truncus laus tua *est* circum
fines terrae, Justitia plena est dextera tua!

III.

12 Laetetur mons Sion, exsultent filiae Judae propter ju-
dicia tua! 13 Circumdate Sionem, et circumambite illam:

numerate turres illius, 14 apponite cor vestrum ad ejus propugnaculum, erigite illius palatia; ut enarretis aetati posterae, 15 hunc Deum *esse* Deum nostrum perpetuum ac sempiternum; ab ipso nos contra Mortem ducendos esse.

## DECLARATIONES.

1 *Canticum* est *Psalmus Filiorum Corae*.

Hoc titulo natura hujus Cantici declaratur. Nam, ut alibi dictum est, Psalmi nomine significatur lucubratio partem quandam continens eorum quae quis aut dixerit aut fecerit, aut aliquando dicturus facturusve sit (1). Quamobrem quum hoc Cantico describatur quid dicturi facturique sint Hebraei statim post Antichristum excisum, et susceptam ab ipsis Christianam religionem, titulo monstratum ac definitum est, Canticum esse Psalmum filiorum Corae, hoc est ἀποτομὴν, seu *praecisam quandam partem* eorum quae tunc dicent ac facient filii Corae: quo nomine appellari Hebraeos Antichristi temporibus convertendos, supra declaratum est.

Hunc titulum Septuaginta, et ab iis Vulgatus sic habent: *Psalmus cantici filiis Core secunda sabbati*. Quae postrema verba non sunt in Hebraeo, nec habet in sua versione Hieronymus. Ea nec apud Eusebium, nec apud Chrysostomum legi, Calmetus est auctor. Marinus ex aliqua traditione addita fuisse existimat. Ita significabunt secunda quaque hebdomadis die cantatum olim in Tabernaculo Temploque fuisse, quae nunc dominica dies dicitur; eaque traditio ab ipsa Davidis institutione, qui illi diei hunc Psalmum consignaverit, ducere ortum potuit. Quis Psalmi auctor sit, non est scriptum; sed Davidis esse stylus non leviter suadet.

(1) Vide de Apoc. XXV. §. 2. adnot. 7.

2 *Magnus est Dominus, et valde laudatus in Civitate Dei nostri, Monte Sancto ejus!*

Hoc est Hierosolymae. Hoc toto Psalmo diligenter observandum est, laudes concini Domini יהוה, qui antea Hierosolymae nec magnus habebatur, nec laudabatur; Domini qui Rex maximus est, sed cujus ad regnum Hierosolyma non pertinebat; Dei qui in palatiis Hierosolymae non agnoscebatur; contra quem reges convenerant, et ab eo deleti sunt; quo veniente ac ostendente Crucem, iidem reges mirati sunt, attoniti fuerunt, trepidarunt, contremuerunt, acerbissimo dolore correpti sunt; Domini exercituum, cujus in Civitate Crux conspicua est, quem hostes ipsi ejus infensissimi suum esse Deum inviti, admirabundi, trementes, tristes, attoniti coguntur confiteri; Dei qui Civitatem suam perpetuam ac sempiternam condidit; Dei cujus misericordiam reges in media ipsius Ecclesia exstirpare conati sunt; Dei qui vere, hostibus ipsis confitentibus, Dei nomen habet; cui Crux ubique terrarum est laudi, cujus manu ac potestate Christiana religio constituta est. Itaque primum peto ut Hebraei, ut Haeretici, ut Increduli, ut Infideles, re quaesita diligenter, et ad severissimas Criticae regulas agitata, dicant quid amplius velint quo statuere debeamus, hoc Psalmo qui permultis sine ullo dubio seculis ante ortum Christi editus est, vere, unice, proprie, ineluctabiliter laudes concini *Dei* et *Domini* Jesu Christi. Deinde ut summi isti nostrorum temporum Philosophi, seu potius φιλόμωροι explicent, atque nos doceant diligenter, et critice, quanam fieri ratione potuerit, ut Jesu Christi tam manifestae, tam ejus unius propriae, tam insignes, tam multae laudes tot ante seculis quam ortus est concinerentur, si quidem nec ipse Deus est, nec ullus est omnino Deus, aut siquis, is tamen qui aut nulla humanarum rerum cura tangatur, aut sit ipsa rerum universitas quae caeca et ineluctabili ducatur necessitate. Sed ego rem po-

stulo perdifficilem, aut potius desperatam, a Philosophis nostrorum temporum diligentiam et criticam. Itaque negabunt illi semper omnia, et more suo negabunt; quod est negligenter, temere, stulte, ridicule.

3 *Pulchra regio gaudium est universae terrae*!

Pulchra regio, scilicet Judaea, gaudium est universae terrae. Quamobrem? Quia incolae illius Hebraei (ante annos fere quingentos in eam restituti) nunc tandem delictum incredulitatis abjecerunt, et maximo terrarum orbis bono Christianam fidem amplexi sunt, juxta illud, *Quod si delictum illorum divitiae sunt Mundi, et diminutio eorum divitiae Gentium, quanto magis plenitudo eorum?* (1) Magnum hoc Gentium bonum, de quo Apostolus, ab Hebraeorum conversione oriturum causa est tanti terrarum orbis gaudii.

*Mons Sion, latera septemtrionalia, Urbs magni Regis sunt!*

Jesu Christi scilicet, Regis regum. Haec verba Hierosolymam a duabus praecipuis ipsius partibus describunt. Nam mons Sion ad meridiem, reliqua civitas ad septemtrionem posita erat, ut a Josepho, Nicephoro, et Itinerario Brocardi collegerunt eruditi; quem eundem situm habitura est, ut docet Zacharias (2), quum erit christiana. Itaque *latera septemtrionalia* reliquam urbem monstrant Hierosolymam, quae Sioni ad septemtrionem adjacebat.

Locus hic natura sua clarissimus est et simplicissimus; sed mirum est quantopere in eo laborarint Interpretes, quorum multiplices versiones in Synopsi Criticorum vide. Neglecta verbi substantivi ellipsis, et tenax constructi status vocis יְפֵה opinio tantam versionum, seu potius ambagum varietatem attu-

(1) Rom. XI. 12.

(2) Zach. XIV. 10. quem in Apol. vide Cap. XXII.

lerunt. Verbo substantivo suppleto, suoque naturali statu voci יְפֵה relicto, diffugiunt omnes ambages, et sententia exstat praeclarissima, mirificeque cum antecedentibus consequentibusque consentiens. Septuaginta pro *pulchra regio* dixerunt εὐῤῥίζων *bene radicans*, et juxta eos est *Magnus Dominus . . . bene radicans exsultatione universae terrae montes Sionis, latera aquilonis*. Vulgatus, *Fundatur*, et cetera, cujus versionis sensus ab Hebraico non differt; nisi quod in Hebraico clarior est, et ille sensum, non verba reddidit. Hieronymus transtulit *specioso germini*; sed et haec, et quae sequuntur, apud eum obscurissima sunt; cui tamen ab his ipsis verbis *specioso germini* manifestum est vocem נוף non esse habitam ut constructam: quo auctore idem mihi existimandum esse putavi.

4 *Deus in palatiis ejus agnoscitur Propugnator*.

Deus Jesus Christus, cui et dudum Hebraei omnem vim potestatemque mortuo negant, et Antichristus tam imbellem esse, ut ossa ipsa venientis sint dispergenda docturus est (1), agnoscitur solus esse Propugnator, solus *confugium pauperis* (2), solus *clypeus* (3), solus cui *data est omnis potestas in caelo, et in terra* (4). Haec omnia et Hebraei, et Increduli, et *flagitiose-stultus* (5) eorum coryphaeus et imperator Antichristus pervicacissime usque ad secundum Domini adventum negaturi sunt. Sed post illum adventum ipse Jesus noster et Hierosolymae totaque Judaea ab Hebraeis, et ubique terrarum ab omnibus Gentibus agnoscitur propugnator, defensor, tutela, praesidium, et quidem munitissimum atque tutissimum.

*Propugnator*, לְמִשְׂגָּב pro qua voce Septuaginta et Vulgatus posuerunt ὅταν ἀντιλαμβάνηται αὐτῆς, *quum suscipiet eam*,

(1) Psalm. LIII. 6. in Apoc. Cap. XVII.
(2) Psalm. XIV. 6. ibid. Cap. XVI.
(3) Psalm. LXXXIV. 10. 12. ibidem Cap. XVIII.
(4) Matth. XXVIII. 18.
(5) Psalm. LIII. loc. cit. Apoc.

Hieronymus *in auxiliando*, et alii aliter. Montaldus ad hanc vocem: מִשְׂגָּב inquit, *locus editus*, *sublimis*, *ac propterea tutus*: *Hinc munitio*, *arx edita*: *et adjective susceptor*, *auxiliator* (1).

5 *Nam ecce! Reges convenerant, una evanuerunt!*

Qui reges? Hi nimirum quos subditos Antichristus habiturus est, reges universae terrae. Nam postremum Romanorum imperium, quod e populari eorundem in omnes gentes dominatu in unius potestatem venturum est, terrarum orbem in decem sibi subjecta regna est divisurum. Sed Benedictus (id Antichristo nomen) imperii summa bis potiturus, futurusque Sextus et Octavus princeps, quo ipso die rerum summa iterum potitur, reges novos decem illis regnis destinat. De his Joannes: *Decem cornua quae vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem, tanquam Reges unam horam accipiunt cum Bestia* (2). Ubi *unam horam* sive, ut Vulgatus *una hora*, idem est atque *ad idem tempus*, sive *eodem tempore*. Nam regnum unius horae, quod aliqui existimarunt, ridiculum est, et vaticiniis plane contrarium. Eos reges, eorundemque populos, qua maxima fieri frequentia poterit, Benedictus in Judaeam cum ingenti exercitu proficiscens convocat *in praelium ad diem magnum omnipotentis Dei* Dominique nostri Jesu Christi, ut item Joannes docet. *Vidi de ore Draconis, et de ore Bestiae et de ore Pseudoprophetae spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus daemoniorum facientes signa, et procedunt ad Reges totius terrae congregare illos in praelium ad diem magnum omnipotentis Dei* (3): qui est dies venientis Domini nostri Jesu ad Antichristum, decem Reges, eorum exercitus et collectos populos

(1) Pag. 1541.
(2) Apoc. XVII. 12. e graeco.
(3) Apoc. XVI. 13. 14.

debellandos, excidendos, aeterna morte plectendos. Huc respiciunt haec Hebraeorum in hoc Psalmo verba: *Nam ecce! Reges convenerant, una evanuerunt!*

*Evanuerunt* עָבְרוּ, quod *verbum*, inquit, Montaldus, *ut habet Joannes Simon, metaphorice significat* evanuit, interiit, finitus est, *ut Genes. L. 4. Psalm. XVIII. 13. Psalm. CXLIV. 4.* (1).

6 *Ipsi viderunt Truncum! mirati sunt, attoniti fuerunt, trepidarunt!*

Ipsi Antichristus, decem Reges, eorum exercitus, et collecti populi viderunt splendentem et augustam venientis Domini nostri Jesu Christi crucem! Ea conspecta, mirati sunt, attoniti fuerunt, trepidarunt!

Primus hujus Psalmi locus ubi sacrosancta Crux nominata est, et ubi est nomen *Chen*, *Truncus*, quod hactenus omnes adverbio *sic* interpretati erant. Sententiarum distinctio hic et in sequentibus ea est quam Hebraeus textus, Septuaginta, et Hieronymus exhibent. Nam in Vulgato diversa est; qui praetermisit secundum e tribus illis verbis *mirati sunt, attoniti fuerunt, trepidarunt*.

7 *Tremor eos occupavit ibi, dolor ut parturientis.*

Davides his ipsis de rebus disserens, *Annon*, inquit, *agnoverunt* (venientem Jesum) *omnes operatores iniquitatis, devoratores populi mei? Voraverant Panem, Dominum non appellaverant! Ibi pavore trepidarunt* (2). Et alibi, *Annon agnoverunt operatores iniquitatis, devoratores Populi mei? Voraverant Panem, Deum non appellaverant! Ibi pavore trepidarunt! Non erat trepidandum* (ajebas Benedicte): *Nam Deus ossa dispergebat, aciem contra te ponens* (3).

(1) Montald. pag. 895.

(2) Psalm. XIV. 4. in Apol. Cap. XVI. Ibi utrumque vide.

(3) Psal. LIII. 5. 6. in Apol. Cap. XVII.

8 *Orientali vento confracta est unaquaeque navium Tharsis .*

Vento scilicet ac turbine procellosissimo permixtis grandine, igni, sulphure, quo quidquid est terra marique copiarum Antichristi ab ipso Jesu Christo evertitur, caeditur, deletur. Davides de hoc Antichristiani belli contra Jesum exitu loquens, *Pluet*, inquit, *super Improbos laqueis, igni, et sulphure, ac ventus procellosissimus pars erit poculi eorum* (1). Tanta vero Improborum caedes futura est, ut omnes aves advocandae sint caelitus ad voranda caesorum cadavera. *Vidi*, inquit Joannes, *unum Angelum stantem in Sole, et clamavit voce magna, dicens omnibus Avibus, quae volabant per medium caelum : Venite, et congregamini ad coenam magnam Dei : ut manducetis carnes Regum, et carnes Tribunorum, et carnes Fortium, et carnes equorum et Sedentium in ipsis, et carnes omnium Liberorum, et Servorum, et Pusillorum, et Magnorum. Et vidi Bestiam, et Reges terrae et exercitus eorum congregatos ad faciendum praelium cum illo* ( Jesu Cristo) *qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus* (2). *Et apprehensa est Bestia, et cum ea Pseudopropheta . . . . . Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Et ceteri occisi sunt in gladio Sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius : et omnes Aves saturatae sunt carnibus eorum* (3). Haec terrestri praelio, quo Reges evanuerunt.

Sed illo ipso *orientali vento confracta est unaquaeque navium Tharsis* : vento scilicet flante ab oriente, ad quam pla-

(1) Psalm. XI. 6. in Apol. Cap. XIX.

(2) Qui exercitus conflatus erit omnibus Angelis, omnibusque Sanctis qui tunc erunt in caeli beata sede. *Ac veniet Dominus Deus meus : Omnes Sancti tecum erunt! Erit autem illa die : Non erit lux splendorum, et condensationis. Sed erit dies una ( ea agnoscetur Domini! ) non dies, neque nox, sed lux ad tempus erit vespertinum.* Zachar. XIV. 5. etc. In Apolog. Cap. XXII. ubi vide.

(3) Apoc. XIX. 17. seqq.

gam Judaea mare mediterraneum habet, vehementissimo, praevalido, et ut ajunt Septuaginta *βιαίῳ*, *violento*, cui ars hominum nulla possit obsistere, ac certum et inevitabile naufragium, et interitum allaturo. Ad hunc locum haec inter cetera Polus ab eruditis affert. *Tharsis fuit urbs maritima in Cilicia, portu celeberrima, ut patet ex Ezech. XXVII. 25. Jonae I. 3., unde in Africam, Indiam, Ophir, etc. navigabatur: unde nomen Tharsis exhibitum primo illi mari, deinde et cuivis mari, et Oceano; unde et naves Tharsis synecdochice omnes alias naves significant* (1). Hoc itaque loco de innumerabilibus navibus sermo est, quae undique gentium in Judaeam partim appulerant, partim adhuc iter faciebant, advehebantque non modo milites, verum etiam utriusque sexus, et cujusvis aetatis mortales, magnitudine bonorum illectos quae Benedictus sui cultoribus pollicebatur, ingentibusque prodigiis confirmabat, sese statim, devicto perfacile ac e caelis ejecto Jesu Christo tributurum; quo ipse conscendens secum importaturus esset quotquot huic praelio interfuissent.

*Confracta est unaquaeque navium Tharsis*. Scriptio תשבר, cui punctis pronunciationem conjugationis activae Pihel tribuerunt תְּשַׁבֵּר, *thesabèr*, *confringes*, pronuncianda est juxta conjugationem passivam Niphal תִּשָּׁבֵר, *thisabèr*, *confringetur*, tertia persona singulari foeminea futuri; et syntaxis est distributiva; *confringetur naves*; qua loquendi ratione sciunt eruditi Hebraeos uti loco ejus quod aliae gentes dicimus, *confringetur unaquaeque navium*. Et quum hic de re jam confecta sermo sit (canitur enim, ut diximus, epinicium) idcirco futurum habet praeteriti significationem.

His ita explicatis, summae illae abeunt difficultates omnes,



(1) Synops. Critic. hic.

quae tantopere Interpretes, et Enarratores vexarunt; quas in Synopsi Criticorum vide.

9 *Quemadmodum audiveramus, Truncum vidimus in Civitate Domini exercituum, in Civitate Dei nostri! Deus eam in perpetuum constituit, in perpetuum constituit!*

Verba sunt regum mox periturorum, ut in argumento diximus; eaque pergunt usque ad duodecimum versum.

Quemadmodum a Christianis audieramus, Crucem veniente Domino Jesu conspiciendam in caelo esse, Crucem conspeximus in Civitate Domini exercituum, in Civitate illius Dei, qui vere, heu nimis! noster Deus est, non iste stultissimus a quo decepti sumus Benedictus.

Ea civitas est ipsa illa quae venientem Dominum comitatur, tota Ecclesia triumphans, quam conflant *exercitus qui sunt in caelo* (1), et Deus noster Jesus acquisivit sanguine suo; qui ob eam potissimum causam *Dominus exercituum* cognominatus est: Eam civitatem Benedictus docebat, miraculisque confirmabat (falsis illis quidem, sed iis quibus, si fieri posset, deciperentur etiam Electi) esse, devicto Jesu, disjectisque ipsis illius ossibus, in tartara proturbaturum esse; ac, conscenso caelo, novam ibi ac sempiternam conditurum, cui ipse praefuturus esset, conflatam daemonibus inique ac injuste damnatis, omnibusque hominibus qui ipsum ac daemonas coluissent. Flagitiosam impurissimi hominis stultitiam reges, eorum milites, et populi agnoscentes ab adventu Domini Jesu statim atque in eorum conspectum venit, incredibili animi dolore perculsi propter res suas jam profligatas et plane desperatas, caelestem illam Civitatem in perpetuum a Jesu constitutam esse aegre et iniquissimo animo confitentur.

(1) Apoc. XIX. 1.

Alter hic est Psalmi locus ubi *Truncus* est consueto illo nomine *Chen*, quod hic quoque adverbio *sic* hactenus sunt interpretati.

Vocum *in perpetuum constituit* repetitio est a verbo סֶלָה *selàh*; quod hic loci reperitur: quam vocem repetendorum quorundam verborum indicem esse, in libro de Apologia diximus; rem comprobaturi, si quando de Psalmorum titulis et vocibus extra numerum occurrentibus agere poterimus.

10 *Excidere conati sumus, Dee, misericordiam tuam in medio Templo tuo!*

Hoc est in media ipsa catholica Ecclesia tua militante. Uni enim Catholici sumus *Concives Sanctorum*, *Deique Familiares, inaedificati in fundamento Apostolorum et Prophetarum, existente summo angulari lapide ipso Jesu Christo, in quo totum Aedificium concordi aptaque ratione compositum crescit in Templum Sanctum in Domino* (1). In media igitur hac Ecclesia tua, et praesertim in ipsa urbe Roma, quam reges hac de causa incendimus et solo aequavimus (2), et ubi princeps erat ipsius Ecclesiae sedes (3), *excidere* ac radicitus evellere *conati sumus misericordiam tuam*, hoc est catholicam ipsam religionem complectentem omnem *scientiam salutis in remissionem peccatorum, quam tu, o Oriens ex alto, plebi tuae dedisti per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus adventu primo tuo nos visitasti* (4).

*Excidere conati sumus*. Septuaginta et Vulgatus ὑπελάβομεν, *suscepimus*; Chaldaeus, et Hieronymus *aestimavimus*; Marinus *imaginati sumus*; Pagninus *consideravimus*; Arias Mon-

Z z 2

(1) Ephes. II. 19. seqq. e graeco. Vide De Apol. XVII. §. 12.

(2) Apoc. XVII. 16. 17. 18.

(3) Mich. V. 3. in Apol. XIV. 10.

(4) B Luc. I. 77. seqq.

tanus *cogitavimus*; Syriaca, Muisius, Vatablus, Calmetus *expectavimus*, vel *speravimus*; Arabica *narravimus*; Houbigantius *mente reputavimus*; Gejerus *meditamur*; Ainswortus, *in quiete sive silentio cogitavimus*; Castalio *manemus quieti*; et alii fortasse aliter.

In tanta interpretationum varietate quamnam postulet argumentum Psalmi significationem, tam planum esse arbitror, quam quod maxime: nimirum illam quam Montaldus tertio loco his commemorat verbis. *Tertio* דָּמָה *significat* excisus, succisus fuit: *sic praeteritum* וְדָמִיתִי. Hosee IV. 5. *et exscindam*; *sed Septuaginta ibidem habent* καὶ ὡμοίωσα, assimilavi; *Vulgatus autem* tacere feci. *Niphal* נִדְמָה excisus est. Isai. XV. 1. Hosee X. 15. Soph. I. 11. *et foem.* נִדְמְתָה excisa est, Jerem. XLVII. 5., *cum* ה *paragogico*, נִדְמָתָה excisus est, Abd. I. 5. *in hunc sensum interpretanda quae apud* Isai. VI. 5. Hosee IV. 6. X. 7. Psalm XLIX. 13. 21. PIHEL *praeteritum* דִּמָּה exscindere conatus, excidium intendit (1), II. Sam. XXI. 5. Hucusque Montaldus (2).

11 *Vere nomen tuum Deus est, Truncus laus tua est circum fines terrae, Justitia plena est dextera tua!*

Reges hic tria confitentur: primum, vere Jesum Christum esse Deum; alterum, vere Crucem illi ubique gentium laudi fuisse ac esse; tertium, vere satam illius manu fuisse Christianam religionem; quae omnia reges, duce Benedicto, acerrime negaverant, negarique jubebant, capitali poena proposita in eos qui non negarent.

Ceterum nemo existimet, has confessiones et laudes cum vera poenitentia esse conjunctas. Quanquam enim vaticinia

(1) Hujus conjugationis est vox דִּמִּינוּ quae hoc loco est, prima pluralis praeteriti, ut adnotat Warsmuth: r. 34. m. II. 2. p. 141., ideoque vertenda *excidere conati sumus*.

(2) Montald. pag. 207.

essent e quibus constat, quosdam eorum qui in castris Antichristi erant, magna Dei miseratione praelio superfuisse, ac postea sanctissime vixisse; tamen hi paucissimi sunt, plurima vero et maxima pars eorum est qui in suo flagitiosissimo scelere perstiterunt.

Quorsum igitur, inquiet aliquis, ab hominibus inimicissimis et pertinacissimis hae confessiones et laudes? Nimirum quia praesens tota sua majestate ac gloria ille est, *quem Deus exaltavit, ille cui donavit nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (1); ille quem Deus *quum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei* (2); ille quem *et Daemones credunt, et contremiscunt* (3). Hisce de causis perditi illi homines qui cum Antichristo perituri sunt, et Antichristus ipse, etsi nullam veram poenitentiam habeant, tamen praesentem Jesum Deum esse confitentur, meritisque cumulant laudibus.

Tertius est Psalmi locus, ubi est nomen *Chen*, *Truncus*, quod hic quoque adverbio *sic* interpretati erant.

*Vere* quod a nobis dictum est, aliis *secundum*, apud Hebraeos est sola litera *Caph* praefixa כְּשָׁכָה, quae litera *est nota similitudinis*, sicut, tanquam, ut, quasi . . . . . *Item* juxta, secundum . . . . . *Tertio est particula non* similitudinis, *sed* veritatis, *idest significans rem ipsam*, ut כַּיּוֹם (jura mihi) sicut hodie, hoc est hodie, Gen. XXV. 33. (4). Quo tertio sensu respondet ei quod Itali dicimus *per l'appunto*; et exemplum quod Montaldus laudat, ab Italis optime verteretur, *Giu-*

(1) Philip. II. 19. seqq.
(2) Hebr. I. 6.
(3) Jac. II. 19.
(4) Montald. pag. 521.

*rami oggi per l' appunto*. Eodemque modo in Psalmo, *Per l' appunto il nome tuo è Dio*; quae est omnimoda de Jesu Christi divinitate confessio. De illa ipsa litera *Caph* Zanolinus inquit, *In principio quidem significat* sicut, quemadmodum, quodammodo, Gen. XIII. 10., vere, plane (1).

*Justitia plena est dextera tua.*

Christianam religionem appellari a Prophetis *Justitiam* et saepe diximus, et alias demonstratum est (2). Hoc sensu hic etiam adhibetur hoc nomen: et dum reges fatentur, dexteram Jesu plenam Christiana religione esse, id dicunt juxta illam ipsius parabolam, *Simile factum est regnum caelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo* (3). Dexteram enim boni seminis plenam hic homo haberet oportet quum seminabat: qui homo est ipse Jesus Christus instituens Ecclesiam suam. Itaque reges his verbis Christianam religionem et optimam esse, et ipsa Jesu Christi veri Dei dextera constitutam confitentur; quae antea pervicassime negabant.

Denique animanvertendum est, asseverationem illam *vere*, quae hujus versus initio est, ad haec tria quae reges confitentur, aeque pertinere.

12 *Laetetur mons Sion, exsultent filiae Judae propter judicia tua!*

Tertia Psalmi pars hinc incipit, quae quid contineat, in argumento dictum est. *Filiae Judae*, idest civitates Judaeae, ante annos fere quingentos a Judaeis in eam reversis restitutae. *Propter judicia tua*, scilicet propter tot tantasque res admirabiles, quas cum semper, tum hoc maxime tempore perfecisti. Septuaginta et Vulgatus addunt *Domine*, quod non est apud Hebraeos, perspicue autem intelligitur; et est ipse Dominus Jesus, quem alloquuntur Hebraei.

(1) Zanol. Lex. pag. 206.
(2) De Apolog. Cap. XI. §. 5.
(3) Matth. XIII. 24.

13 *Circumdate Sionem, et circumambite illam: numerate turres illius,*

Numerate turres circum illius moenia nunc erigendas, ut apto magnificoque surgant ordine, non fortuito, non barbaro, non incomposito.

Ante nomen *turres* nulla est in Hebraico praepositio. Verbum autem quod hic est, utramque habet *numerandi* et *narrandi* significationem (1). Hieronymus quoque vertit. *Numerate turres ejus.*

14 *apponite cor vestrum ad ejus propugnaculum, erigite illius palatia;*

Idest omni studio incumbite ad excitandum Sioni propugnaculum fortissimum, munitissimum, inexpugnabile.

Septuaginta *θέσθε τὰς καρδίας εἰς τὴν δύναμιν αὐτῆς*; *ponite corda vestra in virtutem*, seu *potentiam ejus*; Vulgatus *in virtute ejus*: Hieronymus *ponite cor vestrum in moenibus*; Marinus *ponite cor vestrum antemurali ejus*. Hebraeis חֵיל dicitur, *robur*, *virtus*, *vires*, *strenuitas*: *praemunitio*, *propugnaculum*, *antemurale*: *acies*, *exercitus*, *copiae*: *opes*, *facultates*, *opulentia* (2). Ex his quid series orationis potissimum postulet nunquid obscurum est?

*Erigite illius palatia*, Marinus *evehite palatia ejus*. Conjunctionem *et* Septuaginta et Vulgatus addiderunt, quae non est in Hebraico, nec apud Hieronymum; et oratio sine illa multo est incitatior.

*ut enarretis aetati posterae*, 15 *hunc Deum esse Deum nostrum perpetuum ac sempiternum; ab ipso nos contra Mortem ducendos esse.*

Ut quandocunque liberi posterique vestri haec tam magnifica opera contuentes sciscitabuntur, cujusnam rei gratia exci-

(1) Montald. pag. 879.    (2) Montald. pag. 308.

tata fuerint, iisdem enarretis, idcirco haec a nobis facta fuisse, ut ipsi quoque scirent et faterentur, hunc Deum Jesum Christum, quem nos tota sua majestate venientem vidimus, esse Deum nostrum perpetuum ac sempiternum, ipsum Deum patrum nostrorum Abrahami, Isaaci, Jacobi; quem perpetuo a nobis posterisque nostris colendum esse agnoscimus, fatemur, constituimus; *ab ipso nos posterosque nostros contra Mortem* secundam *esse ducendos*, hoc est a potestate Diaboli, et ex Inferni faucibus eripiendos.

Mihi quidem non videtur esse dubitandum, quin de *secunda Morte* hic sermo sit. De illa quater Joannes in Apocalypsi loquutus est, cujus testimonia huc operae pretium est afferre, ut suam habeat hic locus lucem, quam hactenus frustra desideravit. *Ego* (Jesus est qui loquitur) *sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis. Qui vicerit, possidebit haec, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. Timidis autem, et Incredulis, et exsecratis et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus; pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure; quod est Mors secunda* (1). Hebraeorum, quoadusque *Increduli* erant, *pars erat in stagno ardenti igne et sulphure; quod est Mors secunda*. Sed nunc a veniente Domino *Fide* donantur, et deinceps donabuntur eorum liberi posterique, in qua *Fide* arma sunt quibus vincitur *Mors secunda*. Ipse igitur Dominus, concessa fide, delet eam partem quam in morte secunda habebant, eosque *contra illam Mortem ducit* armis instructos quibus *eam expugnent*. Quidquamne potest esse aut verius, aut aptius, et cum toto reliquo Psalmo magis consentiens, connexum, colligatum?

Reliqua Joannis testimonia hoc ipsum confirmant. *Judi-*

(1) Apoc. XXI. 6. seqq.

*catum est*, inquit, *de singulis secundum opera ipsorum. Et Infernus, et Mors missi sunt in stagnum ignis. Haec est Mors secunda* (1). Et alibi: *Beatus et Sanctus qui habet partem in ressurrectione prima: in his secunda Mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei et Christi* (2). Denique, *Qui vicerit, non laedetur a Morte secunda* (3). De hac igitur Morte loquuntur in Psalmo Hebraei jam christiani, nempe sese a Jesu Christo contra Mortem secundam duci, ducendosque ipsorum posteros esse: quod ipsum Christiani omnes confitemur et credimus, Jesum scilicet nostrum contra illam Mortem unicum nobis ducem et imperatorem esse; ab eoque omnibus qui ei paruerint tribui ut vincant, ut non laedantur a Morte secunda, ut pars eorum non sit in stagno ardenti igne et sulphure, ut non mittantur in stagnum ignis: quod est firmissime confiteri, Jesum totius salutis auctorem, ducem, datorem esse. Nonne igitur oportet Hebraeos christianos effectos haec ipsa confiteri quae Christiani confitemur?

Hebraice *contra mortem* est על־מות, *hal muth*; quae Septuaginta et Vulgatus interpretantur εἰς τοὺς αἰῶνας, *in secula*. De duabus his vocibus, quarum prima est praepositio multa quidem, sed etiam *contra* significans (4), altera nomen significans *mortem*, Calmetus, nescio quo jure, unicam esse vocem pronuncians, haec ait: *At vox quae subditur, atque a Vulgata redditur* in secula, *crucem interpretibus figit* (5). Ita interpretes qui ter nominatam veram Crucem praetervecti sunt, haeserunt in cruce, quam sibi pepererunt. Reipsa, illis relictis, qui torquentes immutantesque verba verterunt *in abscon-*

aaa

(1) Apoc. XX. 13.
(2) Ibidem XX. 6.
(3) Ibidem II. 11.
(4) Montald. pag. 966.
(5) Calm. in hunc loc.

*dito*, *secundnm pueritiam*, Hieronymus, et Marinus habent *super morte*; Pagninus, Munsterus, Tigurina, Junius et Tremellius, Piscator, Ainsworthus, Hammondus, *usque ad mortem*; Arias Montanus *super mortem*; Syriaca, Ludovicus Dius, Coccejus *suprà mortem*; Castalio *perpetuo*. Houbigantius *in tempus perpetuum*. Sed Calmetus duo praeterea pronunciavit, quae ab omni ratione prorsus abhorrent: primum, duo illa verba *hal muth* titulo Psalmi qui sequitur jungenda esse. Huic rei obstinatissime obsistunt tum syntaxis, tum sententia. Alterum, *saltem certissimum esse*, *postrema haec verba otiosa in hoc Psalmo esse*. Profectò mira est hominis sagacitas, otiosum esse pronunciantis in iis Libris verbum, in quibus ne *iota* quidem *unum*, aut *unus apex* otiosus est. Quod si otiosum esse illud verbum, certissimum erat, quorsum interpretes eam crucem sustollebant, quam ab hoc loco iis fixam esse Calmetus ipse paulo ante querebatur?

Potremo animadvertendum est, nos totum hunc versum ad latinam consuetudinem transtulisse. Nam כִּי hoc loco idem est ac Italorum *che*. Ultima praeterea verba ad fugiendam ambiguitatem ex activis passiva effecta sunt.

---

# DE CRUCE VATICINIUM IX.

## PSALMUS CXXVII.

### In quo Crux semel nominata est.

### ARGUMENTUM.

Psalmo summa celebrantur beneficia divinitus Ecclesiae collata quo tempore saeviebat Antichristus. Nam Ecclesiae post Antichristum instaurationem, ejusdemque, regnante illa bellua, tutelam, opus esse solius Dei, non cujuslibet hominum, non ipsorum Ecclesiae Custodum. Hos sperare nullo modo potuisse, sese tam cito surrecturos de statu in quo erant postquam regnarunt Destructores voratoresque Eucharistici Panis, Idola; nempe hi qui sibi eo tempore divinos arrogarunt honores, Diabolus, et Antichristus. Crucem, nisi Dominus ipse Ecclesiam suam tutatus esset, omnino interitum allaturam fuisse Dilecto Domini Jesu Christo, ipsius scilicet corpori, quod est Ecclesia. Patrocinii tam insignis, tam omnes vires humanas superantis argumentum etiam esse praeclarum admirabilem gratiam filiis tributam eorum qui cum Antichristo excussi et excisi sunt. Eos enim non modo ad Ecclesiam Dei convolasse, verum etiam esse mercedes Filii Dei Jesu Christi ab ipso promeritas elocatione operae quam in Patris vineam, Ecclesiam ipsam, contulit. Nam eorum praedicationibus ita prosterni quotquot adhuc Christianae adversantur religioni, ut sagittis strenui fortissimique viri prosternuntur hostes in bello; jam-

que beatum haberi unumquemque Virum qui domum suam plenam habeat filiis eorum qui cum Antichristo excussi fuerunt; quippe quos in disceptationibus de Religione, vincere possit hostium nemo. Id Psalmi argumentum est: vaticinium autem pertinet ad proximum ab Antichristi excidio tempus.

# PSALMUS.

## HEBRAEIS CXXVII. LATINIS CXXVI.

### *TITULUS.*

1 Canticum Ascensuum. Salomonis.

Nisi Dominus instauraturus fuisset Domum, frustra laborarent Instauratores illius in eam: nisi Dominus custodisset Civitatem, frustra vigilaret Custos. 2 Frustraneum *esset* vobis matutinos surgere, postquam sederunt Voratores Panis, Idola! Truncus dedisset Dilecto illius somnum! 3 Ecce! haereditas Domini *sunt* filii, merces *est* fructus ventris! 4 Ut sagittae in manu fortis viri, sic *sunt* filii eorum qui excussi sunt. 5 Beatus fortis Vir qui pharetram suam illis plenam habet! non confunduntur quando alloquuntur inimicos in porta.

### DECLARATIONES.

1 *Canticum ascensuum.*

Ita quoque interpretatus est Theodotion, eodemque sensu Aquila, et Symmachus (1). Sunt autem inscripti hoc modo Psalmi quindecim, qui vulgo *Graduales* nominantur, de qui-

(1) Calmet. in arg. Psalm. CXIX.

bus infinita est in Scriptoribus varietas sententiarum. In eam provinciam ingredi non est hujus loci, quae inibitur, siquando dicere de Psalmorum titulis poterimus. Tunc autem ostendere nitemur, eos Psalmos conscriptos esse ut usurpentur occasione *ascensuum* sive itinerum ab iis qui post Antichristum religionis ergo Hierosolymam quotannis ab unaquaque terrarum orbis gente legati mittentur. Nam hujusmodi legatos eo quotannis mittendos esse, Prophetae docent. Hebraeis *ascendere* idem esse ac ire, venire, iter facere, proficisci, e Scripturarum obviis quamplurimis locis notissimum est. Hinc Psalmi ab iis usurpandi qui Hierosolymam legati religionis ergo quotannis, ut diximus, iter facturi sunt, vel ut Hebraei loquuntur, *ascensuri sunt*, *Cantica ascensuum*, hoc est itinerum appellantur. In his Psalmis qui loquuntur, illi ipsi legati sunt. Alloquuntur autem aut Sacerdotes, aut Populum (quorum etiam responsa interdum continent) ejus temporis, quo Hierosolyma Christiana est. Hoc Psalmo ad Sacerdotes sermo est. Haec nunc indicasse sufficiat.

*Salomonis*. Hic Psalmi auctor est: qua de re peculiaribus animadversionibus post has declarationes disseremus.

*Nisi Dominus instauraturus fuisset Domum, frustra laborarent Instauratores illius in eam: nisi Dominus custodivisset Civitatem, frustra vigilaret Custos.*

Laudant quidem legati labores atque vigilias quas Sacerdotes ad instaurandam custodiendamque Ecclesiam conferunt (Sacerdotes hic uno dicimus nomine omnes ecclesiasticos viros, ducto initio a Pontifice maximo, qui hoc Psalmo dicitur *Civitatis*, hoc est Ecclesiae, *Custos*) sed futurum fuisse ut eorum laboribus vigiliisque nihil efficeretur, verissime profitentur, nisi Dominus ipse Ecclesiam instaurare ac custodire statuisset.

Domum ac Civitatem, de qua hic agitur, non esse quam-

libet domum aut civitatem, nec vetus illud Salomonis Templum, veteremque urbem Hierosolymam, sed esse ipsam Dei christianam Ecclesiam, complura demonstrant. Est enim domus et civitas cujus peculiarem curam Dominus habet: domus et civitas quam *Voratores Panis*, *Idola*, scilicet Antichristus et Draco, eorumque socii atque cultores evertere funditus constituerant: domus et civitas cui *Truncus* ob sceleratum hostium ipsius odium interitum attulisset, nisi eam Dominus custodivisset: domus et civitas quae est *haereditas Domini*, quae est a Domino *mercedis* jure acquisita: domus et civitas pro qua tuenda et amplificanda jam pugnant ipsi filii eorum qui eam funditus perdere voluerunt; pugnant autem non armis, sed verbis, alloquendo inimicos, eosque hac ratione vincendo. Haec sine dubio unius Ecclesiae Dei sunt propria.

Hinc quum בָּנָה non solum *aedificavit*, sed etiam *instauravit* significet (1), hac usi significatione sumus, quia post Antichristum permagna quidem instauratione egebit Ecclesia christiana, verum aedificata jamdudum antea fuerat. Praeterea voces omnes verborum aoristas esse apud Hebraeos, atque a sententiis earumque nexu et contextu hanc potius quam illam habere significationem, et alibi dictum est, et eruditi sciunt.

2 *Frustraneum* esset *vobis matutinos surgere, postquam sederunt Voratores Panis, Idola!*

Idest nullo modo vobis accidere potuisset, ut cito surgeretis de statu in quo eratis; frustraneum fuisset vobis id sperare futurum, *postquam sederunt* in Templo Dei *Voratores Panis*, *Idola*.

Quaenam sint haec *Idola*, facile liquet. Nam de Antichristo scriptum est, *Homo peccati*, *Filius perditionis*, *qui*

(1) Montal. pag. 113.

*adversatur supra omne quod dicitur Deus*, *aut quod colitur*: *ita ut in Templo Dei sedeat*, *ostendens se tanquam sit Deus* (1). Quae quidem non simplex ostensio est, etsi haec quoque sola gravissimum scelus esset, verum conjunctam habebit legibusque praeceptam adorationem. *Vidi aliam Bestiam ascendentem de terra* (pseudoprophetam Antichristi, hoc est summum superstitionis ab eo imperatae pontificem) *et habebat cornua duo similia Agni*, *et loquebatur sicut Draco* (2). *Et potestatem prioris Bestiae* (Antichristi) *faciebat in conspectu ejus*: *et facit* Terram, et Habitantes in ea adorare Bestiam primam, *cujus curata est plaga mortis* . . . . . *Et datum est illi* (Pseudoprophetae) *ut daret spiritum imagini Bestiae*, *et ut loquatur imago Bestiae*, *et faciat*, *ut Quicunque non adoraverint imaginem Bestiae*, *occidantur* (3). Et alibi, *Admirata est universa Terra post Bestiam*, *et adoraverunt Draconem*, *qui dedit potestatem Bestiae*, *et adoraverunt Bestiam* (4). Ex his, quum multa praeterea proferri possent, maxime perspicuum est, turpissimam et flagitiosissimam ab Antichristo afferendam esse idololatriam, cujus idola futura sunt Diabolus draconis specie, Antichristus ipse, ac illius imagines. Planissimum ergo est quid illa sibi verba velint, *postquam sederunt Idola*.

*Voratores* autem *Panis* esse item Antichristum ipsum, omnesque illius idololatriae adjutores atque cultores, illi facile intelligent qui duos Davidis Psalmos invisent de Antichristi, et illius sociorum sceleribus, a nobis alibi explicatos (5). Nam in illis Psalmis praeclarissima duo esse vaticinia ostensum est, alterum de *Pane* appellando proprio Dei nomine יהוה *Do-*

(1) II. Thess. II. 3. 4.

(2) Qui est Diabolus, et Satanas, ut est Apoc. XX. 2.

(3) Apoc. XIII. 11. seqq.

(4) Ibid. 3. 4.

(5) De Apolog. Cath. relig. Capp. XVI. et XVII.

*mino*; alterum de *Pane* appellando nomine *Deo* et *Homini* apud Hebraeos communi: qui sine dubio est sacrosanctus Eucharistiae Panis. Quemnam enim alium panem vere, juste, sancte his tremendis nominibus appellare Prophetae potuerunt?

De hoc ipso *Pane* hic sermo est: et *Voratores Panis* sunt Diabolus, Antichristus, eorum adjutores atque cultores. Non quod isti sacrosanctum et augustum illum Panem pure aut sancte aliquo modo esuri sint; sed quia illum quovis scelere et flagitio, ubicunque nacti erunt, perdituri sint, corrupturi, pessumdaturi, ut ad eos Psalmos declaratum est. Itaque phrasis eadem hic est atque in illis. Ibi enim primum dicitur, *Annon agnoverunt* (venientem Jesum) *omnes Operatores iniquitatis*, *Devoratores Populi mei* (christiani)? *Voraverant Panem*, *Dominum non appellaverant*! Deinde, *Annon agnoverunt Operatores iniquitatis*, *Devoratores Populi mei*! *Voraverant Panem*, *Deum non appellaverant*! Sunt igitur *Voratores Panis* illi ipsi *operatores iniquitatis*, *devoratores Populi christiani*, Antichristus, illius socii, adjutores, cultores, Diabolo duce.

*Truncus dedisset Dilecto illius somnum!*

Hoc est interitum attulisset Dilecto Domini, Filio ipsi Dei, *accipienti a Deo Patre honorem et gloriam*, *voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria*: *Hic est Filius meus dilectus*, *in quo mihi complacui*, *ipsum audite* (1). Sed enim *scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, *mors illi ultra non dominabitur* (2), haec non de corpore Christi proprio, sed de ipsa illius Ecclesia dicta esse fateamur necesse est. *Ipsum* enim Deus *dedit caput supra omnem Ecclesiam*, *quae est corpus ipsius* (3). Sine dubio autem corpus Christi, quod est Ecclesia, penitus interiret, si *scientia salutis*

(1) II. Petr. I. 17.
(2) Rom. VI. 9.
(3) Ephes. I. 22.

de universo terrarum orbe aliquando ita expelleretur, ut salvus fieret nemo, quia nemo esset qui pareret, aut ullo modo illum sequeretur. At id temporibus accideret Antichristi, nisi Dominus breviando illa tempora Ecclesiam suam custodiret. Nam *nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro* (1). Quae est ipsa hujus loci sententia, *Nisi Dominus custodivisset Civitatem, Truncus dedisset Dilecto illius somnum*. Truncus scilicet propter immane atque implacabile odium Christi, quod in teterrimis, et flagitiosissimis Antichristi et sociorum animis a Diabolo excitatum erat, vitam corpori Christi mystico ita eripuisset; quemadmodum olim vero ipsius corpori propter simile odium eripuit. Mortem appellare *somnum* moris est notissimi Scripturarum.

Est hic locus ubi nomen est *Chen*, *Truncus*; quae vox bis in hoc Psalmo invenitur; hic ut nomen, infra ut adverbium, *sic sunt filii eorum qui excussi sunt*.

Sed de tota hujus versus interpretatione paucis, quantum fieri poterit, dicendum est. Vix enim alius est locus in quem Interpretes aeque sudaverint, etsi ubi ad eum Crucem attuleris, quod nemo hactenus fecerat, natura sua planissimus sit atque pulcherrimus.

*Frustraneum* esset *vobis*, שָׁוְא לָכֶם. שָׁוְא. et nomen est, *vanitas*, *vanum*; et adverbialiter usurpatur, *frustra*, *in vanum* (2). Hic nomen potius est, *Vanitas esset vobis*, idest res quae locum non haberet, utpote quam sperare vanum vobis fuisset, id scilicet facere quod facitis, nempe *matutinos surgere*. Ubi quum pateat, verbum substantivum supplendum esse, tamen praesenti tempore supplevisse, quammaximae obscuritatis causa fuit. Sermo autem et est figuratus, quo modo



(1) Matth. XXIV. 22.

(2) Montald. 1553.

Hebraei *mane* pro *cito* usurpant; et est non de surgendo e lectulo, sed de surgendo e summae depressionis statu, in quem Antichristus conjecerat Ecclesiam.

*Matutinos surgere* latine dicimus quod Hebraei suo more dicunt, esse *matutinos surgendi*, seu *surrectionis*.

Quod apud Septuaginta sequitur ἐγείρεσθε, *excitamini*, et apud Vulgatum *surgite*, in Hebraeo nullo modo est, nec habet Hieronymus, nec Interpretum quisquam qui post eum floruerunt.

Sed ex illo Septuaginta Interpretum additamento effectum est, ut *Voratores panis* vocativo casu acciperentur, quasi Psalmi auctor *cum illis*, non *de illis* loqueretur. Spississimae inde ortae sunt tenebrae, in quas omnes Interpretes incurrerunt; qui phrasin hebraicam *de-postquam sedere Voratores panis* (*sedere* voce infinitivi modi) aptantes ad vocativum illum casum, exposuerunt per secundam personam ejus temporis quod cuique magis arrisit; quod tempus Vulgato Hieronymoque fuit *postquam sederitis*, o voratores panis. At enim quum sermo *de istis*, non *cum istis* sit; hi non vocativo, sed nominativo casu accipiendi erant: ad quos quum aptare oporteat infinitivam illam Hebreorum phrasin *de-postquam sedere*, necessario dicendum erat *postquam sederunt Voratores Panis*.

*Idola*, quae vox declarat, quinam sint hi *Voratores Panis*, de quibus hic agitur, ostenditque illos ipsos esse qui in binis supra laudatis Psalmis nominantur, in Textu dicuntur העצבים cum articulo praepositivo, ut graece τὰ εἴδωλα diceremus. Plurale nomen est, cujus singulare est עצב *hatzab*, de qua voce sic Montaldus: *Hatzab* terriculum, sculptile, idolum, simulacrum; *sic dictum, ut quibusdam videtur, quod dolorem potius* et terrorem affert *conscientiis*, *quam levamen* (1). Sed

(1) Pag. 1004.

quum illa ipsa scriptura עצבים sit etiam plurale nomen a singulari עֶצֶב *hetzeb*, *dolor*; hinc orta est illa fere omnium interpretatio, *qui manducatis panem doloris*, aut *dolorum*. Fere omnium dixi: nam, ut est apud Calmetum, Theodoretus, et Quinta Editio verterunt ἄρτον εἰδώλων, *panem idolorum*.

Hae tum multae fuerunt, tum magnae obscuritatis in versionibus causae. At quum ad vocem illam *Chen* ventum est, multo major nata est obscuritas. Eam hoc loco nomen esse, nemo ne suspicatus quidem est; multoque minus a quopiam est de *Trunci* significatione cogitatum. Septuaginta hoc tantum loco illam interpretati sunt *quum*, *quando*. Abrahamus Trommius, qui significationes omnes huic voci a Septuaginta, ut ceteris, tributas colligere voluit, hanc omisit. Apud eundem nemo est veterum graecorum Interpretum, qui *Chen* eodem modo *quum* interpretatus sit: ne apud Polum quidem. Uni Hammondo illud *quum* placuit: ceteris fere omnibus *sic* arrisit. Tigurina versio *adeo* interpretatur. Piscator, et Ludovicus Dius *sane*, *certe*: alii vocem ipsam *Chen* nihili faciunt, et omittunt: alii *bene*, *recte* interpretantur, Houbigantius *veruntamen*; ast adnotat, *sed nos interpretati sumus* veruntamen Dominus, *ut cursum qualemcunque haberet nostra latina oratio*. Nam is quoque quum quo se verteret nesciret, ut ad tam densas tenebras versionum lucem aliquam afferret; tandem, desperata luce, suam illam panaceam attulit, mendum loco inesse clamitans, et mendum ejusmodi, ut integrum membrum desit: quo nihil est a veritate alienius.

Alia, nec levis causa obscuritatis fuit לידידו, *lididò*, *Dilecto illius*, vertisse plurali numero, quasi scriptum esset לידידיו, *lididàv*, *dilectis suis*, aut *illius*.

Hisce de causis versiones habemus hujus loci obscurissimas, quum ipse praeclarissimus sit: ad quas causas accessit etiam sententiarum, ut cuique placuit, diversa distinctio. Se-

ptuaginta illam ipsam habent, quae vel hodie in Hebraeis est libris, et nostra est: *In vanum vobis est diluculo surgere: excitamini postquam sederitis, qui editis panem doloris, quando dederit dilectis suis somnum*. Quae quum satis obscuram, et fortasse nemini assequendam habeant sententiam; Hieronymus, dum Psalterium latinum fidei graecae restituit, eos in verbis sequutus est, in sententia ab illis discessit: *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Quum dederit dilectis suis somnum: ecce haereditas*, et cetera. Sed ipse Hieronymus quum ab Hebraico interpretatus est, aliam inivit viam. *Frustra vobis est de mane surgere: postquam sederitis, qui manducatis panem dolorum: sic dabit diligentibus se somnum*. Quae sententiae usque adeo disjunctae obscuraeque sunt, ut satis mirandum sit, siquis intelligat quid dicant.

In recentioribus obscurissimus est hoc loco Marcus Marinus: *Vanum vobis o praevenientes surgere, retardantes sedere, edentes panis dolorum. Sic dabit dilecto suo somnum*. Quis intelligat unde illud *sic* erumpat? Qui vero lucem omnium ingratiis voluerunt, hi sententias suas, non Psalmi conscripsere, novasque lucubrationes confecerunt, non veteres interpretati sunt. In his sunt Houbigantius, et Pastores Professoresque Genevenses. Houbigantius, *supervacaneum*, inquit, *vobis est, quod summo mane surgitis, quod sero decumbitis, edentes panem laboriosum; veruntamen Dominus dabit dilecto suo somnum*. Quae sententia hoc est inconsequentior, quia dilectum istum Houbigantius esse Salomonem putat. Nam regi, et regi opulentissimo tribui sine suo labore somnum, quietem, tranquillitatem, omnesque commoditates vitae, nihil mirandum est. Illud mirari maxime oportet, quomodo venire in mentem Houbigantio potuerit, ut ex ea re persuadere sibi debuerint pauperrimi homines *edentes panem laboriosum*, supervacaneum

ipsis esse quod summo mane surgunt, quod sero decumbunt, quum vel hac ratione vix sibi panem comparent. Nunquid Salomon, qui pro parando sibi pane nihil tale faciebat, iis imitandus erit? Idne Psalmus suadeat, ut in ratione comparandi victus homines miserrimi regem ditissimum aemulentur? Humana haec sunt, non divina consilia; aut ne humana quidem, quippe quae abhorreant ab omni ratione sensuque communi. Ita lux quaesita est, ratio profligata, quod est tenebras tenebris addidisse. Pastores Professoresque Genevenses gallice in hunc sensum interpretati sunt: *Supervacaneum est, quod diluculo surgitis; quod sero dormitum itis, et quod panem doloris editis, Deus solus requiem ei quem diligit, tribuit* (1). Ullumne hic est Hebraei textus vestigium? Aut ubinam gentium inveniemus hominem, qui quum nullum alium habeat nisi *doloris panem*, hoc est molesto assiduo diutinoque suo labore quaesitum, credere debeat, supervacaneum esse quod illum edat? Idne sacri doceant Libri? Quae si tam absona sunt, ut omnis ratio refugiat, et si nihil tam est tenebrosum, quam quod ratione caret; fateamur necesse est, hos qui lucem omnino afferre voluerunt, sese in tenebras majores altioresque conjecisse.

Ex his constare potest, quam alte hoc loco Crux defossa sit, quae pulcherrimo suo prodiens splendore has omnes tum veterum, tum recentiorum tenebras dispellit, et Antichristiana ostendens tempora ipsam affert adamussim textus Hebraei sententiam, *Nisi Dominus custodivisset Civitatem*, Ecclesiam, *frustra vigilaret Custos*, Pontifex summus illius instaurator: *Frustraneum esset vobis*, reliqui instauratores, *matutinos surgere, postquam se-*

(1) C'est en vain que vous vous levez matin, que vous vous couchez tard, et que vous mangez le pain de douleur, Dieu seul donne du repos à celui qu'il aime.

*derunt Voratores Panis*, *Idola*! *Truncus dedisset Dilecto illius somnum*!

3 *Ecce*! *haereditas Domini* sunt *filii*, *merces* est *fructus ventris*!

Ecce! grandi illo miraculo, quod olim filiis Corae accidit, Filii eorum qui a veniente Domino Jesu excussi cum Antichristo sunt, fructus ventris eorum (sic etiam appellantur ab Hebraeis filii) sunt *haereditas* et *merces Domini*: hoc est non modo ad Ecclesiam Domini nunc pertinent, quam patres eorum penitus excisam voluerunt; verum etiam permulti eorum sunt Κλῆρος *Clerus*, peculiaris et praecipua Domini in ipsa Ecclesia haereditas. Neque id satis est, sed sunt etiam μισθὸς, *merces* Domini, hoc est ex eorum numero, quos Pater praecipuo quodam modo Filio suo dedit, ut Apostolos; et quos mirum in modum ex infensissimis Evangelii hostibus flagrantissimos fecit illius praecones, ut Paulum. Hi *merces Domini* Jesu Christi dicuntur, quia de viris hujusmodi praecipue dictum est illud, *Pro Trunco impertiar illi* (Christo) *multos*, *et Fortium dividet spolium*; *propterea quod effuderit in mortem animam suam*, *et cum praevaricatoribus annumeratus fuerit*, *ipseque peccatum multorum assumserit*, *ac pro praevaricatoribus intercesserit* (1). Quod enim alicui datur ob exantlatos ab ipso labores *merces* dicitur. Hunc Psalmi locum velim diligenter animadverti. Sunt enim ab illius argumento prorsus aliena quae de procreatione liberorum Calmetus, aliique huc importarunt, et Rabbinicam scurrilitatem, ut etiam Genebrardus subodoratus est, plurimum olent.

4 *Ut sagittae in manu fortis viri*; *sic* sunt *filii eorum qui excussi sunt*.

Filios eorum qui a veniente Domino excussi sunt cum

(1) Is. LII. 12.

Antichristo, et qui jam *clerus* et *merces Domini* sunt (nam ab initio superioris versus ad finem usque Psalmi continenter est de illis sermo) Legati comparant sagittis quibus fortis miles instructus in bello sit. Simili modo loquutus est Salomon in Psalmo quem declaravimus XLV. *Acutae tui sagittae Populi sunt subtus te stantes: irruant in cor inimicorum Regis.* Cujus quidem comparationis vim is plane intelliget qui Apostolorum praedicationes, earumque admirabiles successus prae oculis habuerit. Nam rem similem, atque adeo uberiore cum fructu facturos esse post Antichristum eos qui ab ipsis infensissimis Christianae religionis hostibus progeniti fuerint, testis est locupletissimus Michaeas de Hebraeis disserens illorum temporum. *Erunt autem*, inquit, *reliquiae Jacobi in medio Populorum multorum tanquam ros a Domino, tanquam stillae pluviae super herbam quae non expectet virum, neque desideret filios hominum. Imo erunt reliquiae Jacobi in Gentibus, in media Populorum multorum, tanquam leo inter silvestres belluas, tanquam leo juvenis in gregibus ovium; qui si transierit, depraedatusque fuerit, jam nemo qui eripiat erit. Manum tuam*, Judaee, *contra hostes tuos attolles, et omnes inimici excidentur tui* (1).

Quo loco animadvertere oportet, Legatos de his ipsis Hebraeis loqui, qui post excisum Antichristum sese in omnes Gentes ad praedicandum Jesum effuderant, quique sunt *circum tabernacula Pastorum* earum Gentium, e quibus ipsi Legati venerunt, et apud quas et veteres Ecclesiae restituuntur, et novae conduntur. Nunciant enim Legati, quam fortiter et strenue apud Gentes suas filii illi Corae dimicent, et vincant.

*Qui excussi sunt*. Quum vox הַנְּעוּרִים et participium sit si-

(1) Mich. V. 6. etc. In Apolog. Cap. XIV.

gnificans *excussos*, et nomen significans *adolescentiam* (1), illi qui de procreatione Liberorum haec interpretari volunt, vertunt, *ita filii juventutis*. *Nempe*, inquit hic Calmetus, *qui primo connubii ardore, in ipso juventutis paternae flore procreantur*. Nam si eum audias, hujus Psalmi auctor est aut Aggaeus, aut Zacharias, aut alius quispiam e Prophetis sub Nehemia florentibus: et *Populum*, inquit, *hic hortatur vates, ut omnem in Deo fiduciam collocet, et justae quieti* (expresse ad procreandos juventutis filios) *indulgeat*. Unde autem oriatur hujus hortationis ad procreandos *juventutis filios* necessitas Nehemiae tempore, *quum omnium*, ut ipse inquit, *Israelitarum studia instaurandis moenibus urbis, Temploque in pristinum decus restituendo conspirarent*, ne ipse quidem Calmetus sciat; nisi satis insulse statuat, tunc ob eam causam omnes Israelitas, praecipue vero *adolescentes in primo connubii ardore*, usque adeo uxorum suarum immemores fuisse, ut necesse fuerit hoc Psalmo a Deo de procreandis in juventute liberis commonefieri; rem, nisi commonerentur, ad senectutem, frustra renitentibus adolescentulis uxoribus, dilaturos. *Spectatum admissi risum teneatis, amici?*

5 *Beatus fortis Vir qui pharetram suam illis plenam habet! non confunduntur quando alloquuntur inimicos in porta.*

Quoniam Legati, ut diximus, nunciant quam fortiter et strenue post Antichristum excisum Hebraei christiani pugnent et vincant omnes hostes sanctissimae Religionis qui supererant apud eas Gentes e quibus Legati ipsi venerunt, et apud quas tum veteres Ecclesiae restituuntur, tum novae conduntur; idcirco beatum esse ajunt et praedicant, Episcopum, qui in illo genere hominum quos ipse mittere ad praedicandum pos-

(1) Montald. pag. 772. et 773.

sit, complures habeat ex his Hebraeis filiis eorum qui cum Antichristo excussi fuerant. Nam *fortis Vir* qui hoc loco dicitur, est Episcopus; et *Pharetra* est genus illud hominum, quos mittere ad dimicandum in hostes potest. Perstant enim Legati in comparatione illa superioris versus, *Ut sagittae in manu fortis viri, sic sunt filii eorum qui excussi sunt*. Quamobrem ut fortis hic vir, strenuus scilicet miles pharetram habeat oportet, e qua sagittas eliciat, quas in hostes mittat; sic filii eorum qui excussi sunt, si quidem esse ut sagittae debent, atque ut sagittae in hostes mitti; necesse est ut fortis quispiam Vir sit, qui eos et in pharetra sua habeat, et mittat. Qui quidem fortis Vir nemo esse nisi Episcopus potest. Horum enim jus est mittendi ad praedicandum. Ex quo intelligitur, pharetram Episcopi metaphorice dici hoc loco genus illud hominum quod ipse apud se habeat, e quibus instructissimos ad dimicandum elicere, atque ut sagittas mittere in hostes possit. Ego vero nolim haec admirationem pariant, quasi nova res meaque unius sit, Episcopos in hoc Psalmo vidisse, quos antea copiose vidit Augustinus; ut ii qui Enarrationes ipsius consulent, cognoscere poterunt (1).

*Pharetram suam*. Septuaginta, et ab iis Vulgatus *desiderium suum*. Hieronymus, aliique omnes *pharetram suam*. *Hebraeus*, inquit Marinus, *pergit in metaphora sagittarum*, Pharetram suam, *idest domum suam*.

*In porta*, inquit idem, *palam et publice*: *nam in portis congregabatur populus antiquitus ad agenda quamplurima*.

ccc

(1) August. Enarr. in Psalm. 126. §. 3.

# ANIMADVERSIONES

## In Argumentum, et Auctorem Psalmi. Metro illius nunc primum in lucem edito, Salomonis esse, ut praefert titulus, ostenditur.

1. Etsi doctos criticosque viros, perpensis nostris et cum Hebraeo collatis, minime dubitaturos puto, quin Psalmus qui hactenus declaratus est, in iis plane versetur rebus quas diximus; tamen magnitudo rerum quae in eo sunt ad confirmandam Christianae religionis veritatem maxime pertinentium, quarum in aliorum sententiis ne vestigium quidem ullum apparet, suadet ut pauca de illis ipsis sententiis, et Psalmi auctore disseramus.

2. Patres, atque in primis Augustinus in suis Enarrationibus, totum Psalmum explicant de Ecclesia. Eos sequi nobis non modo gloriosum fuit, sed etiam necessarium. Cogit enim ipsa verborum, sententiarumque proprietas. Sed quod illi ad universum Ecclesiae tempus Psalmum aptarunt, id nobis arctioribus finibus ita coercendum fuit, ut Psalmus proprie de statu Ecclesiae loquatur, qui proxime ab Antichristi excidio futurus est. Cum multa id facere cogunt, tum illa Psalmi verba, *Frustraneum vobis esset matutinos surgere, postquam sederunt Voratores Panis, Idola! Truncus dedisset Dilecto illius somnum!* Haec enim verba Antichristiani temporis flagitia, scelera, calamitates tam aperte continent, ut neque ad aliud tempus, neque ad aliud argumentum pertinere ullo modo possint. Quantum igitur attinet ad explicandum Psalmum de Ecclesia, una est Patrum, nostraque sententia; illorum quidem latior, nostra contractior.

3 Sed novi Enarratores quantum a Patribus recesserint, mirum est. Marcus Marinus, *Nec familiam*, inquit, *nec urbem custodiri, nec victum, nec liberos haberi citra Dei favorem elegantissime canit* Psalmi auctor (1). Idem Muisio visum est, juxta quem *hic Psalmus docet, nihil esse sine Deo suscipiendum, aut designandum; alioquin quidquid agas non successurum* (2). Eodemque spectat etiam Molinaeus afferens, *Nullos hominum labores esse felices, aut consilia salutaria, nisi Deo adjuvante, et benedicente. Id ostendit in utroque ordine, politico, et aeconomico, in quibus constituendis, conservandis, augendis, atque ornandis omnis hominum labor et cura occupatur: et confirmat exemplo sumto a procreatione liberorum, quae peculiare Dei donum est, et si illa cesset, mox ruent omnia* (3). Ab his parum Hammondus discrepat, qui sententiam suam hac conditione profert, si psalmi auctor sit Salomon. *Si ita sit, est hoc compendium Libri ipsius, Ecclesiastae, ad describendam vanitatem mundanae sollicitudinis sine benedictione Dei, ut in aliis omnibus, ita in liberis* (4). Ne Piscator quidem ab his valde diversus est, qui Psalmum *compositum a Davide ait ad instituendum Salomonem* (5). Versabitur enim institutio iisdem in rebus quas superiores attulerunt. His consentit Calmetus: *Populum hortatur vates, ut omnem in Deo fiduciam collocet, et justae quieti indulgeat: omnes enim illorum conatus, atque omnia studia irrita prorsus fore, si Deus illos ab hostibus tueri neglexerit*. Et quum aliquid addere de suo vellet, *Haec*, inquit, *genuina est hujus carminis sententia. Scriptus est Psalmus quum Tobias et Sa-*



(1) Mar. Annot. in Psalm. hic.
(2) Synops. Criticor. hic.
(3) Synops. Crit. hic.
(4) Ibidem.
(5) Ibidem.

*naballat Nehemiae molimina evertere conaretur* (1). Qua confidentia videtur scribenti vati affuisse, cum eoque colloquutus esse; quem tamen Nehemiae tempore frustra quaesivisset. Paulo longius abit Xaverius Matthaeus, cui Psalmus *et perobscurus, et disjunctis sententiis contextus totus est; et nihil aliud nisi vulgarium adagiorum aenigmatumque congeries ad rei familiaris administrationem pertinentium; quorum haec summa sit, a Deo domum, a Deo divitias, a Deo liberos esse: quae, si diis placet, tantum ei negotii exhibuerunt dum in versus italicos transferebat, ut sudare debuerit, nec admodum versione sua contentus sit* (2).

4. Hi scriptores in eo peccasse videntur, quod Psalmo thesin pro argumento tribuant, quum Psalmus habeat hypothesin. Id quantum intersit, ii demum intelligent qui meminerint, thesin generalem quandam orationem esse nullis rerum, personarum, temporum limitibus definitam; hypothesin contra. In Psalmo autem definita omnia esse, planissimum est. Nam illum non de qualibet domo aut civitate, sed de sola Ecclesia Dei definite loqui, a characteribus unius Ecclesiae propriis ab eo descriptis ostensum est. Tum Voratores Panis, et Idola personae definitae sunt. Ille ipse Truncus, cujus odium Ecclesiae interitum attulisset, nisi eam Dominus custodivisset, quam definitus est! Quid dicam de Dilecto Domini, quem ille ipse Truncus, in quo semel mortuus est, denuo peremisset, quia hostes odio ipsius, nisi Dominus vigilasset, Ecclesiam, quae est ipsius corpus, internecione delevissent? Filii vero eorum qui a veniente Domino excussi fuerunt, annon certae personae certi definitique sunt temporis? Atque hos ipsos jam

(1) Calmet. in argum.

(2) E Xaverio Matth. in argum. huj. Psalmi.

inviotos Evangelii praecones effectos, quales esse dixeris? Quales fortissimos illos Viros, a quibus ut sagittae mittuntur, et qui eos in potestate habent sua ut milites pharetram, e qua sagittas educant, atque in hostes jaciant; quod quia facere possunt, beati praedicantur? Sunt igitur omnia in Psalmo rebus, personis, temporibus definita, idque ita ut solummodo ad res, personas, tempora persequutionis Antichristi pertinere possint. Quamobrem thesis illa Marci Marini, et Muisii, totaque Molinaei distributio rerum in duos ordines politicum et oeconomicum, ipsaque liberorum procreatio, nec non Hammondi compendium Ecclesiastae, descriptioque vanitatum mundanae sollicitudinis, ac Piscatoris institutio ad Salomonem, totaque Calmeti hortatio ad populum Nehemiae temporum, sic abeant a Psalmo necesse est, ut Voratores Panis, et Idola, qui sedem et divinos honores in Templo Dei aliquando sibi arrogabunt, a Templo Dei, conspecto Trunco, diffugere, alioque sese proripere debebunt. Has autem abeuntes sententias adagia et aenigmata Xaverii Matthaei deducant oportet; ut habeant poetam ducem, et versus quibus sese in itinere oblectent; ne quisquam apud nos sit qui sudet, ut pro summis sanctissimisque Religionis dogmatis vulgaria nobis adagia et aenigmata versibus canat. Haec erant de argumento dicenda.

5 Superest ut de auctore Psalmi dicamus, quem quidem Salomonem esse, ut docet titulus, firmissime tenemus. Huic sententiae adversantur eruditorum genera duo. Alterum qui Psalmum Davidis esse ajunt; alterum qui malunt incerti esse auctoris, Prophetae tamen qui Nehemiae tempore vixerit, Aggaei scilicet, aut Zachariae, aut cujusvis alius. Qui Davidis esse volunt; hi auctoritatem tituli sequi se dicunt. Nam tituli, ut est apud Hebraeos, duplex esse interpretatio potest: *Canticum ascensuum. Salomonis*; et *Canticum ascensuum*,

*Salomoni*. Hoc autem altero modo interpretari malunt, ajuntque sententiam tituli esse, *Canticum ascensuum inscriptum Salomoni*. Qui vero incerti esse auctoris contendunt, hi titulum respuunt et contemnunt, arbitratuque suo confingunt auctorem qui maxime libeat. De utrisque considerandum est.

6 Illi ergo qui *Salomoni*, quam *Salomonis* interpretari malunt, si persuadere vellent quod cupiunt, tria deberent facere, quae minime faciunt. Primum ostendere deberent, cur *Salomoni* potius, quam *Salomonis* interpretari debeamus. Nam quum Hebraeus aeque utrumque significet, quo jure illi dativum usurpant, eodem nos genitivum usurpamus. Quamobrem nisi causam afferant, cur eorum potius, quam nostro casu vertendum sit, nihil efficient.

7 Deinde docendi ab iis essemus, undenam hauriant illud *inscriptum* quod supplent. Nam ut demus, si dativo casu vertamus, participium aliquod esse supplendum; hoc tamen quale esse debeat, non est arbitratu nostro statuendum; verum ab ipsis minime dubiis veritatis fontibus eliciendum est. Hos si sequi voluerimus, jam non *inscriptum*, sed aut *revelatum*, aut *a Deo dictatum*, aut aliud quidpiam simile supplebimus: quae nimirum multo praestantius multoque praeclarius Salomonem auctorem ostendent illo ipso genitivo quo utimur. Habent enim haec ipsam causam ob quam Psalmos ceterosque sacros Libros suis tribuimus auctoribus. Nam Psalmorum sacrorumque Librorum auctores non alia de causa dicimus, nisi quia illis a Deo revelati dictative sunt. Cur igitur supplendum est potius *inscriptum Salomoni*, quam *revelatum*?

8 Tertium denique docere deberent, auctorum nomina dativo casu non indicari: qua in re contrariam habebunt totam antiquitatem. Nam quum certum sit, plerosque Psalmos Davidem auctorem habere, certissimum autem eos illius esse qui nomen ipsius habent in titulo, nec quisquam unquam ex quo

edita est Septuaginta Interpretum versio ea de re dubitaverit non modo apud Hebraeos, sed ne apud Graecos quidem, aut Latinos, usque adeo ut totum ipsum Psalterium a Davide nomen acceperit; tamen Davidis nomen a Septuaginta Interpretibus dativo casu semper expressum est. Consulantur omnes Psalmorum tituli, in quibus Davides nominatus est: invenientur Septuaginta semper vertisse Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ, *Psalmus Davidi*; eodemque modo indicasse reliquos Psalmorum auctores. Quod si dativus consensu totius antiquitatis ad hanc usque memoriam semper auctorem monstrat, quum Davides est in titulo; cur non item monstret auctorem, quum est in titulo Salomon? Aut si rideretur qui propter illum dativum Psalmos contenderet non a Davide conscriptos, sed illi inscriptos fuisse; cur serii esse jubebimur, quum novi isti Scriptores propter illum ipsum dativum volunt hunc Psalmum non esse Salomonis, sed illi inscriptum a Davide fuisse? Ubi maxime animadvertendum est, consensum illum totius antiquitatis, quem diximus, complecti quoque ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, et illius Apostolos. Protulit Dominus noster e Psalmo CX. testimonium his verbis: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei, David. Ait illis, Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis?* (1). Rem et Matthaeus narravit, et reliqui Apostoli confirmarunt, et ab iis universa Ecclesia recepit; ut dubitari sine scelere nequeat, quin ille Psalmus Davidis sit. At enim illius Psalmi titulus ita Davidis nomen habet quemadmodum hic noster nomen Salomonis; scilicet ut dativo casu apud Hebraeos utrumque nomen esse possit: dativo autem casu in illo titulo apud Septuaginta

(1) Matth. XXII. 42. seqq.

est, quorum versione Apostoli utebantur. Quid amplius velis? ut statuas totam antiquitatem, et in ea ipsum Jesum Christum, illius Apostolos, et universam Ecclesiam judicasse, auctorum nomina dativo casu quoque ab Hebraeis exprimi? At nostri isti eruditi docere deberent, id nunquam ab Hebraeis fieri, ut Psalmum possent Salomoni inscribere, Davidi tribuere: quod tamen nec docent, neque unquam docere poterunt.

Tria igitur quum sint quae facere deberent hi qui ajunt, se tituli auctoritate ductos Psalmum Salomoni eripere, Davidi concedere, exspectaremus haec dum facerent, si quidem ea essent quae fieri a quopiam possent. Sed quum certum sit, neminem facere posse; dabunt hi Scriptores veniam, si dixerimus eos sine ulla justa, ne probabili quidem, levive causa Psalmum Salomoni eripuisse.

9 Veniunt illi qui dum negant Psalmum Salomonis esse, incerti auctoris esse volunt. Hi respuunt, ut diximus, contemnuntque titulos Psalmorum, nullamque ipsis tribuunt auctoritatem, tanquam aliena et profana manu ad Psalmos adjectis. Qui si hoc dixissent ante quam Tridentina Synodus celebrata est, fortasse honestam quandam excusationem haberent. Sed quum Psalmorum tituli et ante, et post illud Concilium in Sacris omnibus Libris fuerint Hebraeis, Graecis, Latinis; quis neget eos esse ipsorum Librorum partes? At Sacrosancta illa Synodus et declaravit sese omnes Libros tam veteris, quam novi Testamenti suscipere ac venerari; et anathema dixit, *si quis libros ipsos cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro Sacris et canonicis non susceperit* (1). Videant igitur hi Scriptores, quo jure ipsi con-

(1) Concil. Trid. Sess. IV.

temnant et respuant quod Ecclesia veneratur et suscipit; et nos demum doceant, utros sequi debeamus, ipsosne, an Ecclesiam. Quod si certum etiam per eos est, Ecclesiae auctoritatem ipsorum auctoritati anteferendam esse; quum haec doceat, Psalmi titulum partem Sacrorum Librorum esse, et titulus doceat Psalmum esse Salomonis, aequo animo ferant, si eorum sententiam de incerto Psalmi auctore respuimus atque contemnimus.

10 Sed quam vere Psalmorum tituli sint Sacrorum Librorum partes, novo nos argumento demonstrare posse speramus ducto ab hoc ipso Psalmo. Conscriptus est enim hexametris versibus novem, iisque manifestis; in quibus illud peculiare est atque hactenus inauditum, quod primi versus primum hemistichium est ipse Psalmi titulus: quod quidem idcirco factum esse arbitror, ut de auctore Psalmi nunquam dubitari posset (1). Hunc itaque titulum qui contemnat et respuat, nae ille tam sapienter faciat, quam qui contendat odam Horatii, aut eclogam Virgilii non ab initio versus, sed a dimidio primo versu incipiendam esse. Quod si quis esset tam impotens animi ut auderet dicere, is unus omnium hominum maxime ridiculus haberetur. Quamobrem hi qui contemnere Psalmorum titulos consueverunt, admoniti hoc argumento contemnere, opinor, desinent, et de Aggaeo, aut Zacharia, aut alio Propheta Nehemiae temporum, confictis temere auctoribus, conticescent. Jam versus audiamus.

ddd

(1) Desperatam dudum ab eruditis metri Hebraeorum rationem in lucem edidimus in Libro de Apologia catholicae religionis, ubi duodecim hexametros versus hebraeos, in iisque vaticinium de *Messia Deo Jacobi Viro complendo ferro lignoque hastato*, idest crucifigendo, primi protulimus. Ibi videne eadem repetamus.

*Psalmus CXXVII. in suos distributus versus.*

שיר המעלות · לשלמה · אם יהוה לא יבנה
בית . שוא עמלו בוניו בו : אם יהוה
לא ישמר עיר , שוא שקד שומר · שוא לכם
משכימי קום מאחרי שבת אכלי לחם ,
העצבים : כן יתן לידידו שנא ! הנה נחלת
יהוה בנים . שכר פרי הבטן ! כחצים
ביד גבור כן בני הנעורים · אשרי הגבר
אשר מלא את אשפתו מהם ! לא יבשו .
כי ידברו את אויבים בשער ·

*Iidem versus latinis literis, indicata syllabarum quantitate.*

Sīr ămbălōth . Lĭsĕlōmō . īm Jĕōĕ lō ībne
Băith , sāv hāmĕlū bōnāv bō : īm Jĕōĕ
Lō īsmōr hīr , sāv săcăd sōmĕr , Săv lāchem
Măschīmĕ cūm , mĕăhărĕ sĕbĕth ōchlĕ lĕhem ,
Ăhăsăbīm ! Chĕn Jthĕn lĭdīdō sĕnă ! īnnĕ năhălath
Jōe bānīm , săchăr pĕrī ăbbătĕn ! Chĕīsim
Bjăd ghĭbbōr , chĕn bĕne ănĕhūrīm . Asrĕ ăghĕber
Asĕr mĭle ēth ăspăthō mĕem ! Lō jĕbōsu .
Chī jĕdăbĕrū ĕth ōjĕbīm băsăhar .

*Eorundem ad versuum ordinem versio.*

Canticum ascensuum. Salomonis. Si Dominus non istauraturus fuisset
Domum, frustra laborarent instauratores illius in eam: Si Dominus

Non custodivisset Civitatem, frustra vigilaret Custos. Frustraneum *esset* vobis

Matutinos surgere, postquam sederunt Voratores Panis,

Idola! Truncus dedisset Dilecto illius somnum! Ecce! haereditas

Domini *sunt* filii, merces *est* fructus ventris! Ut sagittae

In manu fortis viri, sic *sunt* filii eorum qui excussi sunt.

Beatus fortis Vir

Qui plenam habet pharetram suam illis! non confunduntur,

Quando alloquuntur inimicos in porta.

*Adnotationes in versus.*

Versu primo. *Amhaloth*. Hebraei literam *Hain* asperrime nunc et dudum pronunciant, versumque pessumdant, dum hanc vocem fere pronunciant *hamainghaloth*.

*Lo*. Ut Graeci vocales longas ante aliam vocalem et longas relinquere, et breves facere possunt; ita et Hebraei faciunt. Graeci synaloepha nunquam utuntur, plurimum Latini: Hebraeis uti, aut non uti liberum est.

Versu 2 *Baith* monosyllabum, tanquam diphthongus sit.

Versu 3 Versus solis spondaeis constans, qui apud Hebraeos frequentissimi sunt. Hic ob suam tarditatem aptissimus est ad ea quae frustra Custos conatus esset.

Versu 4 *Ochle*. In linguis quae vocales plerunque non scribunt, ut est Hebraea, syncopae locum habere plurimum debent. Ita quamvis vulgo et in prosa oratione pronuncietur *ochele*, in versu tamen nihil mirum erit, si syncopa sit, ac pronunciari debeat *ochle*.

Versu 5 *Ahasabim*. Hic quoque asperrima literae *Hain* pronunciatione pessumdant versum.

Concursus dactylorum ad celeritatem quaeritur tam a Grae-

eis, quam a Latinis. Celeritas interitus Ecclesiae hic describitur, nisi eam Dominus custodivisset.

Versu 6 *Joe*. Dictum est in Apologia Sacrosanctum hoc Dei nomen unius, duarum, trium, quatuor syllabarum apud Scriptores carminum esse. Hic monosyllabum est.

Versu 7 *Anehurim*. Hic etiam asperrime pronunciando literam *Hain* pessumdant versum.

Versu 8 *Meem*. Monosyllabum hoc loco, quod *mem* etiam pronunciare possis.

11 Jam ergo perspicuum est, hebraica tituli Psalmique verba ita ut jacent, nullaque prorsus mutatione tentata, novem esse hexametros versus integros, sinceros, perfectos, genuinos. Nam quod trium verborum reprehensa est vulgaris horum temporum pronunciatio, id ad scriptionem nullo modo pertinet, quae semper eadem est apud omnes, sive hoc, sive illo modo pronuncies. Aliunde autem certum est, Hebraeos veterem illam aurei Salomonis seculi pronunciandi rationem jamdudum amisisse. Quantum autem valeat ad integritatem sacri codicis Hebraei confirmandam afferre versus incorruptos posse, etsi dicere possim, tamen quia nunc id mihi non agitur, malo totam hanc provinciam eruditis doctisque viris relinqui. At Houbigantius, qui ut Sacros Libros corrumpere ipse possit, corruptos esse permagno ardore contendit, et quem huic Psalmo integrum deesse membrum asserentem vidimus, quia Sacrosanctum Truncum non vidit; consilium, conspecto Trunco, agnitisque versibus, mutare jam poterit.

# DE CRUCE VATICINIUM X.

## Precatio e Psalmo CXIX. versibus decem

## In quibus Crux bis nominata est.

### ARGUMENTUM.

Sed jam huic libro finis imponendus est, qui nimirum longior evasit, quam propositum initio fuerat. Nam laboranti ex oculis diuturna et suavissima salutarium Dei verborum lectione defatigatis fereque deperditis brevitas quaerenda erat (1). Sed gratias Deo Dominoque meo quas possum maximas ago, qui me inutilem servum suum demisse quotidie precantem ut mihi oculos relinqueret, quibus scriptam ipsius legem meditari possem, quam edoceri ab eo semper optavi, inenarrabili misericordia sua tam benigne complecti dignatus est, ut ad calcem hujus libri scribendo pervenire potuerim (2). Nam quum multa sint, eaque praeclara, in quibus versari servos Dei, potissimum vero Sacerdotes oportet; eorum vix quidquam, aut ne vix quidem erat, in quo pro parum firma valetudine mea versari ipse possem. Scribendo fortasse, si praesto Deus esset, aliquid poteram. Sed quis audeat divinos Libros in manus sumere, nisi eorum intelligentiam a Patre luminum Deo continue postulet? (3). Quod equidem facere conatus sum; atque

(1) Psalm. CXIX. 123.
(2) Ibidem 124.
(3) Ibidem 125.

hoc magis, quod ea sunt tempora, quum Sanctissima Dei religio nefariis pessimorum hominum artibus propemodum perdita et profligata protendit manus suas, et quam quisque conferre opem possit, amantissime implorat (1). Quae me causa jampridem impulit, ut neglectis atque contemtis omnibus per quae divitiae, honores, dignitates accedere consueverunt, omne tempus quod a laboribus superesset quorum fructibus honeste alerer, conferrem in Sacros Libros, quibus nihil esse dignius studio et amore nostro semper existimavi (2). Hinc mihi et scriptio de Apologia catholicae religionis profecta est (3); et prae oculis augustam Dei Dominique nostri Jesu Christi crucem semper habens, diligenter animadvertere studui quidquid singuli Prophetae de illa dixissent; id maxime curans, ne quid iis affingerem quod a veritate quoquomodo abhorreret (4). Ita immensa Domini mei Jesu benignitate et gratia in lucem prodeunt haec hactenus incognita, omni prorsus admiratione dignissima illius testimonia de Cruce, quorum fidem, dum ex Hebraeo in Latinum converti, servare accuratissime studui (5). Reliquum est, ut ipsum, qui hos Sermones aperire dignatus est, enixe precer, ut augustae Crucis suae lucem in omnes effundat, imperitisque ac rudibus intelligentiam tribuat (6). Et quum minime defuturi sint qui haec calumnientur, quique nihil esse posse boni rective existiment, quod ipsi in medium non attulerint; id quoque precer oportet, ut illis me ne permittat, his de bonitate ac rectitudine rerum, quas afferimus, spondere ipse dignetur (7). Haec optime deprecaturos esse confidimus, adhibitis paucis ipsius Dei verbis quae in Psalmo

(1) Ibidem 126.
(2) Ibidem 127.
(3) Ibidem 121.
(4) Ibidem 128.
(5) Ibidem 129.
(6) Ibidem 130.
(7) Ibidem 121. 122.

undevicesimo supra centesimum extant. Nam ea cum ad id quod petimus sunt opportunissima, tum sacrosanctam Dei Dominique nostri Jesu Christi crucem bis nominatam habent.

## E Psalmo CXIX. versus decem.

121 Protuli Judicium, atque Justitiam: ne me permittas
calumniantibus me. 122 Sponde servo tuo de bono: non me
calumnientur superbi. 123 Oculi mei defecerunt in salutem
tuam, et in eloquium Justitiae tuae. 124 Age (*precabar*)
cum servo tuo juxta misericordiam tuam, et Statuta tua doce
me. 125 Servus tuus sum! da mihi intelligentiam, ut sciam
Testimonia tua. 126 Tempus *est* operandi pro Domino! Le-
gem tuam irritam fecerunt! 127 Idcirco diligo Praecepta tua
prae auro et prae obryzo, 128 ad Truncum omnia Praecepta
cujusque dirigo, quamcunque viam mendacem odi. 129 Mi-
rabilia *sunt* testimonia tua de Trunco! ea servavit anima mea.
130 Reseratio sermonum tuorum illuminet, intelligentiam tri-
buens imperitis.

## Declarationes.

121 *Protuli Judicium, atque Justitiam: ne me permittas calumniantibus me.*

*Judicium* a Prophetis dici Evangelium, in Habaccuci Vaticinio de Cruce vidimus. *Justitiam* ab iisdem dici Christianam religionem, et saepe alias diximus, et in Apologia demonstratum est (1).

Verbum עָשָׂה inquit Montaldus, *Pro diversitate materiae in quam verbum hoc* faciendi *cadit, diversum quoque praese-*

(1) Cap. XI. §. V.

*fert sensum. Itaque significat . . . . . . octavo . . . . . produxit*, *protulit*, *quum de fructibus habetur sermo* (1). Hoc loco Propheta de fructibus suis loquitur, illis scilicet, de quibus Dominus ait, *A fructibus eorum cognoscetis eos*.

122 *Sponde servo tuo de bono: non me calumnientur superbi*.

Vadem scilicet te praebe de bonitate rerum quas protuli, ne arrepta inde occasione superbi me calumnientur.

Hieronymus item *Sponde*, et eodem sensu Marinus *Fide-jube* interpretati sunt.

123 *Oculi mei defecerunt in salutem tuam*, *et in eloquium Justitiae tuae*.

*Salutem* appellant Prophetae *verba salutis*, hoc est Scripturas Sacras. Id cum multis a locis, tum ab hoc ipso perspicuum est, in quo secunda versus pars de more primam explicat. Nam *eloquium Justitiae* (quo scilicet Christiana religio a Prophetis tradita est) scriptum fuerit oportet, si diuturno illius studio *deficere oculi* debuerunt.

124 *Age* (precabar) *cum servo tuo juxta misericordiam tuam*, *et Statuta tua doce me*.

Interjectum est *precabar*, seu si malis *ajebam*, ut consequentia sermonis statim cognosceretur. Nam *inquam*, *ait*, *ajebam* Hebraei, ut pluries dictum est, saepissime omittunt.

Propheta quum diuturno Scripturarum studio propemodum oculos amisisset, ad Dei misericordiam confugiebat, petens ut visum restitueret, quo arripere de Sacris Libris posset quae meditaretur; atque in his meditationibus versantem Deus Statuta sua doceret; idest ea quae facere in posterum statuisset; juxta illud, *Non faciet Dominus Deus verbum*, *nisi revelaverit secretum suum servis suis Prophetis* (2).

(1) Montald. pag. 1083.

(2) Amos III. 7.

125 *Servus tuus sum! da mihi intelligentiam, ut sciam Testimonia tua.*

Servus nempe ex illorum numero, quorum summa scientia esse debet *scientia Testimoniorum Dei*, quae sunt Sacrae Scripturae. Harum scientiam frustra nobis pollicemur, nisi *Deus det intelligentiam*. Hinc eam a Deo tam enixe petit.

126 *Tempus* est *operandi pro Domino! Legem tuam irritam fecerunt!*

Verba haec plenissima sunt doloris. Ab iis patet quid viri sanctissimi facere consueverint, quandocunque eo calamitatis deventum est, ut divinis institutionibus incredulitate atque omni reliquo scelere robur eriperetur. Tunc tempus esse operandi pro Domino dicebant; et ad divinas Scripturas, tanquam ad armamentarium omni armorum genere cumulatissimum, convolantes, earum intelligentiam a Deo flagrantissime postulabant, ut contra novos errores novis inde armis instructi adversus hostes divinarum institutionum dimicarent. Id est *operari pro Domino*.

*Pro Domino*, ליהוה, nomen scilicet Dei proprium cum litera *Lamed* praefixa, hoc loco dativum commodi exprimente, idest eum cujus causa et amore ad pessumdatam ipsius legem restituendam operandum est. Id ipsum Marcus Marinus ad hunc locum animadvertit inquiens: Domine, *quasi legerint nostri* יהוה, *quod nunc Hebraeis est cum Lamed dativi casus*.

127 *Idcirco diligo Praecepta tua prae auro, et prae obryzo,* 128 *ad Truncum omnia Praecepta cujusque dirigo, quamcunque viam mendacem odi.*

Tria sunt quae sese facere profitetur ut *operetur pro Domino*, occasione permotus illorum qui Dei legem *irritam facerent*. Primum, posthabito habendi studio, quo maxime abripi homines consueverunt, se solo amore praeceptorum Dei (quae

sunt illa ipsa *eloquia Justitiae* paulo ante commemorata ) inflammatum esse ait. *Idcirco diligo Praecepta tua prae auro, et prae obryzo*: secundum, sese *ad Truncum omnia Praecepta* (eloquia) *cujusque* Sacri Scriptoris *dirigere*: tertium, se *quamcunque viam mendacem odisse*.

Haec verba Septuaginta, et ab iis Vulgatus ita expresserunt: *Ideo dilexi mandata tua super aurum, et topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar*. Praeter *Truncum*, qui hactenus in vetere Testamento nullibi apparuerat, Septuaginta voces כָּל־פִּקּוּדֵי כֹּל, *chol pikudè chol*, interpretati sunt *omnia mandata tua*, quae necessario significant *omnia mandata cujusque*, ut status constructus, et propria significatio demonstrant. Deinde iidem praepositionem *ad* ante *mandata* addiderunt. Denique verbum יִשָּׁרְתִּי, quod syntaxis demonstrat activam habere significationem *direxi*, aut *dirigo*, passive interpretati sunt *dirigebar*. Tribus igitur in locis, praeter *Truncum*, versio Septuaginta Interpretum ab Hebraeo discrepat. Eorum unum Hieronymus in sua versione restituit dicens, *Propterea ad universa praecepta tua direxi*, duos reliquit; quos Marinus ita ut extant apud Hebraeos his verbis exhibuit: *Propterea omnia deposita omni direxi*.

Ad *Truncum* quod attinet, bis in hoc loco duo verba sunt *hal chen*. Sed *chen* primo loco adverbium est *idcirco*, *ideo*, *propterea*, altero nomen *Truncus*, quod a consequentia sermonis manifestum est.

129 *Mirabilia* sunt *testimonia tua de Trunco! ea servavit anima mea*.

Quanta sint admiratione digna testimonia de sacrosancta Cruce quae Deus Prophetis veteris Testamenti dictavit, et quorum magnam partem, ipso benignissime largiente, vidimus hoc libro, Propheta qui ea multo ante viderat, seu potius Deus ipse qui hunc quoque Psalmum sine dubio dictavit, his verbis

testatur. Post tantum testem quid mihi dicendum superest? Mirari ego quoque, venerari, maximas gratias agere non desinam. Ea testimonia se servasse, hoc est diligenter adnotasse, apud se habuisse, summoque studio custodivisse Propheta dicit. Illum ego imitari in ea re conatus sum. Sed mei obliviscantur qui volunt, incognitusque omnibus sim nihilo minus quam ipsa *mirabilia testimonia de cruce* hucusque incognita fuerunt, et quam incognitus adhuc est Propheta hujus Psalmi auctor. Hoc solum opto precorque, ut qui haec viderint, id faciant quod ipse Propheta fecit.

Hic alter locus est ubi nomen *Chen* invenitur cum praepositione *hal* conjunctum hoc modo עַל כֵּן, *hal Chen*: quae praepositio permulta significat, in quibus et *de*, ut Montaldus notat (1).

130 *Reseratio sermonum tuorum illuminet, intelligentiam tribuens imperitis.*

Quum scilicet *praefinitum clausis obsignatisque sermonibus tuis tempus* abierit (2), *reseratio* eorundem *sermonum tuorum*, quae te largiente fiet, *illuminet* omnes precor, eorum *intelligentiam tribuens*, non solum doctis, literatis, eruditis; verum etiam *imperitis*, simplicibus, fatuis. *Quomodo autem audient sine praedicante* (3)?

Septuaginta ἡ δήλωσις τῶν λόγων σου φωτιεῖ, καὶ συνετιεῖ νηπίους, *Declaratio sermonum tuorum illuminabit et intelligere faciet infantes*. Quod ad animum, non ad aetatem referendum est. Hieronymus, *Ostium sermonum tuorum, lucidum docens parvulos*. Marinus ad verbum et proprie, *Apertio verborum tuorum illuminabit, intelligere faciens simplices*. Quod expli-

eee 2

(1) Pag. 966. 967.

(2) E Dan. X. 14.

(3) Rom. XII. 9.

cans in adnotationibus, *Hebraeus*, inquit, *simplices*; *idiotas*, *nedum doctos*, *et literatos*. Nomen פְּתִי (*pethi*) est *simplex*, *fatuus*, *imperitus* (1). Futurum vim habet optandi, loco imperativi, quo in tertiis personis Hebraei carent.

Hic nostrae desinunt declarationes. Libri autem exitum quemnam meliorem invenire possumus, quam quo Precationem repetamus? Protuli, mi Jesu, Judicium, atque Justitiam: ne me permittas calumniantibus me. Sponde servo tuo de bono: non me calumnientur superbi. Oculi mei defecerunt in salutem tuam, et in eloquium Justitiae tuae. Age, *precabar*, cum servo tuo juxta misericordiam tuam, et Statuta tua doce me. Servus tuus sum! da mihi intelligentiam, ut sciam Testimonia tua. Tempus *est* operandi pro Domino! Legem tuam irritam fecerunt! Idcirco diligo Praecepta tua prae auro, et prae obryzo, ad Truncum omnia Praecepta cujusque dirigo, quamcunque viam mendacem odi. Mirabilia *sunt* testimonia tua de Trunco! ea servavit anima mea. Reseratio sermonum tuorum illuminet, intelligentiam tribuens imperitis.

בֵּן חוֹרַע וְנָבָא לְבַב חָכְמָה׃

(1) Montald. pag. 1136.

FINIS.

# INDEX.

VATICINIUM VI.



VATICINIUM VII.



VATICINIUM VIII.



VATICINIUM IX.



VATICINIUM X.

| ERRATA | CORRIGE |
|---|---|
| Pag. 3 lin. 25 exaecaretur | excaecaretur |
| 5 lin. 1 Dcum | Deum |
| 8 lin. 21 tua | aut |
| 11 lin. 9 Ptolemeus Evergetes | Ptolemaeus Evergetes |
| 17 lin. 18 paraphasis | paraphrasis |
| 102 lin. 16 scripsissc | scripsisse |
| 119 lin. 15 vendit | venditi |
| 147 lin. 18 pronuncia | pronunciat |
| 169 lin. 1 premonuit | praemonuit |
| 178 lin. 12 il Liliis | in Liliis |
| 180 not. 2 lin. 4 edvenit | advenit |
| 194 lin. 23 *perfusus est* | *perfusus es* |